UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epitome In Qvatvor Lib. Sententiarvm M. Petri Lombardi

Spina, Claudius de

Parisiis, 1551

urn:nbn:de:hbz:466:1-38840

Visual Library

Th. 441.

D 1
28

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Epitome

IN QVATVOR LIB.
SENTENTIARVM M. PETRI
Lombardi, recèns edita, & ſacræ
Theologiæ ſtudio-
ſis neceſſaria.

Authore F. Claud. Stinæo, Rothomagen.
Prædicatore, Theologo.

Collegij Societatis Jesu Paderbornæ.



PARISIIS,
Apud Iohannem Foucherium, ſub ſcuto
Florentiæ. Via ad D. Iacobum.

1551.

CVM PRIVILEGIO.

EXTRAICT DES REgistres de Parlement.

LA Court a permis à Iehan Foucher libraire iuré en l'uniuersité de Paris, d'imprimer ou faire imprimer & vendre vn liure intitulé, Epitome Mag. Sententiarum, Petri Lombardi, Collig è par F. Claude de l'espine docteur en Theologie à Paris : Et defend à tous autres imprimeurs & libraires de ce ressort, de non imprimer ne faire imprimer, vendre, ne distribuer iceluy liure, ne rien vsurper ny prendre sur sa copie en quelque maniere que ce soit, iusques à trois ans finiz & accompliz, sans l'adueu & consentement dudit Foucher, sur peine de confiscation desdits liures & d'amende arbitraire. Fait en parlement le troisiesme iour de Feurier mil cinq cens cinquante.

Collation est faicte. Du Tillet.

ILLVSTRI VIRO, D. CHRIstophoro de Marle Supremi ordinis in Senatu Parisiensi consuli Sapientissimo, F. Claudius Spinæus, Prædicator, Theologus, S.

SI non minori laude, imò maiore digni sunt (vt est apud Platonem) qui inuentis artibus & disciplinis addunt: quàm qui eas primò concœperunt: nec ita minùs gratiarum actione digni Mœcenates illi, qui intercœpta per inopiam studia continuò fouenda susceperunt. Quocirca Sapientiss Christophore, pietas tua & liberalitas me totum meaque studia tibi hoc iure addicunt & vendicant. Qui cùm sic versatus sim semper in studiorum meorum progressu, vt nunquàm plures vno mœcenates habuerim, semper tamen superiore destitutus, posteriorem alterum opportuna successione, diuina largitas exhibuit. Quare demum velut præclarum studiorum meorum collophonem fœliciter sum consequutus. Nam dum semel audires me (aduersa reflante fortuna) tertio mœcenate orbatum, miseratus hanc sortem, sponte facultatum tuarum, cùm pollicitatione, tum exhibitione, afflicto mihi ac propemodùm desponã ij

In Hyppia maiore.

denti, studia mea velut postliminio, reuocasti. Ita vt ipsa tot procellis acta, in optatissimum portum tandem liberaliter induxeris. Quid laudis igitur, quid gratiarum non debeo tibi, tuæque illustri Marlæorum familiæ? Cuius vel ipso nomine tam latè gloria diffunditur, vt familiam aliam, aut generis antiquitate, aut rerum gestarum magnitudine, nobiliorem quis minimè inueniat. Quæ Pontifices, equites, præsides, consules, ac omnis generis Reip. rectores, summo suo decore & populi Gallici profectu, se habuisse non immeritò gloriatur. Inter multos verò Hēricum à Marla, Franciæ, iuris præfectum (quem Cancellarium dicunt) omnium qui suo seculo fuerunt, sapientissimum arbitror silentio minimè prætereundum. Cuius non possum non commemorare illustre mortis genus & inuictæ fortitudinis exemplum. Nam Caroli sexti temporibus cùm Iohannes Burgundus aduersus Gallicum regnum furiosiùs tumultuari non desineret, consilio principū decretum est, vt rei quidem militaris atque armorum summa apud comitem Armeniacum esset, iuris autem ac ciuilis politiæ suprema authoritas penes Henricum à Marla maneret, vt horū consilio saluti regni rectè prospectum esse viderent omnes. At cùm

Illustre mortis genus Henrici à marla.

hominum improbitas nonnunquam ſapientum conſilia viribus vel iniquitate euertat, ſæuiſsimus hoſtis ille ſubdolè Lutetiã ingreditur, & quos Andriana crux non tegebat, crudeliter trucidat, Regem comprehendit, illos tandem Gallici populi parentes, Henricum à Marla, & Armeniacũ comitem, diris vulneribus confoſſos, nudos, in immunda humo cruentos, ac laceros, inſepultos, latronibus ſuis ludibrio eſſe iubet. Quos vix tandem à propinquis inhumari conceſſit. Hoc autẽ mortis genere quid illuſtrius, quo pro fide patriæ, & vrbis, & regis, vir generoſiſsimus, Henricus à Marla, glorioſè occubuit? quo ſanè in cælis coronam, in terris verò familiæ ſuæ gloriam immortalem & populi Gallici gratiam promeruit. Prætereo alios innumeros extua clariſs. Marlæorum familia præclaros viros, quos percenſere neque huius cartulæ breuitas, neque temporis opportunitas concederet. Horum tamen maiorũ tuorũ præclara facinora quis in te relucere non videt, ſi fidem, ſi religionem, ſi æquitatem, ſi reliquas denique virtutes tibi comites clariùs conſpiciat? Sed hanc vnam ſilere nequeo, qua literas & literatos ſic vnicè amas, colis, & foues, vt præclara iuuenum ingenia mœcenatibus ſpoliata, & quibus minùs grata eſt fortuna, li-

berorum loco, in literis alere & promouere tibi sit tanquam paterna cura & solicitudo: idque non minùs liberaliter, quàm amanter. In qua re quantùm tibi debeam, nec calamo, nec verbo testari satis vnquam potero: nec tu hominis mercede vnquam satis pensari. Proinde tibi rependat Christus post duros huius vitæ labores eam ad quam suspiras fœlicitatem. Vale Mœcenas optimè, Lutetiæ Parisiorum Calendis Februariis.

AD LECTOREM THEOlogum F. Claud. Spinæus Rothomagen.

COmpertum satis habes, Christiane lector, hominum ingenia vt disciplinarũ supremum lumen iam assequuta vides, ita inexplebili quodã ac genuino amore ad illas capessendas rapi, ac proinde in suscipiẽdis disciplinis & breuitatem & facilitatem expostulare. Quod iam experimento discimus omnes: qui in singulis artibus atque disciplinis, compendia, & epitomata, quæsita esse non minori penè diligentia quàm ipsas artes, nũc videamus. Hoc autem efficit, tum humanæ vitæ (quæ perbreuis est) cõsideratio, tum quædam nobis ad literas congenita auiditas. vel etiam hominum delicatula conditio, qui duros prolixosque in artibus discẽdis, labores fastidiunt & horrent. In qua parte tibi indulgendum existimauimus per hanc nostram epitomen, quam mediocritati sic accommodauimus, vt ea nec breuitate quæ succosiora & scitu digniora sunt apud Magistrũ prætermittat, nec prolixitate, epitomes seu compendij excedat rationẽ. Hac caussa tantùm abstinuimus ab Annotationibus Doctorum sacrorum non recentiorum modò, sed & veterum, quorũ in vnamquanque Magistri sententiarũ thesim, locos, opi-

niones, & sententiarum rationes non mediocre lumen theologiæ studiosis profectò attulissent, sed in alterum diem fortè proferenda maturiùs seruantur. Interea verò ne margines huius Epitomes frequenti tomorum D. Augustini repetitione grauarentur, postremæ pagellæ vnumquemque librum Augustini ad suum tomum retulimus. Quod de cęteris doctoribus minimè fecimus: quoniam horum testimoniis parciùs & rariùs, illius autem passim Magister vtitur. Porrò errata, incogitantia vel nostra vel typographorum, emendata suo loco pagella docebit. Quòd si quæ alia castiganda offendas (quisquis Lutetiæ agis) spectabili viro Ioāni Foucherio iurato nostræ vniuersitatis librario diligētiss. (cuius impēdiis hæc prodit in publicam vtilitatem Epitome) indicare dignator, vt sic omniū errorum admonitus, secundam editionem purgatiorē emittat. Reliqua verò nostro labore parta, si tuorū studiorum commodo & præsidio senseris, Deo opt. (à quo omne bonum dimanare fatemur) accepta ferto. Sin minus, quod deesse iudicabis, addito. Hoc tamen nos tibi fecisse arbitramur: vt ea quæ inuoluta, perplexa, dissecta, ac tandem lectori morosa, prius occurrebāt, nunc ad facilem captū tuum, & animi iucūditatem (citra verborū ac sententiarū q̄ minimùm fieri potuit, immutationem) reuo

cata esse, vt ex huius Epitomes & alteri⁹ collatione liquidò constat, quisque deprehendere possit. Adiecimus & nomina sacrorū conciliorum, doctorum, & patrum, quorum sententiæ à Magistro in hoc nostro compendio afferuntur. Nec præterire etiam visum est nomina hęreticorum, quos nominatim hic reprobat Magister. Demum, summā huius Epitomes in libros & distinctiones claro pulchroque ordine subiecimus. Quæ omnia, obtestor, amabili animo in tui gratiā lucubrata, suscipe.

CATHALOGVS SACRORum Conciliorum, Doctorum, & patrum.

Concilia.

A panense
Ariminense
Carthaginense
Maguntinum
Nicænum
Toletanum

Docto. et Patres.

Augustinus
Ambrosius
Athanasius
Alcuinus
Boetius
Chrysostomus
Cyrillus
Cassiodorus
Calixtus
Didymus
Damascenus
Esichius
Euseb. Emissenus
Euaristus papa
Fabianus
Gregorius
Hieronymus
Iulius papa

Isidorus
Ioánes Apocrisarius
Innocentius papa
Iulianus Toleta. epi.
Leo tertius
Nicolaus papa
Origenes
Orosius ad Aug.
Pius papa
Rabanus
Strabus
Sixtus pythagoricus
Theodorus Cartaginen. episcopus
Vrbanus secundus.

HAERETICI

Arriani
Eunomiani
Iouiniani
Manichæani
Pelagiani
Sabelliani
Timothiani
Tatiani

VNIVERSALIS DE DEO,

deque eius admirandis effectis, consideratio Theologi, in quatuor libros per Magistrum Sententiarum distributa.

LIber primus, quadraginta & octo distinctionibus contemplatur Deum, in æternitatis abyssо, se, & alia, in se intelligentem, & volentem.

Distinctio. 1. Cuius distinctio prima tradit de vniuersali obiecto theologiæ, scilicet de rebus & signis.

2. de rebus fruibilibus, scil. vnitate diuinæ essentiæ, & personarum trinitate, inuestigabilibus ex scripturis.

3. de iisdem fruibilibus rebus inuestigabilibus per creaturas.

4. de Personarum processionibus. 9. b.

5. de genitore & genito.

6. de potentia generantis. 14. a.

7. de propietate potentiæ generantis.

8. de diuinæ essentiæ, cũ processionũ & 17. a.
procedentium pluralitate, simplicitate, & immutabilitate.

9. de coæternitate genitoris, geniti, & 19. b.
generationis.

10. de processione Spir. sancti passiua. 22. a.

11. de processione Spiritus sancti actiua. 23.

12. de ordine processionis Spiritus san- 25. a.

cti à patre & filio.

13. de differentia processionis & generationis in diuinis.

14. de processione temporali Spiritus sancti inuisibili.

15. de principio temporalis processionis Spiritus sancti in personis increatis.

34. 16. de processione temporali eademque visibili Spiritus sancti.

36. 17. de processione Spir. sancti inuisibili.

18. de proprietate Spiritus sancti secundum quam temporaliter procedit.

42. 19. de æqualitate personarum.

20. de personarum æqualitate in operandi potentia.

21. de modo loquendi de personis cum exclusiua dictione.

22. de multiplici nominum ac prædicationum differentia in diuinis.

23. de hoc nomine, Persona.

24. de nominibus numeralib⁹ in diuinis.

25. de nomine hoc, persona, accepto pluraliter.

26. de proprietatibus personarum.

57. 27. de diuersis nominibus proprietatum personalium.

28. de proprietatibus non personalibus.

61. 29. de communi spiratione.

30. de relationibus quæ cõueniunt Deo ex tempore.

31.de appropriatis.
32. de intellectu assignatarum proprietatum, præsertim de amore & sapientia.
33.de comparatione proprietatis personarum ad essentiam.
34.de personarum cum essentia vnitate.
35. de attributis quæ conueniunt Deo respectu creaturæ. 70.
36. de comparatione rerum scitarum ad Dei scientiam, & modo quo res sunt in Deo. 71
37.de comparatione Dei ad res, & modo quo Deus est in rebus. 72.
38. de comparatione scientiæ Dei ad res scitas. 74. a. b.
39.de immutabilitate scientiæ Dei.
40. de prædestinatione & reprobatione, & eorum effectibus. 76. b.
41. de causa reprobationis & prædestinationis.
42. de omnipotentia Dei. 79. b.
43.de quantitate omnipotentiæ Dei.
44.de qualitate potentiæ Dei.
45. de volũtate Dei & eius acceptione. 83. a.
46.de voluntate quo ad suos effectus.
47.de diuinæ voluntatis impletione.
48.de conformitate voluntatis humanę ad diuinam.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Liber secundus 44. distinctionibus contemplatur Deũ, mundum æterno præuisum, in tempore producentem.

Dist. prima tradit de creatione vniuersi.

2. de creatione angelorum.

3. de angelis secundum suas conditiones intrinsecas.

4. de angelorum morali bonitate, vel malitia in sua creatione.

5. de conuersione & auersione Angelorum.

6. de consequentibus auersionem angelorum.

7. de angelorum libero arbitrio.

8. de angelorum incorporeitate.

9. de consequentibus confirmationem angelorum.

10. de missione angelorum.

11. de custodia angelorum.

12. de corporalis creaturæ conditione. & primò quãtum ad materiale principium.

13. de dierum operumque distinctione.

14. de operibus secundæ, tertiæ, & quartæ dierum.

15. de opere quintæ diei & sextæ.

16. de hominis creatione quantum ad principium effectiuum.

17. de creatione animæ humanæ.

18. de productione mulieris.

19. de statu hominis in natura integra.

20. de ſtatu naturæ per Adam ante peccatum propagandæ.
21. de lapſu primi parentis. 121.
22. de cauſa primi peccati, quo homo tentatus lapſus eſt.
23. de Dei permiſsione in actu tentandi & ſcientia Adæ ante lapſum. 126. a
24. de adiutorio per quod homo ante lapſum ſtare potuit.
25. de conditionibus lib. arbitrij.
26. de auxilio lib. arbitrij, ſcil. gratia.
27. de virtute eiuſque actibus.
28. de erroribus Pelagianorum & Manichæorum circa gratiam & lib. arbitrium.
29. de poteſtate lib. arbitrij ante lapſum.
30. de peccato originis & tranſitu eiuſdem in poſteros. 141. a.
31. de peccato originali, quomodo trāſeat à patribus in poſteros.
32. de ablutione peccati originalis per baptiſmum.
33. de peccato originali quantum ad numerum.
34. de peccato actuali & eius cauſſa.
35. de peccato actuali quo ad eius quidditatem, & ſubſtantiam, & cauſſam.
36. de effectu peccati.
37. de cauſſa peccati ſecundum quorundam opinionem.
38. de actibus quantum ad potentias à 157. a

quibus producuntur.

39.de subiectiua potentia actus.

40.de actibus exterioribus.

41.de actibus infidelium.

42.de actu peccati quoad suas differentias,scil. quo ad actum exteriorem & interiorem.

43.de grauissimo omnium peccatorum, scilicet in Spiritum sanctum.

44.de potentia peccandi.

LIber Tertius,40. distinctionibus contemplatur Deum in tempore plenitudinis incarnatum, mundum sufficienter redimentem.

Distinctio prima tradit de verbi Dei incarnatione , ex parte personæ quæ assumit naturam humanam.

2.de eadem incarnatione ex parte naturę assumptæ.

3.de conditione naturæ assumptæ.

4.de agente quo formata est natura assumpta.

5.de modo vtriusque naturæ,& assumentis & assumptæ.

6.de opinionibus & loquutionibus exprimentibus verbi incarnationem.

7.de definitione loquutionũ iuxta prædictas opiniones.

8.de consequentibus incarnationem.

9. de iis quæ conueniunt naturæ humanæ, ratione naturæ diuinæ. 177.

10. de iis quæ cõueniunt Christo ratione naturæ humanæ, quoad dignitatem siue naturalem siue gratuitam. 178. b.

11. de iis quæ conueniunt Christo ratione naturæ humanæ, quantũ ad defectus qui natura msequuntur.

12. de incœptione quomodo Christo conueniat.

13. de dignitate naturæ humanæ in Christo, ratione vnionis ad verbum.

14. de comparatione sapientiæ Christi ad sapientiam Dei.

15. de defectibus quos Christus assumpsit cum natura humana. 183. a.

16. de modo quo defectus superiùs expositi Christo infuerunt.

17. de potentiis & operationibus naturæ humanæ in Christo.

18. de merito Christi. 188. a.

19. de efficacia & vtilitate passionis Christi.

20. de possibilitate alterius modi redemptionis, & de congruitate modi accepti.

21. de iis quæ ad mortem Christi pertinent.

22. de iis quæ consequuntur eam.

23. de virtutibus theologalibus. 195. a.

24. de fide quantum ad eius obiectum

siue materiam.
25.de fidei virtute & efficacia.
26.de spe. 199.b.
27.de charitate. 200.
28.de numero diligendorum.
29.de ordine diligendorum.
30.de ordine charitatis, secundum ordinem meriti.
31.de duratione charitatis.
32.de charitate increata qua Deus nos diligit.
33.de virtutibus cardinalibus. 204.b.
34.de donis. 209.b. spiritus sancti.
35.de donorum quorundam differentia.
36.de connexione eorum.
37.de operibus mandatorum. 214.a
38.de pertinentibus ad octauum præceptum, quod in officio linguæ est.
39.de periurio.
40.de duobus quę consistunt in animo.

LIber quartus 49.distinctionibus contemplatur Deum, sub signis & sacramẽtis, meritum Christi incarnati & passi distribuentem, ac demũ iis adiutos efficaciter beatificantem.

Distinctio prima, Primò de sacramentis in genere, secundò de sacramento veteris legis. 222.a.

2.de sacramentis nouæ legis.

3.de ordine & numero ſacramentorum no. legis: & primò de baptiſmo. 1.
4.de effectu baptiſmi, per comparationē ad ſuſcipientes.
5.de eodem per comparationem ad miniſtros.
6.de eodē quantū ad vſum & ſolēnitatē.
235. a. 7.de ſacramento confirmationis. 2
8.de ſacramento Euchariſtiæ.
9.de eodem quantum ad vſum. 3
10.de eodem quantum ad veritatem.
11.de eodem quantum ad conuerſionē ſubſtantiæ in ſubſtantiam.
12.de conſequentibus conuerſionem.
13.de eodem quantū ad diſpēſationem.
244. 14.de pœnitētia quo ad ſuā quidditatē. 4
15.de eadē quantū ad ſui integritatem.
16.de partibus pœnitentiæ. integralibus.
17.de confeſsione ſacramentali.
18.de poteſtate miniſtrorum ſacramenti pœnitentiæ.
252. b. 19.de clauibus Eccleſiæ. 254 b.
20.de quibuſdam pœnitentiam conſequentibus.
21.de quibuſdam quæſitis circa confeſſionem ſacramentalem.
22.de effectu ſacra. pœnitentiæ ſcil. remiſsione peccatorum.
23.de extrema vnctione. 5.
24.de ſacramentis quæ ordinantur ad

remedium totius Ecclesiæ. Et primò de sacramento ordinis, quod pertinet ad multiplicationem spiritualem Ecclesiæ.

25. de conferentibus & suscipientibus sacramentum ordinis.

26. de sacramento matrimonij, quod pertinet ad carnalem multiplicationem Ecclesiæ.

27 de causa effectiua matrimonij, scilicet consensu.

28. de qualitate consensus requisiti ad matrimonium.

29. de impedimentis consensum remorantibus.

30. de impedimento erroris.

31. de bonis matrimonij.

32. de actu matrimonij. s. ratione debiti.

33. de matrimonio antiquorum patrum.

34. de causa materiali matrimonij, scilicet personarum legitima coniunctione.

35. de diuortio.

36. de impedimẽtis concomitatibus matrimonium.

37. de impedimentis quæ impediunt cõtrahendum matrimonium.

38. de impedimento voti.

39. de impedimentis quæ faciunt personam penitùs illegitimam respectu quarũcunque personarum.

40. de impedimento cognationis.

41. de affinitate.
42. de cognatione ſpirituali.
43. de beatitudine ad quam per ſacramenta perducitur homo.
44. de reſurgentium conditione, primò bonorum, ſecundò malorum.
45. de finali omnium præmio.
46. de pertinentibus ad iudicium.
47. de iudicij forma.
48. de perſona iudicantis.
49. de finali remuneratione bonorum & malorum.
50. de pœna malorum.

CATALOGVS TOMOR. D. Auguſt. ex quibus hauſit Magiſter authoritates pro Sententiarum confirmatione.

Tomus primus complectitur.

Lib. de libero arbitrio,
De quantit. animæ
Retractationum
De Vera Religione
De falſa pœnitentia.

Secundus,

Epiſtolarum
Ad Ianuarium
Ad Dardanum de Præſcientia
Ad Sixtum presbyterum
Ad Honoratum.

	De Trinitate
	De fide ad Petrum.
To.	Enchirid. de Eccles. Dogmat.
Ter-	De Ciuitate Dei.
tius,	De Doctrina Christiana
	super Genesin.
	Lib. 83. Quæstionum.
	De Sermo. Domini in monte
Tomus	Ad Orosium in Dialog.
quar-	Ad Simplicianum
tus,	Contra mendacium
	In Exodum,
	De vera & falsa pœnitentia

EX TO. 5. NVLLAE
à Mag. afferuntur authoritates in Sentent. libris.

	Ad Maximinum
	In Abacuch
	De Bono Coniugali
	Ad Valerium de Nuptiis
Tomus	De Honest. Coniugator.
Sextus,	De duabus animabus
	contra Faustum
	Ad Optatum.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

De Baptismo paruulorum
De correctione & gratia, ad Prosperum.
De Natura & gratia
De Vnico baptismo
Tomus Septimus.
Contra Parmenianum
De Prædestinat. Sanctorum
Ad Valerium de nupt. & concup.
Contra Cælestium.
Contra Donatistas
Ad Valentinum
De gratia & lib. arbit.

TO. OCTAVVS

In Psalmos.

In Iohannem
To. nonus.
In Canon. epistolas
De decem chordis
De Pœnit. medicina
De Symbolo
Ad Roma.

TO. DECIMVS

De Verb. Apostoli.

AD LECTOREM
Ogdoastichon.

Iliadem nuce cõclusam est mirata vetustas,
Quũ foret hęc lepidis fabula mixta iocis.
Esto,sint sanè vel quædam seria,quid tum?
Vix fuerat paucis vtilis ille labor.
Desine,vel potiùs doctũ hũc mirare libellũ,
Quẽ resecat docta nũc tibi Spina manu.
Est piº,est breuis,est facilis,paruoq; paratur
Aere,dehinc multis proderit iste labor.

De Petro Lombardo sic habet Tritthemius lib.de scriptor.Ecclesiast.

Petrus Lombardus,episcopus Parisiensis ex scolastico,vir in diuinis scripturis studiosissimus,& nobiliter doctus, ingenio subtilis, & clarus eloquio,nomen suum scribẽdo cum tanta gloria transmisit ad posteros, vt vsque in hodiernum diem eius opusculis Theologorum scola vbique exercitata,singulari veneratione Magistrum eum nominet & habeat. Scripsit enim sagaci studio ex dictis sanctorũ patrum cõmendabile opus, Sententiarum lib.4. Cupientes aliquid.&c. In totum Psalterium lib.1. Quum omnes prophetias, &c. In omnes epistolas Pauli lib.14.Principia rerũ, &c. Sermones varios lib.1. Alia quoq; non pauca composuit,quæ ad notitiam meam non venerũt. Claruit sub Conrado imperatore.3.an.Domini 1140.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Prologus magistri Petri Lombardi, in vniuersum Sentent. opus.

Lu. 21.

GVpientes aliquid de penuria ac tenuitate nostra cum paupercula in Gazophilacium mittere: opus vltra vires nostras agere præsumpsimus. A quo nos dehortatur infirmitas deficiendi, quam tamen vincit zelus domus dei. Quo inardescentes fidem nostram aduersus errores carnalium atque animalium hominum Dauidicæ turris clypeis munire, vel potiùs munitam ostendere: ac Theologicarum inquisitionum abdita aperire, necnon & sacramentorum Ecclesiasticorum noticiam tradere studuimus. Itaque hæreticorum ora oppilare, ne virus nequitiæ in alios effundere queant, labore multo hoc volumen compegimus ex testimoniis veritatis in quatuor libros distinctum. Non igitur debet hic labor cuiquam pigro vel multum docto videri superfluus, quum multis impigris multísque indoctis necessarius, breui volumine complicans patrum sen-

Beneuolentiam, Auditorum à pio desiderio si parat.

Attentionem à rei dignitate & vtilitate.

tentias, appositis eorum testimoniis, vt non sit necesse quęrenti librorum numerositatem euoluere, cui breuitas quod quæritur offert sine labore. Vt autem quod quæritur faciliùs occurrat, titulos quibus singulorum librorum capita distinguuntur præmisimus.

Docilitatem à dicendorum breuitate & ordine.

DE OBIECTO Theologiæ.

DISTINCT. Primæ CAP. Primum.

Theologia aut de Rebus, aut de Signis est.

Diuiditur materia operis.

Quid Res.

Quid Signum.

Signorum genus multiplex.

VEteris ac nouæ legis continentia circa res vel signa præcipuè versatur: vt docet Augustin. de Doctri. Christ. Sed res etiam per signa discuntur. Res autem dicuntur quæ non ad significandum aliquid adhibentur: Signa verò, quorum vsus est in significādo. Eorum autem aliqua sunt, quorum omnis vsus est in significando, non in iustificando, quibus non vtimur nisi aliquid significandi gratia: vt sacramēta legalia: Alia, quæ non solùm significant, sed conferūt *Lib. 1. cap. 2.*

quod intus adiuuet, vt Euangelica sacramenta. De his ergo nobis aditum ad res diuinas aliquatenus intelligendas, Deo duce, aperire volentibus, differēdum est. Et primùm de Rebus, postea de Signis differemus.

CAP. *Secundum. Frui & Vti differunt.*

RErum autem (vt ibidem ait Aug.) aliæ sunt quibus fruendum est, quę nos beatos efficiunt, vt Personarum Trinitas communis omnibus fruentibus. Aliæ quibus vtendum, quæ nobis adiumento sunt ad vitam beatam consequendam. Aug. Vtendum est hoc modo, non fruendum, vt inuisibilia dei per ea quæ facta sqnt intellecta, conspiciantur. i. vt de temporalibus æterna capiantur. Et idem alibi: Fruimur cognitis, in quibus ipsis propter se voluntas delectata conquiescit: Vtimur autem his quæ ad aliud referimus quo fruendum est. Vnde Frui est amore alicui inhærere propter seipsam. Vti verò est id quod in vsum venit referre ad obtinendū illud quo fruendum est, aliàs Abuti est. Rerum item aliæ sunt quæ fruuntur & vtuntur: vt nos,

Res sunt multiplices.

Lib. 1. Cap. 4.

Ro. 1.

Lib. 10 de Tri. Ca. 10.

Quid Frui.

Quid Vti.

Angeli, & Sancti, quasi inter vtrasque constituti.

CAP. Tertium. Homine non est simpliciter fruendum.

CVm autem homines qui fruuntur & vtuntur aliis rebus, res aliquæ sunt, quæritur vtrum se frui debeant, an vti, an vtrũque. Ad quod sic respondet Aug. libr. de Doctr. Christi. Si propter ~~se homo diligendus est, fruimur eo: si propter aliud, vtimur eo~~. Videtur autem mihi propter aliud diligendus. Quod ~~enim propter~~ se diligendum est, ~~in eo constituitur beata vita~~. Neq; huic cõtrarium videatur quod ad Philemon. ait Apost. Itaque frater ego te fruar in domino: quia addendo in domino, se eo frui significauit: quũ enim (vt ait Aug.) homine frueris in domino, deo potiùs quàm homine frueris. Ca. 22. Li. 1. de doctri. Christ. Ca. 33.

CAP. Quartum. Deus non fruitur nobis, nec propriè vtitur.

QVærit Aug. quomodo Deus nos diligat, an vt vtens, an vt fruẽs. Et procedit ita: Si fruitur, eget

bono nostro, quod nemo sanus dixerit.
Psal.15 Ait enim Psal. Bonorum nostrorum non indiges. ~~Omne enim bonum nostrum vel ipse est, vel ab ipso est.~~ Non ergo fruitur nobis. Vtitur igitur: aliàs si non fruitur nec vtitur, non inuenio quomodo diligat nos. Vtitur igitur nobis, non autem ~~vt nos~~ rebus ~~aliis quibus vtimur ad dei bonitatem perfruendam~~: sed nobis vtitur, ad suam bonitatem vsum nostrum referendo. Isque vsus quo sic nobis vtitur deus, ad eius tãtummodo bonitatem est: non autẽ ad suam, sed nostrã vtilitatem.

CAP. Quintum. Virtutibus non est fruendum.

QVibusdam videtur quòd virtutibus sit vtendum, non fruendum: quia propter se non sunt amandæ, sed propter æternam beatitudinem,
Li.1.de doctri. Christ. Cap.33 sentẽtiam cõfirmantes authoritate Aug. dicentis non fruendum nisi Trinitate. Aliis autem contrarium videtur fultis authoritate Ambrosij cap.5.ad Gal. Fructus autem Spiritus est charitas, gaudiũ: Fructus autem propter se petendi sunt, igitur propter se amandi. Dicimus itaq; quòd virtutes, propter se & petendæ &

amandæ sunt, quia delectant sui possessores, & eis pariunt gaudium spirituale, & tamen amandæ sunt propter solam beatitudinem: quia non est hic consistendum, fruendo illis: sed vltrà gradiendum. Nam per eas fruendum est summo bono. & ita de voluntate bona dicimus. Vnde Aug. lib. 1. cap. 1. de Trinit. ait: Voluntas est per quam fruimur. & ita per virtutes fruimur, non eis, nisi fortè aliqua virtus sit deus, vt charitas, de qua pòst tractabitur. 1. *Io.* 4. *Lib.* 1. *dist.* 7.

DE REBVS FRVIBILIbus. i. vnitate Diuinæ Essentiæ & Personarum trinitate, inuestigabilibus ex Scripturis.

DISTINCT. Secundæ
CAP. Primum.

Inquiritur diuinæ essentiæ vnitas, & personarum pluralitas, primò authoritatib⁹.

In personarum Trinitate vna est essentia deitatis.

HOc itaque pia ac vera fide tenendum est, quòd Trinitas sit vnus & solus verus deus, vt ait Aug. 1. de Trinit. scil. Pater, Filius, & Spiritus san- *Cap.* 2. & 4.

ctus. Et hæc Trinitas vnius eiusdémque ſubſtantiæ vel eſſentiæ dicitur, creditur, & intelligitur. Quæ eſt ſummũ bonum, quod purgatiſsimis mentibus cernitur.

Cap.1. & 2. Idem habet de fide ad Petrum: vbi vnam Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, eſſentiam, quam Græci Homouſion vocant, confitentur. In qua non eſt aliud Pater, aliud Filius, aliud Spiritus ſanctus: quãuis ſit perſonaliter alius Pater, alius Filius, alius Spiritus ſanctus. Iſtud autem primò authoritatibus ſanctarum Scripturarum demonſtrandum eſt, nempe quòd vnitas eſſentiæ ſit in perſonarum pluralitate & in vnitate eſſentiæ perſonarum pluralitas. Deinde rationibus catholicis & ſimilitudinibus congruis, vt primo lib. de

Cap.2. Trinit. docet Aug. Primò occurrant ipſa legis exordia, vbi ait Moſes: Audi Iſrael,

Deu.6 Dominus Deus tuus vnus eſt. Item: Ego ſum dominus deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti. Non erunt tibi alij dij prę-

Exo.20 ter me. Ecce hoc in loco ſignificauit vnitatem naturæ diuinæ, quoniam Deus (vt ait Ambroſ. libr. 1. de Trinita.) nomen eſt naturæ, dominus verò nomen eſt poteſtatis. Idem etiam manifeſtatur in lib. Exod. 3. & 15. cap.

CAP. Secundum. In diuinæ essentiæ vnitate pluralitas est personarum.

PErsonarum quoque pluralitatem & naturæ vnitatem idem ostendit Dominus, dicēs faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostrā. Dicens enim: Faciamus: &, nostram, pluralitatem personarum ostendit. Dicens verō imaginem, vnitatem essentiæ, quia (vt S. Aug. de fide ad Petrum ait) si vna tantum esset persona, non diceretur, faciamus hominem &c. Cùm enim dicit, Ad imaginem, ostendit vnam naturam esse. Rursus Moses dicit: In principio creauit deus cælum & terram. Per deum significans patrem: Per Principium significans filium: & pro eo quod apud nos dicitur deus, Hebraica veritas habet, Heloin. i. dij siue iudices, quod ad pluralitatem personarum refertur. Ille etiam maximus Prophetarum & Regum Dauid distinctionem personarum insinuat dicens: Verbo domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. & alibi: Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, & metuāt eum omnes fines terræ. Trina enim confessio

Ge. c. 1

Gen. 1.

Psal. 32

Psal. 66.

Dei, trinitatem exprimit personarũ, vnitatem verò essentiæ aperit, cùm singulariter subiungit, eum. Esaias quoque audi-
Cap. 53 uit Seraphin clamantia, Sanctus, Sanctus, Sanctus dominus deus. Per quæ & pluralitas personarum & vnitas essentiæ comprobatur.

Dominus Christus diuinæ essentiæ ac
Matt. vlti. personarum trinitatem apertè insinuat dicens Apostolis: Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. In nomine vtique ait (vt Ambros. dicit lib. primo de Trini.) non in nominibus, vt vnitas essentiæ ostendatur. Per nomina tria quæ suppposuit, tres personas declarauit. Vnde ipse ait: Ego & Pater
1. Iohã. Cap. 5. vnum sumus. Iohannes quoque in sua Canon. Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbũ, & Spiritus sanctus. & hi tres vnum sunt. & in initio Euangelij sui, In principio erat verbum. Insuper
ad Gal. 4. Apostolus apertè Trinitatem distinguit dicens: Misit deus Spiritum filij sui in
Ad Ro. 8. corda nostra. & alibi: Si Spiritus eius qui suscitauit Christum à mortuis, habitat in
Ad Ro. 2. Ca. 1. nobis. & rursus: Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Ipsi gloria. Ex quo ait Aug. 1. de Trinit. Trinitas personarum & vnitas deitatis insinuatur.

CAP. Tertium. *Personarum Trinitas est sine diuersitate & singularitate.*

HIlarius quoque lib. 3. de Trinit. dicit: Illis verbis Gen. 1. Faciamus hominem &c. quòd in Trinitate nec diuersitas, nec singularitas, vel solitudo, sed similitudo & pluralitas siue distinctio significatur. Ait enim sic: Qui dixit, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, inuicem esse sui similes in eo quod dicit Imaginem & similitudinem nostram, ostendit. Imago enim & similitudo sibi non est: neque diuersitatem duobus admisceri alterius ad alterum similitudo permittit. Idem libr. 4. Professio consortij sustulit intelligentiam singularitatis: quia consortium aliquod nec potest sibiipsi esse solitario: neque rursum solitudo solitarij recipit, faciamus: neque quisquam alieno à se loquitur, nostram. Vterque ergo sermo, scilcet Faciamus, & Nostram, vt solitarium eundémque non patitur: Ita neque diuersum à se alienúmque significat. Solitario conuenit Faciam & Meam: non solitario verò conuenit dicere, Faciamus, & Nostram. Vterque sermo vt non solitarium tantùm, ita neque differentem *Circa finem.*

esse vel diuersum esse significat.

CAP. Quartum. Personæ nobis innotescunt attributis suis.

Psal.3. DAuid æternam filij generationem apertè insinuat ex persona filij, dicens: Dominus dixit ad me, Filius meus es tu: ego hodie genui te. Eadém-
Cap.8. que generatio ostenditur in lib. Sap. vbi Sapientia ita loquitur: Dominus possedit me ab initio viarum suarum: antequàm quicquam faceret, à principio ab æterno ordinata sum: & necdum erant abysi, & ego iam concepta eram &c.
Cap.5. Michæas quoque propheta vtranque & æternam & temporalem Verbi generationem simul insinuat, dicens: Et tu Bethleem Ephrata, paruulus es in milibus Iuda. Ex te egredietur qui sit dominator in Israel: & egressus eius ab initio & diebus æternitatis.

De Spiritu sancto etiam expressa documenta in veteri testamento habemus.
Gen.1. In Gen. enim legitur: Spiritus domini
Psal. ferebatur super aquas. & Dauid: Quò
138. ibo à Spiritu tuo? In lib. Sapientiæ dicitur: Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fi-
Esa.61 ctum. Esaias quoque: Spiritus domini super me, eo quòd &c.

3.

DE IISDEM FRVIBILIbus rebus inuestigabilibus per creaturas.

DISTINCT. Tertiæ
CAP. Primum.

Diuina essentia multipliciter per creaturas innotuit.

Nunc rationibus & similitudinibus vnitas essentiæ & personarum pluralitas inuestigatur. & primò his rationibus quibus Apost. deũ cognoscibilem esse ostendit. Homo cur dicitur creatura mundi ab Apost.

APostolus nãque ait: Inuisibilia dei à creatura mũdi per ea quę facta sũt conspiciuntur: sempiterna quoque eius virtus & diuinitas. Homo ergo (qui creatura mundi dicitur, vel propter excellentiam, vel conuenientiam quam habet cum omni creatura) à duobus adiuuatur, scilicet à natura, quæ rationalis est: & ab operibus à deo factis. Potuerunt ergo homines cognoscere vltra omnem creaturam esse illum qui ea fecit, quem nulla creaturarum vel efficere, vel destruere valet: vt dicit Ambros. in cap. 1. ad Roma.[2] Alio modo cognouerunt dei veritatem ductu rationis, vt ait Aug. lib. de Ciuit. Dei. Viderunt summi philosophi nullum corpus esse deum: ideo cuncta corpora transcenderunt quærentes deum. Viderunt etiam & quicquid mu-

Ro. 1.

Primo per viã causalitatis.

2. per viam negationis.

tabile est nõ esse summũ deum omniúmque principium: ideo animam mutabiléque spiritus transcenderunt. Deinde viderunt omne quod mutabile est non posse esse, nisi ab illo qui incommutabiliter est. Considerauerunt etiam quicquid est in substantiis vel corpus esse vel spiritum, meliúsque aliquid spiritum esse quàm corpus, sed longè meliorem qui fecit spiritum & corpus. Intellexerunt etiam corporis speciem esse sensibilem, & spiritus speciem intelligibilem, & intelligibilem speciem sensibili prætulerũt.

3. per viam eminẽtiæ quo ad esse.

4. per viam eminẽtiæ quo ad potentias.

CAP. *Secundum. Innotuit vestigium Trinitatis in creaturis ab vnitate, specie, & ordine.*

3 Similitudinibus vestigij & imaginis inuestigatur pluralitas personarum.

HVius enim Trinitatis vestigium in creaturis apparet. Hæc enim quæ arte diuina facta sunt, & vnitatem quandam in se ostendunt, & speciem, & ordinem, quæ in quolibet creatorum inCap. 1. ueniuntur, vt dicit Aug. lib. 6. de Trini. Nam vnumquodque horum creatorum & vnum aliquid est: Sicut sunt naturæ corporum, & ingenia animarum. Et aliqua specie formatur: sicut sunt figuræ &

qualitates corporum, ac doctrinæ vel artes animarum. Et aliquem ordinem petit vel tenet: sicut sunt pondera vel collocationes corporum, & amores vel delectationes animarum. Et ita in creaturis prælucet vestigium Trinitatis, quoniam tribus personis hæc tria conueniunt. In illa enim Trinitate Pater est summa rerum omnium origo, à quo sunt omnia. Filius perfectissima pulchritudo, nulla ex parte dissimilis, quæ forma est omnium quæ ab intellectu facta sunt, & ad vnum referuntur. Et Spiritus sanctus bonitas, per quem Pater summè bonus omnia per Filium operatur. Per considerationem itaque creaturarum vnius substantiæ Trinitatem intelligimus, scilicet, vnum deum Patrem, à quo sumus: Filium, per quem sumus: & Spiritum sanctum, in quo sumus: scilicet principium ad quod recurrimus, & formam quam sequimur, & gratiam qua reconciliamur.

Vestigium secundum vnitatem, speciē, & ordinem.

CAP. *Tertium. Trinit" potentiarum humanæ mentis Trinitatem Personarum (vt imago) repræsentat.*

Cap. 8. AVguſt. 14. de Trinita. Licet humana mens non ſit eius naturæ cuius Deus eſt: tamen illius quo nihil melius eſt, ibi quærenda & inuenienda eſt: quæ (etiam amiſſa vel nondum habita) Dei participatione permanet. quoniam eo ipſo imago Dei eſt mens quo capax eius eſt. Sic ergo in ea Trinitatem, quæ Deus eſt, inquiramus. Ecce enim mens meminit ſui, intelligit ſe, diligit ſe. Hoc ſi cernimus, cernimus Trinitatem, nondum quidem Deum, ſed imaginem Dei. Hæc enim apparet quædam Trinitas memoriæ, intelligentiæ, & amoris.

Imago ſecundum potentias rationalis creaturæ.

CAP. Quartum. *Trinitas potentiarum & Trinitas Perſonarum in aliquibus conueniunt, & aliquibus non, primò in relationibus & abſolutis conueniunt.*

Cap. 2. AVguſt. lib. 10. de Trinita. Tres potentiæ illæ non ſunt tres vitæ, ſed vna vita: nec tres mentes, ſed vna mens, vna eſſentia. Illæ ad aliquid dicuntur. Vita verò dicitur ad ſeipſam, & mens, & eſſentia. Hæc ergo tria eo vnum ſunt, quo vna eſt vita, vna mens, (&

vna essentia, & quicquid aliud ad seipsa singula dicuntur, etiam simul non pluraliter sed singulariter dicuntur.

Secundo in æqualitate.

AEqualia etiam sunt non solùm singula singulis, sed etiam singula omnibus: alioqui non se inuicem caperent: capiuntur enim & à singulis singula, & à singulis omnia. Memini enim me habere memoriam, & intelligentiam, & voluntatem: & intelligo me intelligere & velle atque meminisse: & volo me velle meminisse & intelligere, totamque meam memoriam, & intelligentiam, & voluntatem simul memini. Similiter cùm hæc tria intelligo, tota simul intelligo. & voluntas totam intelligentiam & memoriam capit, dum vtor toto eo quo intelligo & memini. Ecce illius summa vnitatis atque Trinitatis imago humana mens licet impar. Mens autem hic accipitur pro animo ipso: quamuis ab Aug. mens non dicatur ipsa anima, sed quod in ea est excellentius. *Lib. 15. de Tri. Cap. 7.*

Quomodo tres potentiæ animæ dicuntur vna essentia.

VIdetur verum non esse quòd tres potentiæ dicantur vna essentia: cùm mens siue spiritus rationalis sit essentia quædam spiritualis & incorporea: illa verò tria naturales proprietates seu vires sunt ab inuicem differentes. Dicuntur vnũ siue vna substantia, quia in ipsa anima vel mente substantialiter existunt: Non sicut accidentia in subiectis, quæ possunt adesse vel abesse, vt dicit Aug. 9. de Trinit. cap. 9. Respõsio.

CAP. *Secundum. In aliquibus non conueniunt.*

Aug. lib. 15. de Tri. cap. 22

VErũtamen caueat ne hanc imaginem ab eadem Trinitate factam ita ei comparet, vt omnino existimet similem: sed potius in qualicunque ista similitudine magnam quoque dissimilitudinem cernat.

Prima dissimilitudo.

QVod breuiter ostendi potest. Homo vnus per ista tria meminit, intelligit, diligit, qui nec memoria est, nec intelligentia, nec dilectio, sed hæc habet: non enim ipse est hæc tria. In illa verò simpliciſsima natura quæ est Deus, quamuis vnus sit Deus, tamen tres personæ sunt, Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Et hæ tres personæ sunt vnus Deus.

Altera dissimilitudo.

RVrsus ista imago quæ est homo, habens illa tria, vna persona est. Illa verò Trinitas non vna persona est, sed tres personæ. Itaque in ista imagine Trinitatis non hæc tria vnus homo, sed vnius hominis sunt. In illa verò summa Trinitate tria non vnius Dei sunt, sed vnus Deus: & tres sunt illæ personæ, non vna persona.

DE PERSONARVM PROcessionibus.

DISTINCT. Quartæ
CAP. Primum.

Cõcedendum est quòd Deus genuit Deum.

HIc quæritur an sit cõcedendum quòd Deus genuit Deum, quum Deus Pater genuerit filium Deum. Si enim Deus genuit Deum, aut se Deum, aut alium Deum genuit. Si alium Deum, non est igitur tantùm vnus Deus. Si autem seipsum genuit Deum, aliqua res seipsam genuit.

De comparatione generationis ad terminum essentialem cõcretum.

Ad quod respondentes dicimus quòd Deus genuit Deũ, vt in Symbolo scriptum est, Lumen de lumine, Deum verum de deo vero. Nec tamen se Deum aut alium Deum genuit: Non enim alium deum genuit, quia tantùm vnus Deus. Nec seipsum genuit, vt dicit Augustin. lib. 1. de Trinit. Cap. 1.

Sed adhuc ratiocinantur garruli: Si Deus

Pater genuit Deum, aut genuit Deum qui est Deus Pater, aut Deum qui non est Deus Pater. Si genuit Deum qui non est Pater, ergo Deus est qui non est Deus Pater. Non ergo vnus tantùm Deus est. Si verò genuit Deum, qui est Deus Pater, ergo genuit seipsum.

Ad quod respondemus, determinantes istam propositionem (Si Deus Pater genuit Deum, aut genuit Deum qui est Deus Pater, aut Deum qui non est Deus Pater) sanè & praue intelligi posse. Primò sic: Deus Pater genuit Deum qui est ipse Pater. Et id falsum est, & cõcedimus hãc, Genuit Deum qui non est Pater. Porrò hæc, Genuit Deum qui non est Deus pater, potest dupliciter etiam intelligi: Primò genuit Deum qui non est Deus Pater: scilicet Deum Filium, qui Filius non est Pater qui Deus est: & tunc est vera. Secundò sic: Genuit Deum qui non est Deus Pater. i. qui non est Deus qui Pater est: & tunc sensus est falsus.

Deus genuit Deũ qui non est Pater.

Neutra ergo istarum erit concedenda: Vel Pater genuit se Deum, aut alium Deum. Quamuis dicat Augustus ad Maximum quòd Pater se alterum genuit. quod sic intelligas, id est de se alterum à se genuit: non vtique alterum Deum, sed alteram personam. Vel genuit se alterum, id est genuit alterum qui hoc est quod ipse.

Epist. 66.

CAP. *Secundum.* Reprobatio cuiusdam erroris.

NEc assentiendum veritatis aduersariis cõcedentibus Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, siue tres personas, esse vnum deum, vnam substantiam: sed negantibus vnum deum siue vnam substantiam esse tres personas: quoniam fides catholica vtrũque prædicat & confitetur. Vnde Aug. i. de Trinit. ait: Rectè ipse Deus Trinitas intelligitur. & libr. 5. de Trinit. Non tres deos, sed vnum deum dicimus esse ipsam præstantissimam Trinitatem. *Cap. 6 & c. 8*

DE TERMINO VTROque Generationis.

DISTINCT. Quintæ

CAP. Primum.

Essentia nec est genita, nec generans.

De comparatione generationis ad terminum essentialem abstractũ.

POst hæc quæritur vtrum Pater genuit diuinam essentiam, vel diuina essentia genuit Filium, vel essentia genuit essentiam, vel omnino non genuit vel genita est. Dicendum quòd Essentia diuina nec est generans, nec generata, nomine Essentiæ intelligendo naturam quæ est communis tribus personis, & tota in singulis. Ideo non est dicendum quòd Pater genuit diuinam essentiam: quia diuina essentia relatiuè diceretur

Pater non genuit essentiam.

ad Patrem. Si autem relatiuũ esset, non indicaret essentiam, vt dicit Aug. lib. 5. de Trinit.

Cap. 7 Item si Pater esset genitor diuinæ essentiæ, eadem res sanè seipsam genuisset, quum Pater sit diuina ipsa essentia: quod Aug. negat libr. 1. de Trinit. Item si Pater est genitor essentiæ diuine, quum ipse essentia diuina sit, sequitur quòd non genito gignens, sed gignenti genitus causa est vt & sit, & Deus sit: quoniam per diuinam essentiam est, & Deus est. Simili ratione probat Aug. libr. 7. de Trinit. quòd Pater non est sapiens sapientia quam genuit: quia si ea est sapiens, ea est. Quum autem sapere & esse in eo sint idem, sequitur quòd per sapientiam genitam esset Pater. quod insanum esset dicere. Ita ergo si Pater genuit essentiam qua est, essentia quam genuit causa est illi vt sit. Non igitur ipsam qua est essentiam genuit. Sicut ergo non genuit sapientiam qua sapiens est, ita nec essentiam qua est, quia non est in illa simplicitate aliud sapere quàm esse, vt dicit August. Et sic patet quòd Pater essentiam non genuit.

Omne quod generatur, relatiuè dicitur ad generans.

Pater non est sapiens sapientia quam genuit.

Ibid.

Obiectio.

Cap. 3. HVic autem aduersari videtur quod ait Aug. lib. 8. de fid. & symb. Deus cùm Verbum genuit, id quod ipse est genuit, nec de nihilo nec de aliqua iam facta

conditáque materia, sed de seipso id quod ipse est.

Dilutio.

REspondendum, verba illa sic esse intelligenda, Pater de seipso genuit illud quod ipse est, id est Filium, qui est illud quod pater est. Nam quod Pater est, & Filius hoc est: sed non qui Pater est, & Filius hic est.

Distinctio non absoluti sed relati.

CAP. *Secundum. Essentia non genuit Filium nec essentiam.*

ITa etiam non est dicendum quòd diuina essentia genuit Filium. quia quum Filius sit diuina essentia, iam esset Filius res à qua generatur. Et ita eadem res seipsam generaret. Ita etiam dicimus quòd essentia non genuit essentiam: quia quum essentia vna res sit, tunc eadem res seipsam genuisset. Relinquitur itaque quòd Pater solus genuit Filium.

Obiectio.

PRædictis aduersari videtur quod dicit Augustinus. 7. de Trinit. Pater & Filius simul sunt vna sapiẽtia, quia vna essentia, & sigillatim sapiẽtia sapientia, sicut essentia essentia. Igitur sapientia sapientiam, & essentia essentiam genuit. Et idem de fid. ad Petrum: Sic Christum Dei Filiũ, id est vnam *Cap. 1.* *Ca. 13.*

ex Trinitate personam, Deum verum crede, vt diuinitatem eius de natura Patris natam esse non dubites. Igitur natura filij est de
Ca.20 natura Patris. Idem dicit lib.15.de Trinit.

Dilutio.

SEd hoc ita determinamus, Sapientia de sapientia, Substantia de substantia est: id est, Filius qui est Sapientia, qui est Substantia, est de Patre, qui est eadem sapientia & substantia: Et Filius qui est diuinitas, natus est de Patre, qui est natura diui-
Cap.1. na. Sic intelligẽdum docet Aug.7.de Trinit.
& li.7 Filius sapientia de Patre sapientia est, sicut
de Tri Filius lumen de Patre lumine, & Deus Fi-
nita. lius de Deo Patre, vt & singulus sit lumen, &
Cap.3. sapientia, & simul vnum lumen, vnus Deus, vna sapientia.

Aduersus expositionem datam obiectio.

HIlarius 4.de Trinita. Nihil habet Filius nisi natum. Quum ergo Filius essentiam habeat à Patre, videtur quid ea sit nata. & lib.5. Natiuitas Dei non potest eam ex qua profecta est non tenere naturam. Igitur natura Dei & genita est & genuit. & idem lib.9.de Trinit apertiùs attestatur naturam genuisse, & naturam genitam, & naturam assumpsisse naturam.

Dilutio.

Nota

Omne quod habet Filius, nascendo accepit.

SEd ipse idem 4.de Trinit.dicit: Intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi:quia non sermoni res,sed rei sermo subiectus est. Hęc ergo verba sic intelligi possunt: Nihil habet filius nisi natum: id est nihil habet nisi secundum quòd deus est, nisi quod nascendo accepit,& ipse nascendo Patris in se subsistentem naturam habuit.

CAP. *Quintum. Pater genuit Filium de sua substantia.*

AVgust. libr. de fid. ad Petrum, Pater Deus de nullo genitus Deo semel de sua natura sine initio genuit Filium Deum sibi æqualem.& eadem qua ipse naturaliter æternus est,diuinitate coæternum. *Cap.2.* Ecce hic dicit Aug. Filium genitum de natura Patris. Si ergo de natura Patris genitus est Filius, genitus est de natura Filij & Spiritus sancti: quum trium sit vna natura: imò esset de natura trium. Idem quoq; Aug. libr.15.de Trinita.exponens illud Apostoli, *Cap.2.* Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum Filij charitatis suæ. Quod dictum est,inquit,Filij charitatis suę, nihil aliud intelligitur,quàm Filij sui dilecti, *To.6.* quàm filij substantiæ suæ. Idem quoque lib. *Ca.44* 3.contra Maxim.

Quomodo hæc sint intelligenda.

His verbis præmissis innui videtur quòd diuina substantia Filium genuerit, & quòd Filius sit genitus de substantia Patris, & quòd de Deo est natura coæterna, & quòd Pater id quod ipse est genuit. Id autem quod ipse est, diuina essentia est: & ita putari potest diuinam essentiam genuisse. Sed hæc verba in eo sensu sunt accipienda, Natura coæterna de Deo est: id est, Filius coęternus Patri de Patre est: est enim eadem cum eo natura. Quem sensum confirmat Aug. ibidem subiiciens: Non est aliud Filius quàm illud de quo est, id est vnius eiusdémq; substantię est. Hunc sensum apertiùs explicat in eodem lib. cõtra Maxim. Trinitas hęc vnius eiusdémq; substantię, quia non de aliqua materia vel de nihilo est Filius, sed de quo est genitus. Et sic Filius dicitur esse de substantia Patris, quia est eiusdem substantię. Similiter Spiritus sanctus de substantia vtriusque, quia est eiusdem substantię cum illis, &c.

CAP. *Quartũ. Nec Filius nec Spiritus sanctus est de nihilo sed de aliquo, non tamen de materia.*

Hilarius lib. 12. de Trinit. ait: Vnigenitus Deus quum natus sit, Patrẽ testatur authorem: quum ex manante natus est, non est natus ex nihilo.

Similiter & Spiritus sanctus non est dicendus ex nihilo procedere: quia eiusdem substantiæ cum filio. Ex quo sensu accipiendum est illud, Pater genuit id quod ipse est, id est Filium, qui est id quod Pater. Et hoc ita esse intelligendum aperit Aug. 1. lib. cõtra Maxim. Hoc genuit Pater quod est: alioqui non est verus Filius, si quod est Pater, non est Filius. Item substantia Dei genuit Filium, id est Pater substantia genuit Filium, qui est eadem substantia, & eiusdem substantiæ. Ita intelligendum docet Aug. contra Maxim. Sicut dicis, Spiritus spiritum genuit, ita dic Spiritus eiusdem naturæ vel substantiæ spiritum genuit. similiter, Filius natus est de substantia Patris, vel Pater genuit Filium de sua natura siue essentia, id est de se, natura & essentia genuit Filium eiusdem substantiæ & naturæ. Similiter expone id, Filius substantiæ Patris, id est Filius qui est substantia. Et hic sensus adiuuatur ex verbis Aug. dicentis tres personas eiusdem essentiæ. Constat autem quòd tres personas ex eadem Essentia non dicimus, quasi aliud ibi sit quod essentia est, aliud quod persona. *Lib. 5. de Tri.*

Persona non est ex essentia.

His verbis ostenditur non esse dicendum personam esse ex essentia, nisi ex sensu prædicto. qui sensus cõfirmatur lib. 15. de Trini. ex Aug. dicente: Sicut nostra scientia scietię

Dei sit,& nostrum verbum quod nascitur de nostra sciẽtia dissimile est illi verbo Dei quod natum est de Patris essentia. Tale est autem ac si dicerem,de Patris sciẽtia,de Patris sapientia, vel quod expressius est, de Patre essentia, de Patre scientia, de Patre sapientia. Ex hoc itaque intellectu, Verbum Dei patris vnigenitus filius per omnia Patris similis & equalis dicitur: quia hoc omnino quod Pater, non tamen Pater: quia iste filius, ille Pater. Inde solùm vnigenitus Dei dicitur natura filius,quia eandẽ(inquit Hilar.i. de Trinit.) naturam quam ille qui genuit habet.

Filius similis Patri, ac proinde solus dicitur natura productus.

DE POTENTIA generantis.

DISTINCT. Sextæ CAP. primum.

Pater nec voluntate nec necessitate genuit Filium.

De generationis modo siue de comparatione actus quorundã ad potentiam.

PRæterea quæri solet vtrum Pater genuerit filium voluntate an necessitate. De hoc Orosius ad Aug. Volũtate Pater genuit filium,vel necessitate:sed nec voluntate nec necessitate, quia necessitas in Deo non est. Præire voluntas sapientiã non potuit. Quocirca ridenda est dialectica Eunomij(ait Aug.15.de Trinit.) qui cùm non potuisset intelligere, nec voluisset credere

To.4. in dialogo 65. quæst. q. 47. cap.20

vnigenitum Dei filiũ, verbum Dei esse natura, dixit filiũ esse volũtatis Dei, & non naturæ: volens asserere accedentem Deo voluntatem, qua gigneret filium. Sicut nos aliquando volumus aliquid quod priùs nolebamus. Et sic Deo vt nobis mutabilitatem tribuebat: quod absit, vt de Deo id credamus.

CAP. *Secundum. Pater filiũ natura non voluntate genuit.*

ID docet Aug. lib. 15. de Trinit. vbi quendam catholicũ hæretico respõdentem ita commendat, dicens: Acutè sanè quidam respondit hæretico versutissime interroganti vtrum Deus Filium volens vel nolens genuerit. Si nolens, miser esset Deus: Si volẽs, igitur non naturę est Filius, sed voluntatis. *c. 20. et in qua. ad Oros.*

Pater natura, tamen voluntate communicabilitatis & necessitate incommunicabilitatis, naturam cõcomitantibus genuit filium.

At ille vigilantissimè vicissim ab eo quæsiuit vtrum Deus Pater volens aut nolens sit Deus. Si nolens, eadem miseria in Deo sequeretur. Si volens, igitur ipse sua voluntate Deus est, non natura. Ex his ergo colligitur non esse concedendum, quòd Deus voluntate vel necessitate, vel volens vel nolens sit Deus, aut Filium genuerit.

Obiectio.

VOluntas Dei est natura Dei, quia non est aliud in Deo esse & velle. Si ergo Deus natura Deus est, & voluntate: & si Verbum Dei natura Filius Dei est, & voluntate.

Dilutio.

QVamuis natura & voluntas sint vnũ, sicut præscientia & prædestinatio, velle & scire Dei: non tamẽ quicquid dicitur de vno, dicitur & de altero. Non enim omnia illa sua voluntate Deus vult quæ scit sua scientia qua nouit bona & mala. Voluntate autem vult tantùm bona, & Præscientia de bonis est & malis: Prædestinatio autem de bonis tantũ. Esto ergo quòd voluntas & natura sint vnum, dicitur tamen Pater genuisse Filium natura, non tamen voluntate, & esse natura Deus, non voluntate.

Natura et voluntas in Deo sunt vnum re sed non ratione.

Quo pacto sit intelligendum quòd Pater nec nolens nec volens sit Deus, aut filium generans.

PRædicta verba ex tali sensu mihi videntur accipienda, vt voluntatem præcedentem, vel accedentem intelligamus, qualiter Eunomius intelligebat. Non enim ipse est Deus, volũtate præcedente, vel efficiente, vel volens, priusquã Deus: nec volũtate præcedẽte vel accedente genuit Filiũ, nec prius volens q̃ generans genuit Filium.

Nec prius generans quàm volens genuit Filium. Volens, enim genuit ſicut potens, & bonus, & ſapiens genuit. Dicamus ergo quòd Pater ſicut ſapiens, ita volens genuit filium, ſed nõ voluntate aut accidẽte. Quẽ ſenſum aperit Aug. ad Eph. nunquam filium vt eſſet præceſsit paterna voluntas. Ille quidem natura filius eſt.

DE PROPRIETATE POtentiæ generantis.

DISTINCT. Septimæ
CAP. Primum.

Potentia generandi non dicit quid.

De comparatione potentiæ generandi ad perſonam.

SOlet quæri à quibuſdam vtrũ Pater potuerit vel voluerit generare filium. Si enim potuit, inquiunt, vel voluit generare filium, ergo potuit aliquid & voluit, quod nec voluit nec potuit filius. Nam Filius nec potuit nec voluit generare filium.

Cui verſutiæ facilè reſpondemus: diſtinguenda eſt enim intelligentia propoſiti verbi, ſcilicet poſſe vel velle gignere filium: & poſſe vel velle aliquid. Neque enim generatio filij aliquid eorum eſt, quæ ſubiecta ſunt diuinæ potentiæ & voluntati. Nec eſt aliquid inter omnia vel de omnibus, ſed ſuper omnia & ante omnia. Non enim antè voluit vel potuit quàm genuit, ſicut nec antè fuit quàm genuit, quia ab æterno fuit, & ab

æterno genuit. Ex simili quoque hoc videre possumus. Pater enim potest esse Pater, & vult esse Pater: Filius autem nō potest nec vult esse Pater. Ergo Pater potest vel vult esse aliquid, quod non potest vel vult esse Filius. Non sequitur, quia esse patrem nō est esse aliquid: sed potest esse ad aliquid.

CAP. *Secundum. Filius non est impotens ad generandum.*

SEd vehementer nos mouet quod Aug. ait in libr. contra Maximum, qui asserebat Patrem potētiorem filio, eo quòd filium genuit deum, creatorem, filius autem non. Dicebatque Patrem potuisse non gignere filium, & ideo potentiorem filio. Ad quod respondens Aug. videtur dicere, quòd filius etiam potuit gignere, volens ostendere Patrem non esse potentiorē filio: sed non oportuit. Quare autem non oportuit subdit, dicens, Immoderata enim esset diuina generatio, si genitus filius nepotem gigneret Patri: quia & ipse nepos nisi auo suo pronepotem gigneret, secundum vestram mirabilem sapientiam impotens diceretur, &c.

Obiectio.

HOc videtur quibusdam stare non posset: scil. quòd filius potuerit gignere. Si enim potuit gignere, potuit esse Pa

ter: & si potuit esse Pater, vel sui, vel Patris, vel Spiritus sancti, vel alicuius alius. Sed non alius, quia nullus alius semper fuit: nec Patris, qui est ingenitus: nec sui, quia nulla res seipsam gignit: nec Spiritus sancti, quia nasci non potuit. aliàs potuit esse filius, & ita mutabilis esse potuit.

Dilutio.

VErba itaque Aug. sic intelligi possunt: Non enim non potuit, sed non oportuit, id est non ex impotentia sui fuit, quòd Filius non genuit, sed ei non cõueniebat: sicut Deus Filius non est Deus Pater: nec tamen hoc ex impotentia sui est. Nam & Pater similiter non est Filius: nec hoc est ex impotentia Patris: nam Pater proprietate generationis Pater est, qua oportet eum non esse Filium: & Filius proprietate Filius est, qua oportet eum non esse Patrem.

CAP. *Tertium. Pater est potens gignere potentia quæ est in Filio.*

AD quod dicimus, quia Pater non est potens nisi natura: eius enim potentia natura est & essentia: ideo eandem potentiam habet penitus Filius quàm Pater, qua Pater potuit gignere & Filius gigni.

Itaque cùm dicitur, Filius habet potentiam quam habet Pater, dupliciter intelligi

poteſt. Primò quòd habeat eandem potentiam generandi, quam & Pater, qua Pater potens eſt ad generandum, id eſt vt genuerit, vel vt generet. Et ſic non eſt verum. Vel quòd habeat eandem potentiam, qua poſsit gigni vel genitus eſſe. Sicut Pater potentiam habet, qua potuit gignere vel genuiſſe. Et ſic verum eſt. Et ſic eadem eſt potentia Patris, qua poteſt eſſe Pater, & Filij, qua poteſt eſſe Filius: ſicut eadem eſt voluntas, qua Pater vult eſſe Pater & non Filius, & Filius vult eſſe Filius & non Pater. Et eadē eſt voluntas Filij, qua vult eſſe genitus, & Patrem genuiſſe, & Patris, qua vult eſſe genitor, & Filium genitum eſſe.

Potētia generandi dicit naturā ſub reſpectu.

DE VERITATE, IMMVTABILITATE, & ſimplicitate eſſentiæ diuinæ.

DISTINCT. Octauæ

CAP. Primum.

Deus verè habet eſſentiam.

Cap. 2. EST itaque Deus (vt ait Auguſt. 5. lib. de Trinit.) ſine dubitatione ſubſtātia, vel ſi melius hoc appellatur eſſentia, quam Græci Vſiam vocant. Sicut enim ab eo quod eſt ſapere, dicta eſt ſapientia, & ab eo quod eſt ſcire, dicta eſt ſcientia: Ita ab eo quod eſt eſſe, dicta eſt eſſentia. Et quis magis eſt quā ille qui dixit famulo ſuo, Ego ſum qui ſum? Exo. 3.

De proprietatibus & conditionibus eſſentialibus.

C

Et dices Filiis Israel, Qui misit me ad vos. Ipse verè ac propriè dicitur essentia, cuius essentia non nouit præteritum nec futurum. Vnde Hieron. ad Damasum, Deus solus exordium non habet, veræ essentiæ nomen tenet, qui non nouit fuisse vel futurum esse. Solus ergo Deus verè est, cuius essentiæ comparatum esse non est.

Quomodo autem debent intelligi verba Hierony. scilicet, Deus tantùm est, & non nouit præteritum nec futurum, quum de eo scriptum frequenter reperiamus, Fuit ab æterno, fuit semper, & erit in secula, & huiusmodi? Videntur enim tria illa de Deo simul dicenda: quia si de eo dicatur, tantùm fuit, putatur quòd desierit esse: Si tantùm dicatur, Est, putatur quòd non semper fuerit, sed esse ceperit. Si tãtùm dicatur, Erit, putatur nõ esse modo. Illud ergo quod Hieron. dicit, ita intelligendum est, non nouit fuisse vel futurum esse, sed tantùm esse, eo quòd existat sine aliquo temporali motu. Cùm autem (ait Aug. super Ioh.) de re sempiterna propriè dicatur est, secundum nos bene dicitur fuit & erit: Fuit, quia nunquam desiit: Erit, quia nunquam deerit: Est, quia semper est. Cùm ergo nostra loquutio per tẽpora varietur, de eo verè dicuntur verba cuiuslibet temporis, qui nullo tempore defuit, vel deest, vel deerit. Vnde Ioh. 16. de Spiri-

Tract. 99.

Deo tribuũtur temporum differentiæ.

tu veritatis loquẽs ita per futurum, Et quæcunque audiet loquetur: audiet, ſcilicet ab eo à quo procedit: audiet dixit de eo quod audiuit: & audit, id eſt quod ſemper ſciuit, ſcit, & ſciet.

CAP. Secundum
Deus immutabilis.

Cap. 1. DEi etiam ſolius eſſentia incommutabilis dicitur propriè, quia nec mutatur, nec mutari poteſt. Vnde Au. 5. de Tri. Aliæ eſſentiæ vel capiũt accidentia, quibus in eis fiat vel magna vel quantacunque mutatio. Deo autem aliquid huiuſmodi accidere nõ poteſt. Et ideo ſola eſſentia quæ Deus eſt, incommutabilis eſt, & cui veriſimè cõpetit eſſe: quod enim mutatur, non ſeruat ipſum verum eſſe: & quod mutari poteſt, etiã ſi non mutetur, poteſt quod fuerat nõ eſſe: & ideo non ſolùm quod tantùm non mutatur, verum: & quod omnino mutari non poteſt, veriſimè dicitur eſſe, id eſt ſubſtantia Patris, Filij, & Spiritus ſancti: quam immutabilitatẽ creatura habere non poteſt. Ideo Apoſt. dicit, Qui ſolus habet immortalitatẽ. & quæ vera immortalitas, niſi cui cõuenit immutabilitas? Vnde Iacobus ait: Apud quẽ nõ eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio. & Dauid, Mutabis ea & mutabuntur: tu autem idẽ ipſe es, & anni tui, &c. ideo Aug. dicit ſuper Gene. quòd Deus nec per loca,

Mutatio accidentiũ eſt.

1. Ti. 2.

6. cad. Cap. 1.

pſalm. 101.

nec per tẽpora mouetur, vt creatura. Per tẽpora autẽ moueri est per affectiones cõmutari. Deus autẽ nec loco, nec affectione mutari potest, qui per Prophetã ait, Ego Deus, & non mutor. *Mal.3*

CAP. *Ter. Diuina essẽtia maximè simplex.*

EAdẽq; sola propriè ac verè simplex est, vbi nec partiũ, nec accidẽtiũ, nec quarũlibet formarũ vlla est diuersitas, siue variatio, vel multitudo. Quã simplicitatẽ te docet Au. li. 6. de Tri. Aduerte primò quare omnis creatura sit multiplex, & nullo modo verè simplex. Et primũ de corporali, postea de spirituali creatura. Corporalis vtique creatura ex partibus constat, quarum aliqua minor, alia maior, & totum maius qualibet parte: & in corpore aliud magnitudo, aliud color, aliud figura: & mutato vno istorũ, pos sunt reliqua manere. Et p hoc multiplex cõuincitur esse natura corporis. Creatura quoque spiritualis, vt est anima, sine cõparatione ad corpus, est multiplex & nõ simplex. Quæ ideo simplex dicitur respectu corporis, quia mole nõ diffunditur per spatium loci, sed in vnoquoq; corpore & in tota anima est & in qualibet ei⁹ parte tota est. Ideo in parte corporis tota sentit. Sed tamen in ipsa tota anima nec vera simplicitas est. quum enim sit *cap. 6.*

Omnẽ creaturam esse multiplicẽ probat Augu. in corporalibus & spiritualibus.

aliud artificiosum esse, aliud inertem, aliud acutum, aliud memorem, aliud cupiditas, aliud timor, aliud lætitia, aliud tristitia: possintq; hæc & alia inueniri in animæ natura, & alia sine aliis, & alia magis, alia minꝰ: manifestum est non simplicē sed multiplicē esse naturam. Nihil enim simplex mutabile est. Omnis autem creatura mutabilis, est nulla, ergo simplex creatura est. Deus autem nihil horum prorsus habet, in quo nō aliud beatū esse, & aliud magnū esse, & sapientē, & bonū, & verū, &c. Ideo dicit Aug. 6. de Trinit. Est Deus sine qualitate bonus, sine quantitate magnus, sine situ presidēs, sine habitu omnia continens, sine loco vbiq; totus, sine tēpore sempiternus, sine sui vlla mutatione mutabilia faciens, nihilq; patiēs, &c. Ecce si subtiliter intēdas, ex his atq; prædictis aperitur illa prædicamenta artis dialecticæ Dei naturæ minimè cōuenire, quę nullis est subiecta accidētibus: nec propriè dicitur Deus substantia, quoniā dicitur substātia à subsistere, sicut essentia ab esse. Subsistere autē propriè rebꝰ cōuenit, ait Aug. 7. de Tri. In quibus vt subiectis sunt ea quæ in aliquo subiecto esse dicuntur. Sicut in corpore color. Ob id corpus subsistere dicitur, & verè substātia esse. Deus autem si subsistit, inest in eo aliquid tanquā in subiecto, & non est simplex: quod nefas esset dicere, quum maximè simplex sit, licet

Cap. 1.

Cap. 4

Deus nihil habet 9. prædicamē toru

Deꝰ nō est substantia prædicamē talis.

multiplex à nobis dicatur, vt dicit Augu. 6. de Trinit. Cap. 6

CAP. 5. *Quicquid est in Deo, Deus est.*

HVius essentiæ simplicitas tanta est, vt in ea non est aliquid quod non sit ipsa, sed idem est habens & quod habetur, totumq; quod in eo est vnū est, ait Hilar. 7. de Trinit. & lib. 8. dicit: Non humano modo ex compositis Deus est, vt in eo aliud sit quod ab eo habetur, & aliud sit ipse qui habeat: sed totum ~~vna est natura perfecta & infinita, & non est disparibus constituta, sed viuens per totum ipsa~~. Idem affirmant Boet. lib. de Tri. August. lib. de Fid. & Symb. & li. 15. de Trinit. & Isidorus, rursum Aug. 11. de Trinit. cap. 10. Cap. 9 Ca. 17 7. Ethim. Cap. 1.

DE COAETERNITATE Genitoris & Geniti ac æternitate Generatiōis.

DISTINCT. Nonæ

CAP. Primum.

De proprietatibus & conditionibus personalibus.

Personarum vna est naturalis essentia cum distinctione earum.

TEnendū est (vt docet Aug. lib. de Fid. ad Petr. Patrem & Filiū & Spiritū sanctum vnū esse Deū naturaliter: nec tamen ipsum Patrem esse qui Filius est, nec Filium esse illum quí Pater est, nec Spiritum sanctum esse illum qui Pater aut Filius est:

Pater alius à Filio.

nec tamen est aliud Pater, aliud Filius, aliud Spiritus sanctus, quamuis personaliter alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus. Genitus est enim à Patre Filio, & ideo alio.

CAP. *Secundum. Coæternæ Personæ.*

NEc tamẽ antè fuit Pater, quàm Filius. Coæternæ enim sibi sunt personæ. Cõtra quod obiicit hæretico Arrianus (vt refert Ambros. lib. 1. de Fid. ad Gratia.) Omne quod natum est, principiũ habet. & ideo quia Filius natus, principium habet. Sic & Arrius ipse dixisse fertur (vt meminit Augu. lib. 6. de Trinit. Si Filius est, natus est: Si natus est, erat tempus quando non erat Filius. Responsio Augustini: Qui hoc dicit, non intelligit etiam natũ esse Deo sempiternũ, vt sit coæuus Patri Filius: Sicut splẽdor qui gignitur ab igne, atque diffunditur, coæuus est illi: & esset coæternus, si ignis esset æternus. Rursus si Dei Filius (ait Aug.) Virtus & sapientia Dei est, nec vnquam fuit Deus sine virtute & sapientia, coæternus ergo est Deo Patri Filius.

Cap. 5

Cap. 1.

Obiectio.

Responsio.

Simile.

1. cor. 1

Inuectio Ambrosij contra Hæreticum.

Lib. 1. de Fid. ad gratia.

Es. 44

SCriptum est in veteri Testamento (vt vel vnum è pluribus dicam) Ante me non fuit alius Deus, & post me non erit. Quis ergo hoc dicit? Pater, an Filius?

Si Filius, Ante me (inquit, nõ fuit alius Deꝰ. Si Pater, Post me, inquit, non erit. Hic priorem, ille verò sibi posteriorem non habet. Item, Dic, inquit, mi hæretice, fuítne quando omnipotẽs Deus Pater nõ erat, & Deus erat? Nam si Pater esse cœpit, Deus ergo primò erat, & postea Pater factus est. Quomodo ergo immutabilis Deus est? Si enim antè Deus, postea Pater fuit, vtique generationis accessione mutatus est. Sed auertat Deus hanc amentiam.

CAP. *Tertium. Ineffabilis diuina Generatio.*

SI quæris à me (inquit Ambros.) quomodo si Filius sit, priorẽ non habeat patrẽ? mihi sanè impossibile est scire generationis secretum. Mens deficit, Vox silet, non mea tantùm, sed angelorum, quia scriptum est, Pax Christi supra omnem sensum, &c. *Phil.4* Quòd si pax Christi supra omnem sensum, quomodo non est supra omnẽ sensum generatio? Tu ergo ori manum admoue: scrutari non licet supra mysteria: licet scire quòd natus sit: nõ licet discutere quomodo natus sit, ineffabilis enim est illa generatio. Vnde Esa. Generationem eius quis enarrabit? *Esa.53*

CAP. *Quartum. Filius semper generatur & semper natus est.*

HIc quæri potest,quũ generatio Filij à Patre nec principium nec finem habeat,quia ęterna est,vtrum debeat dici Filius semper gignitur, vel semper genitus est, vel semper gignetur? Gregor. super Iob: Quia nec cepit nasci, nec desijt, dicamus verius,semper natus. Non autem possumus dicere, semper nascitur, ne imperfectus esse videatur. At verò vt æternus designari valeat & perfectus, semper dicamus, & natus : quatenus & natus ad perfectionem pertineat & ęternitatem.quamuis perfectum esse multum ab illius perfectionis expresione procul sit : quia quod factum non est,non potest dici propriè perfectum: sed balbutiendo, vt possumus, excelsa Dei resonemus.Et Dominus nostrę infirmitatis verbis condescendens, Estote,inquit,perfecti, sicut & Pater vester cęlestis perfectus est. Orige.tamen super Hierem.dicit quòd Filius semper generatur à Patre.iuxta illud, Ante omnes colles generat me dominus. Sed vtriusq; verba benignè interpretemur. Nam non adeò semper manifestatur veritas,quum dicitur,Filius ante tempora genitus est de Patre, vel Filius semper nascitur de Patre.Et ideo dicit Grego.quòd non possumus dicere semper nascitur. Non, inquam,ita conuenienter,non ita congruè ad explanationem veritatis. Potest tamen dici

Lib.29 Moral. Cap.1.

Mat.5

in hier. homi.6

(si sanè intelligatur) semper enim nascitur Filius de Patre, vt ait Orige. non quòd quotidie iteretur illa generatio: sed quia semper est: semper ergo nascitur, id est natiuitas eius sempiterna est.

Quòd Filius semper generatur, confirmatur ex dictis D. Hilarij.

HIlarius quoque dicit Filium nasci ex Patre, libr. 7. de Trinit. quod cum sacramento scientiæ suæ ex eo nascitur, non potuit aliud esse quàm viuens. Item dicit: Dum totum quod ex eo nascitur virtus est, habet natiuitatem Filius, nõ demutationem. Idem libr. 9. de Trinita. Donat ~~Pater Filio tantùm esse, quantum est ipse, cui innascibilitatis esse imaginem sacramento natiuitatis impartit, quam ex se in sua forma generat.~~ Ecce ex Hilario habes quòd Filius nascitur, & quòd Pater Filium generat. Dicamus ergo Filium natũ ante tempora, & semper nasci de Patre, sed cõgruentius semper natum. Sed inquiet hæreticus, Omne quod natum est nõ semper fuit: quia in id natum est vt esset. Responsio. Nemo ambigit quin ea quæ in rebus humanis nata sunt aliquando non fuerint. Sed aliud est ex eo nasci quod semper non fuit: aliud est ex eo natum esse quod semper est. Ibi nec semper fuit qui Pater est, nec semper Pater

Responsio Hilarij lib. 7. de Tri.

est, & qui non semper Pater est, non semper genuit. Vbi autem semper Pater est, semper Filius est. Quia si semper Deo Patri proprium est quòd semper est Pater, necesse est Filio semper proprium esse quòd semper est Filius &c.

DE PROCESSIONE SPIritu sancti quantum ad personam quæ procedit.

DISTINCT. Decimæ CAP. Primum.

Spiritus sanctus procedit vt amor, à Patre & Filio.

Ca.17. SPiritus sanctus amor est, siue charitas, siue dilectio Patris & Filij. Vnde Aug. 15.lib.de Trinita. Spiritus sanctus nec Patris est solius, nec Filij est solius, sed amborum. Et ideo communem, quia inuicem se diligunt Pater & Filius, insinuat nobis charitatem. & Hierony. super 17. Psalmum ait: Spiritus sanctus nec Pater est, nec Filius, sed dilectio quam habet Pater in Filium, & Filius in Patrem. Idem quoque Aug. testatur lib.6.de Trinit.

Cap.4

CAP. *Secundum. Charitas, quamuis sit toti Trinitati communis, Spiritui sancto tamen appropriatur.*

IOhãnes autem in epist.can.ait: Deus cha 2.ca.4.
ritas est. Non dixit, Spiritus sanctus charitas est. Ideo quęrendum vtrum Pater sit charitas, an Filius, an Spiritus sanctus, an ipsa Trinitas. Ad hoc Aug. in eod.lib.ait: Si ergo propriè aliquis horum trium charitas nuncupari debet, quis aptius quàm Spiritus sanctus: vt scil. in illa summa simpliciq́ue natura non sit aliud substantia, & aliud charitas, & charitas ipsa sit substantia, siue in Patre, siue in Filio, siue in Spiritu sancto? Et tamen Spiritus sanctus propriè charitas nuncupatur. Ecce his verbis apertè dicit Aug. quòd in Trinitate charitas aliquando refertur ad substantiam, quę communis est trium personarum, & tota in singulis: aliquando specialiter ad personam Spiritus sancti: Sicut sapientia Dei aliquando pro substantia diuina, aliquando pro Filio propriè accipitur, vt Apost. vocat Christum virtutem Dei & sapientiam. Ita Iohannes vocat Spiritum sanctum charitatem, dicens: In 1.ioh.4
hoc cognoscimus quia in ipso manemus, & ipse in nobis, quia de suo spiritu dedit nobis. Spiritus sanctus itaque de quo dedit nobis, facit nos in ipso manere, & ipsum in nobis. Hoc autem facit dilectio. Ipse ergo Deus est dilectio. Ecce his verbis apertè dicit Aug. Spiritum sanctum esse charitatem Patris & Filij, & in tantum quoque ser-

Charitas nomen essentiæ & personæ vt Sapientia.

monem produxit, vt videatur dixisse Spiritum sanctum non solùm esse dilectionem Patris & Filij, qua se inuicem & nos diligũt, sed etiam qua nos diligimus Deum.

CAP. *Tertium. Nomen Spiritus sancti est commune & proprium.*

HIc notandum quòd sicut Spiritus sanctus in Trinitate specialiter dicitur charitas, quæ est Patris & Filij vnio: ita & nunc nomen tenet propriè quod Patri & Filio communiter quodammodo con-
Cap.19 gruit. Vnde Aug.15.de Trinita. Si charitas, inquit, qua Pater diligit Filium, & Patrem diligit Filius, ineffabilem communionem commonstrat amborum: quid conuenientius quàm vt ille propriè dicatur charitas, qui Spiritus est communis ambobus? &c. Qui enim est communis ambobus, id vocatur ipse propriè quod ambo communiter.

DE PROCESSIONE SPIritus sancti quantum ad personas à quibus procedit.

DISTINCT. Vndecimæ

CAP. Primum.

Spiritus sanctus à Patre & Filio simul procedit.

DIcendum est Spiritum sanctum à Patre esse & Filio, & procedere à Patre & Filio. Quod multi hæretici negauerunt. Sed multis sacræ Scripturæ testimoniis comprobatur. Dicit enim Apost. Misit Deus Spiritum Filij sui in corda nostra. Ecce hic dicitur Spiritus Filij. & alibi: Qui autem Spiritum Christi non habet, hic non est eius. Ipse etiam Filius de Spiritu sancto in Euang. Et quem ego mittam vobis à Patre. Spiritus autem dictus est Patris, vbi dicitur, Si Spiritus eius qui suscitauit Christũ à mortuis, habitat in vobis. Ipse Christus dicit: Non enim estis vos qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur &c. & alio in loco: Quem mittet Pater in nomine meo. & alibi de Spiritu sancto ait, de Patre procedit.

Gal. 4.
Ro. 8.
Ioh. 18.

Error Græcorum.

GRæci tamen dicunt Spiritum sanctum tantùm à Patre procedere, eo quòd in Euang. dicitur, Qui à Patre procedit. & etiam ideo quia in principalibus Conciliis, quæ apud eos celebrata sunt, ita symbola eorum subiunctis anathematibus sancita sunt, vt nulli de Trinitatis Fide aliud docere, vel aliud prædicare, quàm quod ibi continetur liceat. In quibus sic dicitur: Quicun-

que à Filio Spiritum sanctum procedere addunt, anathema incurrunt. Vnde & nos arguunt anathematis reos. Addunt etiam quod de symbolo fidei Leo 3. Romæ transscriptum in tabula argentea post altare B. Pauli posita posteris reliquit. Vbi sic Legitur, Et in Spiritum sanctum, Dominum, viuificatorem, ex Patre procedentem, cum Patre & Filio coadorandum & glorificandum &c. Illud est symbolum quod in missa cantatur, editum in Nicæno concilio, in fine cuius subiunctum est: Qui aliud docuerit, vel aliter prædicauerit, anathema sit. Ideo Græci nos anathematizatos dicunt, quia dicimus Spiritum sanctum à Filio procedere, quod ibi non continetur, quia à Latinis adiunctum.

CAP. *Secundum.* *Responsio ad obiecta Græcorum.*

NOs autem verba illa determinamus, qui aliud docuerit, vel aliter prædicauerit, id est contrarium docuerit, vel contrario modo prædicauerit, anathema sit. Aliud ergo posuit pro opposito, qua-
Gal.1. liter & Apost. ad Gal. Si quis aliud Euangelizauerit, id est contrarium, anathema sit. Nō dicit, Siquis addiderit: Nam si illud diceret, sibiipsi (vt ait Augustinus) præiudicaret,

qui cupiebat venire ad quosdam quibus scribebat, sicut ad Thessalonic. vt suppleret quæ illorum fidei deerant. Sed qui supplet, quod minus erat addit, non quod inerat tollit, &c. Ad illud autem quod Euangelio apponunt, respondemus ita: quia quum dicat in eo Veritas Spiritum sanctum à Patre procedere, nõ addit solo. & ideo etiam à se procedere non negat: sed ideo Patrem tantùm nominat, quia ad eum solet referre quod ipsius est, quia ab illo habet. Sed licet Græci verbis dissentiant, in sententia tamen conuenire videntur, confitentes Spiritum sanctum esse filij sicut & Patris: quia Apost. dicit Spiritum Filij: & in Euang. Spiritum veritatis. Esse autem Spiritum Patris vel Filij, nihil aliud est quàm esse à Patre vel Filio. Igitur &c. Vnde etiam quidam eorum catholici doctores intelligentes vnam eãdémque fore sentẽtiam prædictorum verborum, quibus dicitur Spiritus sanctus procedere à Filio, & esse Filij, professi sunt Spiritum sanctum à Filio procedere. Vnde Athanasius in symb. fidei: Spiritus sanctus à Patre & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens. Idem testatur Didymus eorum maximus doctor, libr. 2. de S. Spiritu: Spiritus sanctus non ex se est, inquit, sed ex Patre & Filio. Idem Cyrillus in epist. ad Nestorium, & Iohan. Chrysost. in quadam homilia de

Nota. Addere Euangelio nõ est aliud euangelizare.

Gal. 4.

expositione symboli: Ecce Græcorum testimonia quibus Spiritus sanctus à Patre & Filio procedere ostenditur. Omnis ergo lingua confiteatur Spiritum sanctum ab vtroque procedere.

DE ORDINE PROCESsionis ab vtroque.

DISTINCT. Duodecimæ CAP. Primum.

Spiritus sanctus non prius à Patre quàm filio procedit.

Superiori distinct. 1. de principio Spiritus sancti, scil. Patre & Filio, nunc de ordine personarum istarum à quibus procedit Spiritus sanctus.

QVum Spiritus sanctus à Patre procedat & Filio, quæritur an prius vel magis processerit à Patre quàm Filio. quod nititur hæreticus ita ostendere dicens: Si processit Spiritus sanctus à Patre, processit vtiq; aut nato iam Filio, aut nõ nato Filio. Si verò iam nato filio processit, antè natus est Filius, quàm processit Spiritus sanctus. Præcessit ergo natiuitas Filij processionem Spiritus sancti: Si autem processit à Patre, nõ genito Filio, antè processit quàm Filius genitus fuit.

Responsio Aug. ad quæstionem.

Ca. 26. HIs & huiusmodi quæstionibus magis laboriosis quàm fructuosis, respondet Aug. libr. 15. de Trinita. dicens: In illa

ſumma Trinitate nulla temporum interualla ſunt, per quæ poſſet oſtendi aut requiri ſaltem vtrum prius de Patre natus ſit Filius, & poſtea proceſsit Spiritus ſanctus de ambobus &c. Non poſſunt prorſus iſta quæri, vbi nihil ex tempore inchoatur, & ex conſequenti perficiatur in tempore. Ideo qui poteſt intelligere ſine tempore generationem Filij de Patre, intelligat ſine tempore proceſsionem Spiritus ſancti de vtroque.

CAP. *Secundum.* *Non plenius aut magis procedit Spiritus ſanctus a Patre quàm a Filio.*

NVnc tractandum eſt an pleniùs aut magis procedat Spiritus ſanctus à Patre quàm à Filio. Ad quod dicimus, quia ſicut non antè procedit à Patre quàm à Filio, ita non pleniùs vel magis procedit à Patre quàm à Filio. Aug. tame. 15. de Trini. dicit quòd Spiritus ſanctus principaliter procedit de Patre. Ne te hoc turbaret, ipſe continuò ex quo ſenſu illud dixerit aperit, dicēs: Ideo addidit principaliter, quia & de Filio Spiritus ſanctus procedere reperitur. Sed hoc quoq; illi Pater dedit non iam exiſtenti & nondum habēti. Sed quicquid vnigenito verbo dedit, gignendo dedit. Hic ergo eum genuit, vt etiam de illo donum cō-

Quomodo Spiritus ſanctus procedat principaliter a Patre.

mune procederet, & Spiritus sanctus spiritus esset amborum. Ecce quomodo principaliter non quòd priùs aut magis à Patre procedat, sed quia cùm procedat à Filio, hoc ipsum habet Filius à Patre. In quo sensu etiã dicitur à Patre propriè Spiritus sanctus procedere, vt patet ex Hieron. in expositione symboli Nicæni, quia hoc habet Pater à se non ab alio, vt de ipso procedat Spiritus sanctus.

To. 4. ad Cyril.

Quomodo Spiritus sanctus procedat a Patre propriè.

CAP. Tertium. *Spiritus sanctus procedit & mittitur à Patre per Filium.*

FOrtè etiam & iuxta hanc intelligentiam dicitur Spiritus sanctus mitti per Filium, & à Patre esse per Filium. Vnde Hilarius libr. 12. de Trinita. In Spiritu sancto tuo ex te perfecto & per eum misso. vbi loquitur ad Patrem de Filio & Spiritu sancto. Idem: Confirma hanc, oro, fidei meæ religionem, vt quod in regenerationis meæ symbolo professus sum, semper obtineam, te Patrem scil. & Filium tuum vnà tecum adorem, Spiritum sanctum tuum, qui ex te per vnigenitum tuũ est, promerear. Ecce apertè dicit Spiritum sanctum à Patre per Filiũ & mitti & esse. Quod nõ est intelligẽdũ quasi à Patre per Filiũ minorẽ mittatur, vel sit: sed quia ex Patre & Filio est, & mittitur ab vtro-

que. Sed hoc ipsum habet Filius à Patre, vt ab ipso sit,& mittatur Spiritus sanctus.

CAP. *Quartum. Pater est author processionis Spiritus sancti.*

Patris authoritas secundũ quòd D.Hilar. exponit illud Iohan. 14. Pater maior me est. infra Dist.16.

HOc ergo voluit significare Hilar. distinctionem faciens in loquutione, vt ostenderet in Patre esse authoritatem. Inde est etiam quòd Veritas ostendens Patrem esse authorẽ processionis,qua procedit Spiritus à Filio, dixit in Euangel. De Patre procedit, quum & de Patre & Filio procedat Spiritus sanctus. Vnde Aug.lib.15. de Trinita.quærit: Si de Patre & Filio procedit Spiritus sanctus, cur Filius dixit de Patre procedit? Cur putas,nisi quia solet ad eum referre etiam quod ipsius est, sicut & de quo ipse est, sicut ait: Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me? Si ergo hinc intelligitur eius doctrina, quam tamen non dixit suam,sed Patris: quanto magis illic intelligendus est Spiritus sanctus de ipso procedere, vbi sic ait,de Patre procedit? Vtrum diceret,de me non procedit? A quo antè habet Filius vt sit Deus (Est enim Deus de Deo) ab illo vtique habet vt de illo procedat Spiritus sanctus. Et ideo Spiritus sanctus, vt etiam de Filio procedat, sicut procedit de Patre, ab ipso habet Patre. Quapropter

Cã.17

Iohã.7

qui potest intelligere in eo quod habet Fi-
Iohã.5. lius, sicut Pater habet vitam, sic dedit & Fi-
lio vitam habere in semetipso: non sine vi-
Aug. ta existenti iam Filio vitam Patrem dedis-
lib.6. se: sed ita eum sine tempore genuisse, vt vita
de Tri. quam Pater Filio gignendo dedit, coæter-
ca. 26. na sit vitæ Patris qui dedit.

DE DIFFERENTIA PROcessionis & Generationis in Diuinis.

Comparatur processio ad generationẽ.

DISTINCT. Decimætertiæ CAP. Primum.

Spiritus sanctus nec natus, nec Filius dicitur.

QVum Spiritus sanctus procedat de Patre, & sit de substantia Patris, cur non dicitur esse natus & Filius, sed potius procedens? Aug. id ostendit de Trin. 15. dicens: Si Spiritus sanctus Filius diceretur, amborum vtique Filius diceretur, quod absurdum est. Filius quippe nullus est duorum, nisi patris & matris. Absit autem vt inter Deum Patrem, & Deum Filium tale aliquid suspicemur. Non ergo ab vtroque est
ad Maxim. li. 3. c. 14. genitus, sed procedit ab vtroque amborum spiritus. Hanc eandem quæstionem idem Aug. ita dissoluit, ostendens Maximo.

CAP. *Secundum. Filius dicitur natus & procedens, Spiritus sanctus tantùm procedens.*

QVum Spiritus sanctus non dicatur genitus sed tantùm procedens, quæri solet cur non dicitur tantùm genitus sed & procedẽs: sicut ipse in Euãgelio ait, Ego ex Deo processi & veni in mũdum. *Ioh.16* Non ergo tantùm Spiritus sanctus procedit à Patre, sed & Filius.

Ad quod dicimus, quòd quũ vterque procedat à Patre, dissimiliter tamen. Nam Spiritus sanctus (vt ait Aug. lib. 5. de Tri.) procedit à Patre, non quomodo natus, sed quomodo datus, vel donum. Filius autem processit nascendo, exijt vt genitus. *cap.14*

CAP. *Tertium. Nasci & procedere distinguuntur.*

NOn omne quod procedit nascitur, quamuis omne procedat quod nascitur. Sicut non omne quod bipes, est homo est, quamuis bipes sit omnis qui homo est. Hoc scio: distinguere autẽ inter illã generationem & hanc processionem nescio, non valeo, nõ sufficio: ac per hoc quia & illa & ista est ineffabilis: sicut Propheta de Filio loquens ait, Generationẽ eius quis enarrabit? Ita de Spiritu sancto verissimè dicitur, *Aug. vbi supra.* *Esa.53*

Processionem eius quis enarrabit?

CAP. *Quartum. Spiritus sanctus nec genitus nec ingenitus debet dici.*

in dial. quæst. 65.q.2 AVgust. ad Orosium ait: Spiritum sanctum nec genitum fides certa declarat. quia si dixerimus ingenitum, duos patres videbimur affirmare. Si autem genitum, duos credere Filios culpamur. Sicut enim solus Filius dicitur genitus, ita & solus Pater dicitur ingenitus, eo quòd ab alio nõ sit. *cap.26* Vnde Aug. lib.15. de Trinita. Pater (inquit) solus non est de alio: ideo solus appellatur ingenitus, non quidem in scripturis, sed in consuetudine disputantium, & de re tanta sermonem qualem valuerint proferẽtium.

Obiectio.

HIeronymus tamen in regulis defensionum contra Hæreticos dicit Spiritum sanctum ingenitum esse, his verbis: Spiritus sanctus Pater non est, sed ingenitus atque incertus, &c.

Dissolutio.

SEd vt istam quæ videtur repugnantiam de medio abigamus, dicimus quòd Hierony. aliter accepit nomen ingeniti,

Ingenitũ.

& aliter Aug. Accepit enim Aug. ingenitum qui vel quod non est de alio: & secundũ hoc de solo Patre dicitur. Hieron. verò ingenitũ dicit non genitum. & secundum hoc de Spiritu sancto potest dici, quum genitus nõ sit. Quòd autem Hieron. ita acceperit ostenditur ex verbis quibus in eod. tract. vtitur, faciens talem diuisionem, quod est aut genitum, aut ingenitum, aut factũ. Est ergo quod nec natum, nec factũ: & est quod natũ est, & factũ non est: & est quod nec natũ est, nec factum est: & est quod factũ est, & quod natũ est: & est quod factũ est, & natũ est, & renatum est, & quod factũ est: & quod factũ est, & renatum non est. Nũc præpositorum singulis rebus subsistẽtiam destinemus. Quod ergo nec natũ nec factum est, Pater est. Non enim ab alio aliquo est. Quod autẽ natum est, & factũ nõ est, Filius est. Iterũ, Quod nec factũ nec natũ est, Spiritus sanctus est, quia procedit. Quod etiam factum est & natum non est, Cælum & Terra, cæteráque insensibilia. Quod autẽ natũ, factum, & renatũ est, homo est. Quod verò factũ, natũ, & renatũ nõ est, animalia sunt. Ecce his verbis ostẽdit Hieron. se ingenitũ accipere nõ genitũ. Aliter enim esset prẽmissa diuisio vera: s. Omne quod est aut ingenitũ est, aut genitũ, aut factũ. Atq; in diuisionis huius ꝓsequutione in assignatione ingenitũ vbiq; ponit nõ natũ.

Diuisio rerum vniuersi.

DE PROCESSIONE TEMporali Spiritus sancti inuisibili.

DISTINCT. Decimæquartæ

CAP. Primum.

Duplex processio Spiritus sancti.

GEmina est processio Spiritus sancti, Aeterna videl. quæ ineffabilis est, qua à Patre & filio æte naliter & sine tem pore proeesit: Et Temporalis, qua à Patre & Filio ad sanctificandam creaturam procedit. Et sicut ab æterno communiter ac simul procedit à Patre & Filio, ita & in tempore cõmuniter & simul ab vtroque procedit ad creaturam non diuisam à Patre in Filium, & à Filio in creaturam. Vnde August. lib. 15. de Trinit. ait: Spiritus sanctus non de Patre procedit in Filium, & de Filio procedit ad sanctificandam creaturam: sed simul de vtroque procedit, quamuis hoc Filio Pater dederit, vt sicut de se, ita etiam de illo procedat.

Ca. 27

CAP. *Secundum. Spiritus sancti missio, siue eiusdem donorum collatio est temporalis.*

BEda in hom. Dominicæ. 1. post Ascens. Bita de temporali processione loquitur: Cùm gratia Spiritus sancti datur hominibus, profectò mittitur Spiritus à Patre,

Lib 2. homil. ho. 11.

mittitur & à Filio: procedit à Patre, procedit & à Filio, quia & eius missio est ipsa processio. His verbis apertè ostendit donationem gratiæ Spiritus sancti, dici processionem vel missionem eiusdem. Si enim donatio vel datio non sit nisi spiritualis, constat quia & hæc processio siue missio temporalis est. Hanc quoque temporalẽ Spiritus sancti processionem Aug. lib. 15. de Trinit. insinuat dicẽs: Spiritus sanctus processit à Christo, quando post resurrectionem insufflauit in discipulos, his verbis: Accipite Spiritum sanctum. *Io. 20.*

CAP. *Tertium. Non solùm dona, sed & Spiritus sanctus personaliter datur.*

SVnt autem aliqui qui dicunt Spiritũ sanctum ipsum Deum non dari, sed dona eius, quæ non sunt ipse Spiritus sanctus. Et hoc dicunt Bedam sensisse, dum superius dixit Spiritum sanctum procedere, cùm gratia eius hominibus datur. Sed quòd ipse Spiritus .S. qui Deus est, & tertia in Trin. persona, detur apertè dicit Aug. lib. 15. de Trin. *Ca. 26* ita inquiens, Eũdem Spiritum sanctum datum, cùm insufflasset Iesus, de quo mox ait: Ite, baptizate omnes gẽtes in nomine Pat. & Fil. & Spirit. san. ambigere non debemus. Ipse est ergo qui etiã de cælo datus est in die Pentecostes. Quomodo ergo, Deus *Matt. 28.*

non est qui dat Deum, imò quantus est
Act.2. Deus qui dat Deum? Ecce his verbis apertè dicit Spiritum sanctum, ipsum scil. Deum dari hominibus à Patre & Filio. Et quòd ipse Spiritus sanctus nobis detur, ac nostris
2.Cor. mentibus illabatur, apertè ostendit, Ambros.
cap. 4. lib. 1. de Spiritu sancto dicēs: Licet multi di-
Ps 163 cantur Spiritus (quia legitur, Qui facit angelos suos Spiritus) vnus est tamen Spiritus Dei. Ipsum ergo vnum Spiritum & Apo-
Act. 9. stoli & Prophetæ sunt cōsequuti. Itē in eod.
Ro. 5. lib. de Spiritu. Quid autem dicere dubitem, quia datus est & Spiritus sanctus: quum scriptum sit, Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis? qui quum sit inaccessibilis natura, receptibilis tamen propter bonitatem bonus est, complens virtute omnia: sed qui solis participetur iustis, simplex substantia, opulens virtutibus, vnicuique præsens, diuidens de suo singulis, & vbique totus. Idem
Serm. ait August. de Verb. Apostol. &. 4. lib. de
ca. vlt. Trinit.

Quæstio, An homines possint dare Spiritum sanctum.

HIc quæritur an viri sancti possint aliis dare Spiritum sanctum. Quod si sic videtur, quum eius donatio sit processio, quòd Spiritus sanctus ab eis procedat &

mittatur. Sed creator à creatura non mittitur, ergo non possunt dare. Vnde Augu. 15. de Trinit. Non aliquis discipulorum Christi dedit Spiritum sanctum. Orabant quippe vt veniret in eos quibus manum imponebāt, non ipsi eum dabant. Quem morem in suis præpositis etiam nunc seruat Ecclesia. Vnde & Simon Magus offerēs pecuniam non ait, Date mihi & hanc potestatem vt dem Spiritum sanctum: sed, Cuicūque, inquit, imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum. & in eod. li. subdit: Nos quidem accipere hoc donum possumus pro modulo nostro, effundere verò super alios non vtique possumus. Sed vt hoc fiat, Deum super eos inuocamus.

C. 16.

Act.

CAP. Quartum. *Ministri Ecclesiæ tribuere possunt Spiritum sanctum.*

SEd huic videtur cōtrarium quod Apost. ad Gal. de se loquens ait: Qui tribuit vobis Spiritum, & operatur virtutes in vobis. Ecce euidenter dicit se tribuisse Spiritum. Sed intelligendum est hoc dixisse Apost. non quia haberet potestatem & authoritatem dandi Spiritum sanctum: sed ~~qui ministerium habuerit, in quo dabatur à Deo~~ Spiritus sanctus. Vt enim ait August. super eundem locum, exponens Apost. illud verbū: Ab Apost. prædicata est eis fides: in qua prædicatione aduentum & præsentiam Spi-

Cap. 3.

To. 4. in ca. 3 ad gal.

ritus sancti senserant,&c. Apertè hic ostendit quomodo illis spiritum sanctum tribuerit:Non vtique ipsum mittendo in eos, sed prædicando eis fidem Christi,quam illis recipientibus quòd Spiritus sanctus in eis esset aliquibus signis visibilibus monstrabatur.

DE PRINCIPIO TEMPORALIS processionis Spiritus sancti in personis increatis.

DISTINCT. Decimæquintæ CAP. Primum.

Spiritus sanctus non solùm à Patre & Filio. sed à se ad creaturam mittitur & procedit.

QVum Spiritus sanctus detur omnibus à Patre & Filio,quod est ipsum temporaliter procedere vel mitti: cõsiderandum est an à seipso detur. Ad quod dicimus,quia Spiritus sanctus & Deus est, & donum:ideo dat & datur. Dat vt Deus, datur vt datum. Quum autem datio Spiritus sancti sit operatio Dei, & communis sit & indiuisa operatio trium personarum,datur itaque Spiritus sanctus non tantùm à Patre & Filio,sed etiam à seipso. Vnde Augu. lib.15.de Tri. dicit quòd seipsum dat. Nam si Pater & Filius dant Spiritum sanctũ (ait) nec ipse dat aliquid: ergo Pater operatur & Filius, quod non operatur Spiritus sanctus.

Cap. 3

Dat ergo Spiritus sanctus seipsum. Si autem seipsum dat, ergo à se procedit & mittitur. Quod mirari non debes, quum & Filius à se missus dicatur ab August. 2. lib. de Trinit. Cap. 5. & non tantùm à Patre.

CAP. *Secundum. Filius & Spiritus sanctus missi sunt.*

NAm vterque (dicit Aug.) legitur missus. De Spiritu sancto enim legimus, Quem mittet Pater in nomine meo. Io. 10. & iterum: Si abiero, mittam eum ad vos. Io. 16. & Filius de se ait: Exiui à Patre, & veni in mũdum. Ioh. 9. & Apost. dicit: Misit Deus Filium suũ. Gal. 4 & apud Proph. ex persona Dei: Cælum & terram ego impleo. Itaque vbique Deus est: vbique ergo est Filius, vbique etiam est Spiritus sanctus. Illuc ergo missus est Filius, & Spiritus sanctus, vbi erat. hie. 23

CAP. *Tertium. Missus est Filius sine Spiritu sancto.*

QVum Apost. dicat Filiũ missum à Patre, intelligitur sanè Pater misisse eũ, cùm fecit ex fœmina, quod vtique non fecit sine Spiritu sancto.

CAP. *Quartum. Filius missus est à Spiritu sancto.*

eod. li. & c. ET quòd à Spiritu sancto Filius sit missus (vt ait Aug. in eod.) authoritatibus confirmatur. Ipse Christus dicit per E-
Es. 48 saiam: Me misit Dominus & Spiritus eius. de hoc Ambros. li. 3. de Spiritu sancto: Quis
Cap. 1. est qui dicit, Me misit Dominus & Spiritus eius, nisi qui venit à Patre, vt saluos faceret peccatores, id est Christus? Ergo & Pater Fi
Cap. 2 lium misit & Spiritus sanctus. Idem in eod. Datus est à Patre (vt Esaias dicit) Puer natus est nobis, & Filius datus est nobis. Datus est audeo dicere, & à Spiritu, quia & à Spiritu sancto missus est. Dicit enim Filius Dei, Spi
Esa. 61 ritus Domini super me, propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus misit me, prædicare captiuis remissionem, &c.

CAP. *Quintũ. Filius datus, missus est à seipso.*

Cap. 2 DEinde ostẽdit esse datũ à seipso, ita dicens in eod. lib. Cùm enim nõ definitũ fuerit per prophetiã à quo datus est Filius, ostenditur datus gratia Trinitatis, vt etiam se Filius dederit. Si ergo Filius à se datus est, à se ergo missus est, & à se processit. Idque, scilicet Filium à se mitti, astruit Aug. lib. 2. de Trinit. dicens: Fortè aliquis cogat, vt dicamus etiam à seipso missum esse Filiũ, quia & Mariæ conceptus & partus, operatio Trinitatis est. Sed inquit aliquis: Quomodo Pater eum misit, si ipse se misit?

Cui respondeo quærens vt dicat, quomodo Pater eum sanctificauit, si & ipse se sanctificat? Vtrũque enim Dominus ait: Quem Pater, inquit, sanctificauit, & misit in hunc mundũ. & alibi: Ego pro eis sanctifico meipsum. Item quæro, Quomodo eum Pater tradidit, si ipse se tradidit? Vtrunque enim legitur. Credo respondebit, si probè sapit, quia vna voluntas est Patris & Filij, & inseparabilis operatio. Sic igitur intelligat illam operationem & ex Virgine natiuitatem, in qua Filius intelligitur missus vna eademq; operatione Patris & Filij, inseparabiliter esse factam, nõ inde separato Spiritu sancto.

Io. 10.

Io. 17.

li. 1. de Tr. c. 5

CAP. *Sextũ. Missio Filij non est facta per loci mutationem.*

NOn enim missus est mutando locum, quia in mundo erat. Quapropter Pater inuisibilis vnà cũ Filio secum inuisibili, eundem Filium visibilem faciendo, misisse eum dictus est: qui si ita visibilis fieret, vt cum Patre inuisibilis esse desisteret, id est si in substantia inuisibilis verbi in creaturam visibilem mutata, & transiens verteretur: Ita missus à Patre intelligeretur Filius, vt tantùm missus non etiam mittens cum Patre inueniretur. Cùm ergo sic est accepra forma serui, vt maneret incommutabilis forma Dei, manifestum est quòd à Patre & Fi-

Aug. lib. 2. de tri. cap. 5.

lio, non apparentibus factum sit quod appa ret in Filio, id est ab inuisibili Patre, non inuisibili Filio, idem ipse Filius visibilis mitteretur.

Obiectio.

Ioh. 8. Cap. 5. SEd ad hoc opponitur: Si Filius à seipso missus est: cur ergo ait, A meipso non veni? Ad hoc respondet August. lib. 2. de Trinit. Hoc dictum esse secundum formam serui, secundū quam non fecit vt mitteretur: id est, non operatus est incarnationem, sed secundum formam Dei.

Quæstio, An semel tantùm sit missus Filius, an sæpe.

HIc quæritur an tātùm semel missus sit Filius, an sæpe mittatur. Si enim missio Filij est tātùm sui incarnatio, quū semel tantùm incarnatus sit, semel tantùm missus videtur. At si sæpe mittitur, est & alia eius missio, quàm incarnatio. Sed quæ est illa? nūquid ęterna genitura missio quæ rēda?

CAP. *Septimum. Solutio, Semel tantùm missus est in mundum.*

AD quod dicimus, quòd duobus modis mitti dicitur Filius, præter illam æternam quæ ineffabilis est, secundum quā etiam missus posset dici, vt videtur quibus-

dam. Sed meliùs ac verius dicitur ſecundum eam genitus. Præter eam ergo dupliciter dicitur mitti, ſcilicet vel cùm mundo viſibiliter apparuit carne indutus, vel cùm ſe in animas pias ſic trãsfert, vt ab eis percipiatur ac cognoſcatur. Hos duos modos aperte Aug. diſtinguit. 4. lib. de Trinit. Secundum alterum autem modum tantùm miſſus eſt Dei Filius: ſecundũ alterũ ſæpe miſſus eſt & mittitur quotidie. Nam ſecundũ primũ modum miſſus eſt vt ſit homo, quod ſemel tãtũ factũ eſt. Secundum verò alterũ mittitur, vt ſit cũ homine quo modo quotidie mittitur ad ſanctos, & miſſus eſt etiam ante incarnationem ad omnes ſanctos, etiam angelos. Quod Aug. declarat lib. 4. de Trin. Aliter mittitur Sapientia, vt ſit cum homine, aliter miſſa eſt vt ſit homo, &c. Et ſecundum primum modum dicitur miſſus in mundum, ſecundum autem alterum non. Ca. 20 Ca. 20

Quæſtio, Cur Pater non dicitur miſſus.

HIc quæritur cur Pater nõ dicitur miſſus quum ex tempore à quoquam cognoſcitur, ſicut Filius. Ad quod dicimus, quia in eo eſt prĩcipij authoritas, quæ nõ habet de quo ſit, & à quo Filius, & Spi. ſanctus. Pater enim eſt (vt ait Aug.) principiũ totius deitatis, quia principiũ eſt Filij & Sp. ſancti. Nam (vt ait Aug. in eod.) ſi voluiſſet etiam 4. de Trini. Ca. 21.

Pater author deitatis.

Deus Pater p subiectã creaturã visibiliter ap pareret. Absurdissimè tamẽ aut à Filio quẽ genuit, aut à Spiritu sancto qui de illo procedit, missus diceretur, &c. Non ideo tamẽ arbitrandum est minorem esse Filium quòd missus est à Patre (vt ait Aug.) nec ideo minorem Spiritum sanctum, quòd vterq; misit eum. Quoniã nõ ideo dicitur Pater vtrunq; misisse, quòd ille esset maior, & isti minores: sed maximè propter principij authoritatem commendandam. Et quia in visibili creatura, non sicut ille, apparuit.

4. de Trini. Ca. 21.

Filius & Spiri. sanctus nõ mĩnores Patre.

DE PROCESSIONE TEMporali Spiritus sancti visibilis.

DISTINCT. Decimæsextæ.

CAP. Primum.

Spiritus sanctus missus est dupliciter.

SIcut Filius duobus modis dicitur mitti: Vno, quo visibiliter apparuit: Altero, quo inuisibiliter à castis mẽtibus percipitur. Ita & Spiritus sanctus à Patre, & Filio, ac à seipso duobus modis procedere siue mitti siue dari dicitur: Vno visibiliter, altero inuisibiliter.

Datus est enim visibiliter creaturæ demõstratione, sicut in die Pentecostes. Et datur quotidie inuisibiliter, illabẽdo mẽtib⁹ fidelĩũ. fol. 37b.

CAP. *Secundum. Visibili specie missus est Spiritus sanctus.*

ET primò de illo missionis modo quo fit visibili specie. De hoc Augustin. 2. lib. Cap. 5. de Trini. In promptu est intelligere de Spiritu sancto cur missus & ipse dicatur. Facta est enim quædam creaturæ species ex tempore, in qua visibiliter ostenderetur Spiritus sanctus, siue cùm in ipsum Dominum corporali specie columbæ descendit, siue cùm in die Pentecostes factus est subitò de cælo sonus, quasi ferretur flatus vehemens, & visæ sunt illis linguæ diuisæ sicut ignis, qui & insedit super vnumquemque eorum. Hæc operatio visibiliter expressa & oculis oblata mortalibus, missio Spiritussancti dicta est: non vt appareret eis ipsa substantia, qua & ipse inuisibilis & incõmutabilis est, sicut Pater & Filius: sed vt signis exterioribus visis corda hominum commota à temporali manifestatione venientis, ad occultam æternitatem semper præsentis conuerterẽtur. Hæc Augustin. Non enim Spiritus sanctus tẽporali motu tunc venit, vel in homine descendit: sed per temporalem motum creaturæ significata est spiritualis & inuisibilis Spiritus sancti infusio.

Quæstio, Cur Spiritus sanctus non dicitur minor Patre propter creaturam in qua apparuit sicut Filius.

Cap. 5.

QVærendum, quum Filius dicatur minor Patre ſecundum miſsionem qua in forma creata apparuit, cur & Spiritus ſanctus non dicatur ſimiliter minor Patre, cùm in forma apparuit. Nam & de Filio quòd minor Patre ſit ſecundum formam qua miſſus apparuit, apertè oſtendit Augu. 4. li. de Trinit. dicēs: Miſit Deus filiū ſuū, factū ex muliere, factū ſub lege, vſq; adeò paruum, vt factum. Fateamur ergo factū minorem, & intantùm minorem, inquātùm factū: & intantùm factū, inquantùm miſſum.

Cap. 9 Gal. 4

CAP. *Tertium. Solutio. Spiritus ſanctus non eſt minor Patre dicendus, vt Filius.*

Cap. 6 AD quod Aug. lib. 2. de Trinit. ait: Ideo nuſquam ſcriptum quòd Deus Pater minor ſit Spiritu ſancto, vel Spi. ſanctus minor Patre: quia non ſic eſt aſſumpta creatura in qua appareret Spir. ſanctus, ſicut aſſumptus eſt Filius hominis, in qua forma ipſius Dei Verbi perſona repræſentaretur, nō vt haberet Verbum Dei ſicut alij ſapientes, ſed quòd ipſum Verbum erat. Aliud eſt enim Verbum in carne, & Verbum caro: id eſt, aliud eſt Verbum in homine, & aliud Verbum homo. Non ergo ſic aſſumpta eſt creatura in qua Spiritus ſanctus apparuit, ſicut caro illa aſſumpta eſt ex Virgine Maria. Non enim columbam, vel flatum, vel

Aliud verbum in carne, & aliud verbum caro.

ignem illum beatificauit, sibíque in vnitatẽ personæ coniunxit inæternum.

CAP. Quartum. *Filius per formam quam assumpsit, seipso non minor dicitur.*

FIlius secundum quòd homo factus est, non tantùm Patre, sed Spiritu sancto, & etiam seipso minor dicitur. Quòd seipso minor dicatur secundum formã serui ostẽdit Aug. lib. 1. de Trin. exponens locum illũ, Pater maior me est. quod propter formam serui Veritas dicit. Secũdum quem modum etiam seipso minor est. Quomodo enim nõ etiã seipso minor factus est, qui seipsum exinaniuit, formam serui accipiens? &c. Et lib. 2, de Tri. idem ait Aug. Dei Filius est æqualis Patri secundum Dei formam, in qua est: & minor Patre secundum formam serui, quã accepit: in qua non modo Patre, sed etiam Spiritu sancto: nec hoc tãtùm, sed etiam seipso minor inuentus est. Rursus idem in lib. contra Maxim. repetit Aug.

Cap 7 Io. 14.

Cap. 1.

Cap. 1.

Illud Iohannis 14. Pater maior me est, quomodo exponatur ab Hilario.

HIlarius autẽ dicere videtur q̃ Pater sit maior Filio, nec tamẽ Filius minor Patre. Pater enim dicitur maior propter authoritatẽ, quia in eo est authoritas generationis, secundũ quã dicit, Pater maior me est. Et pòst. Donauit ei nomẽ quod est super

Phil.2 ōne nomē. Cū ergo ait, Pater maior me est, hoc est acsi diceret, donauit mihi nomen. Si ergo (inquit Hilar. lib. 9. de Tri.) Donantis authoritate Pater maior est, nūquid per doni confessionē Filius minor est? Maior itaq; donans est, sed minor iam non est, cui vnum esse donatur. Ait enim, Ego & Pater vnum sumus. Si non hoc donatur Iesu, vt confitēdus sit in gloria Dei Patris, minor Patre est. Si autē in ea gloria ei donatur esse qua Pater est, habes & in donātis authoritate, quia maior est, & in donati cōfessione, quia vnū sunt. Maior itaque Pater & Filio est, & planè maior, cui tantùm donat esse quantus est ipse, cui innascibilitatis esse imaginem sacra mēto natiuitatis impartit, quē ex se in forma sua generat. Audisti, Lector, quid super hoc dicat Hilarius, cuius verba vbicunq; occurrerint, diligenter nota, piéque intellige. *Nota.*

Ioh.10

DE PROCESSIONE SPIritus sancti inuisibili.

DISTINCT. Decimæseptimæ

CAP. Primum.

Spiritus sanctus est amor siue charitas.

DIctum est suprà, & sacris authoritatibus ostensum, quòd Spiritus sanctus amor est Patris & Filij, quo se inuicē amant, & nos. His autē addendum est, quòd *Magister hic affirmat charitatē qua*

diligimus Deum & proximum esse essentialiter & formaliter Spir. sanctũ, quod reprobat Theologorũ Parisiẽ. facultas.

ipse idem Spiritus sanctus est amor siue charitas, qua nos diligimus Deum & proximũ. Quod præmittendum vt plenius intelligibilis sit ista processio. Ne autem in re tanta aliquid de nostro influere videamur, sacris authoritatibus quod dictum est corroboremus. De hoc Augustꝰ. lib. 8. de Trinit. ait: Qui proximum diligit, consequens est vt ipsam præcipuè dilectionem diligat. Deus autem dilectio est: consequẽs ergo est vt Deũ præcipuè diligat. Item in eod. Deus dilectio est (vt ait Ioh. Apost.) vt quid ergo imus & currimus ad sublimia cælorum & ima terrarum, quærentes eum qui est apud nos: si nos apud Deum esse velimus? Nemo dicat, non noui quid diligam. Diligat fratrẽ, & diligat eandem dilectionem: magis enim novit dilectionem qua diligit, quàm fratrem quem diligit, &c. His verbis satis ostendit Aug. quòd dilectio ipsa qua diligimus Deũ vel proximum, Deus est. Sed adhuc apertiùs in eod. lib. subdit dicens, Dilectionem quantũ cõmendat Iohan. Apost. attẽdamus. Qui diligit, inquit, fratrẽ, in lumine manet, & scãdalum in eo nõ est. Manifestũ est ꝙ iustitiæ perfectionem in fratris dilictione posuerit. Nam in quo scandalũ non est, vtique perfectus est: & tamen videtur dilectionẽ Dei tacuisse, quod nunquam faceret, nisi quia in ipsa fraterna dilectione vult intelligi Deũ.

Cap. 7. 1.

2.

1. Ioa. 2.

Has autẽ oẽs authoritates à Magistro adductas soluit d. Thomas secunda secũdæ. q. 23. art. 2. ad. 1 & in. 4. cap. 1. Ioh. exponẽs illud, Deus charitas est dicit intelligi posse effectiuè vel formaliter

Et in ead.epist. paulò pòst ait ita: Qui non diligit,non cognouit Deum,quia Deus dilectio est. Ista contextio satis apertè declarat eandem ipsam fraternam dilectionem non solùm ex Deo,sed Deum ipsum esse.

CAP. *Secundum. Fraterna dilectio non est Pater aut Filius,sed Spiritus sanctus.*

QVum autē fraterna dilectio sit Deus, nec Pater est nec Filius, sed tantùm Spiritus sanctus. Vnde Aug.libr.15. de Tri. Si in donis Dei nihil est maius charitate, & nullū est maius donum Dei quàm Spiritus sanctus: quid cōsequētius est, quàm vt ipse sit charitas, quæ dicitur & Deus, & ex Deo? Ita enim ait Iohā. Dilectio ex Deo est. & paulò pòst: Deus dilectio est. vbi manifestat eam se dilectionem dixisse Deum, quam dixit ex Deo. Deus ergo ex Deo est dilectio. Item in eod. Iohānes de hac re volens apertiùs loqui, In hoc, ait, cognoscimus quia in ipso manemus, & ipse in nobis: quia de spiritu suo dedit nobis. Spiritus itaque sanctus, de quo dedit nobis, facit nos in Deo manere, & ipsum in nobis. Hoc autem facit dilectio.

cap.19.

Deum non esse charitatem causaliter siue effectiuè.

SEd ne fortè aliquis dicat illud esse dictum per expressionem causæ, Deus charitas est, eo scil. quòd charitas sit ex Deo, & non sit ipse Deus: Sicut dicitur, Deus nostra patientia est, & spes: & non quòd sit ipse ista, sed quia ista ex Deo sunt: Occurrit August. ostendens hoc non esse dictum per causam, sicut illa, lib. 15. de Tri. ca. 17. Non enim dictum est, Domine charitas mea, aut tu es charitas mea, aut Deus charitas mea, sicut dicitur de spe & patientia. Sed ita dictum est, Deus charitas est, sicut dictum est, Deus spiritus est.

CAP. *Tertium. Spiritus sanctus nobis inuisibiliter immittitur, cùm per eum, Deum & proximum diligimus.*

TVnc enim mitti vel dari dicitur, cùm ita in nobis est, vt faciat nos diligere Deum & proximum, per quod manemus in Deo, & Deus in nobis. Vnde Aug. hunc missionis modum insinuans libr. 15. de Trinit. ait: Deus Spiritus sanctus, qui procedit ex Deo, cùm datus fuerit homini, accendit eum ad diligendum Deum & proximum: & ipse dilectio est. Non enim habet homo vt diligat Deum, nisi ex Deo. Ecce quomodo datur Spiritus sanctus secundum quòd dicitur datum siue donum. ca. 17. folio 34. ad 38. b.

Duplex quæstio.

1 HIc quæritur, Si charitas Spiritus sanctus est, cùm ipsa augeatur & minuatur in homine, & magis & minus per diuersa tempora habeatur, an concedendum sit quòd Spiritus sanctus augeatur vel minuatur in homine. Quod non videtur, quoniam mutabilis esset.

2 Itē, Si Spiritus sanctus charitas & non habenti datur vt habeat, vel habenti vt plenius habeat, quomodo datur non habenti, quum sit ipse Spiritus vbique & in omnibus creaturis totus, & quomodo plenius datur sine sui mutatione?

Responsio ad vtramque.

CAP. *Quart. Spiritus sanctus non augetur vel minuitur in se, sed in creatura.*

1 HIs itaque respōdemus, dicentes quòd Spiritus sanctus siue charitas penitus immutabilis est, nec augetur in se vel minuitur, nec in se recipit maius vel minus, sed in homine, vel potius homini augetur & minuitur, & magis & minus datur. Sicut Deus dicitur magnificari in nobis & exaltari, & non in se. Vnde Psal.

Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus. Super quem locum ait authoritas, Deus non in se, sed in corde hominis grandescit. illudque Aug. ostendit super Io. 5. dicens: Sine Spiritu sancto constat nos Christum non diligere, & eius mandata seruare non posse, & id nos posse atque agere tanto minus, quanto illum percipimus minus: tanto verò amplius, quanto illum percipimus amplius. Ideoque non solùm non habenti, verùm etiam habenti non incassum promittitur. Non habenti quidem vt habeatur: habenti autem vt amplius habeatur. Nam si ab alio minus, & ab alio amplius non haberetur, sanctus Helisæus S. Heliæ non diceret, Spiritus qui est in te, fiat duplex in me. Christo, qui est Dei Filius, non ad mensuram datus est Spiritus. Secundum quem modum dicitur homo proficere, & deficere: & tamen charitas illa nec proficit nec deficit in se, quia Deus est. Nam si charitas Dei est (inquit Augustus. Homil. 9. in epist. Iohan.) nec proficit nec deficit. Et ad id quod dicitur, quòd Deus vbique est, diceudum quòd non omnes Spiritum sanctum habent, in quibus est: alioqui irrationales creaturæ haberent Spiritum sanctum. & tamen Deus in illis est, sicut in omni creatura,

Ps. 63.

fol. 37. b.

4. Reg. 2.

9
2

Argumenta eorum qui negant eandem esse charitatem, qua Pater & Filius se & nos diligunt, & qua Deum & proximum diligimus.

DIcit enim Aug. lib. de Spiritu & litera: Vnde est dilectio, nisi vnde & ipsa fides? id est à Spiritu sancto. Non esset enim in nobis, nisi & diffunderetur in cordibus nostris per Spiritum sanctum. Charitas autem Dei dicta est diffundi in cordibus nostris, non qua nos ipse diligit, sed qua nos facit dilectores suos. Sicut ~~iustitia~~ Dei dicitur, qua nos iusti eius munere efficimur: & Domini ~~salus~~, qua nos saluat, & non qua iustus aut saluus est, &c. Et libr. 15. de Trinita. cap 17 ait: Cùm Iohannes commemorasset dilectionem, non qua nos eum, sed qua ipse dilexit nos, & misit Filium suum liberatorem pro peccatis nostris.

Responsio ad prædicta.

HIs authoritatibus respondetur, dicendo quòd hæc verba sic intelliguntur: Charitas Dei dicta est diffundi, non qua nos, id est, non ibi appellatur charitas Dei eo quòd Deus nos ea diligat: sed eo quòd nos ea sui dilectores facit. Sicut dicitur iustitia Dei qua nos iustificat &c. Similiter & aliam exponimus authoritatem, vbi

ait dilectionem Dei commemorari, non qua nos eum,&c.q. d. commemorat dilectionem Dei, non secundum quòd ea nos diligimus Deum, sed secundum quòd ipse ea nos diligit.

Quod verò adducunt ex August. 3. de Doctr. Christ. quòd charitas est motus animi ad fruendum. & libr. de moribus Ecclesiæ dicitur virtus animi. Soluitur sicut dicitur, Deus est spes nostra & patientia nostra, quia facit nos sperare & pati. Ita charitas dicitur esse motus siue affectio animi: quia per eam mouetur & afficitur animus ad Deum diligendum. *Cap.1.* *Cap 1.*

Corrolarium.

QVia per donum quod est Spiritus sanctus, singulariter propria diuiduntur, concedendum est per donum dona donari. Vnde August. lib.13. de Trini. ait: Per donum quod est Spiritus sanctus, in commune omnibus membris Christi multa dona diuiduntur. *Ca.19.*

De nomine inquiritur quod conuenit Spiritui sancto, ratione suæ processionis.

DE PROPRIETATE SPIritus sancti secundum quam procedit temporaliter.

DISTINCT. Decimæoctauæ

Quæstio.

QVum Spiritus sanctus detur & donetur, videtur quòd dici debeat donũ & datum. quod Aug. lib. 15. de Tri. videtur dicere, Spiritus sanctus intantùm donum Dei, inquãtùm datur eis quibus datur.

Responsio.

CAP. *Secundum. Spiritus sanctus dicitur datum à temporali processione, sed donum dicitur ab æterna*

AD quod dicimus quia Spiritus sanctus & donum dicitur, & datum siue donatum. Sed datum siue donatum ex eo tãtùm dicitur, quia datur vel donatur, quod habet tantùm ex tempore.

Donum verò dicitur non ex eo tantùm quòd donetur, sed ex proprietate quam habuit ab æterno. Vnde & ab æterno fuit donum. Vnde August. 4. de Trinita. Sicut natum esse est Filio à Patre esse: ita Spiritui sancto donum Dei esse est à Patre & Filio procedere. Donũ enim est Patris & Filij (vt ait lib. 5. de Trini.) quia & à Patre procedit & Filio. Cùm ergo ab æterno processerit, ab æterno donum fuit. Non igitur Spiritus sanctus eo tãtùm dicitur donum, quia donatur: Nam & antè fuit donum quàm donaretur. Sed quia sic procedebat vt esset donabile, iam donum erat antequàm esset cui donaretur, vt ait Aug. suprà. Aliter enim intelligitur, cùm dicitur donũ (quoniã potest esse

cap. 11.

antequàm donetur) & aliter cùm dicitur donatum, quod nisi datum fuerit, donatum non est.

Ex quo colligitur quòd Spiritus sanctus non erat Patri aut Filio donabilis, sed nobis tantùm donabilis processit, sicut & nobis tantùm datus est : & Filius quamuis datus sit nobis, ab æterno tamen processit, non vt donabilis tantùm, sed vt genitus, qui & donari posset, vt dicit Augustlib. 15. de Trinit. ca. 14.

CAP. *Secundum. Spiritus sanctus per processionem æternam non tantùm accepit vt esset donum, sed & essentia.*

ET notandum quòd sicut Filius nascendo accepit non tantùm vt Filius sit, sed omnino vt sit, & vt substantia sit: ita & Spiritus sanctus à Patre & Filio procedendo accepit non tãtùm vt Spiritus sanctus sit, vel donum, sed etiam vt omnino sit, & substantia sit. Quod vtique non accepit ex eo quod datur, accepisset enim ex tempore vt esset, quoniam datur in tempore. Vnde Augustlibr. 5. de Trinita. Filius non hoc tantùm habet nascendo vt sit Filius, sed omnino vt sit. ca. 16.

folio 17.

Quæstio.

SI Spiritus sanctus procedendo ab vtroque non tantùm habet vt sit donum, sed vt substantia sit, sicut Filius nascendo: sequitur quòd Spiritus sanctus processione substantia est, similiter & Filius natiuitate: quum tamen alibi dicatur quòd Pater eo non est Pater, quo Deus est: nec Filius eo Filius, quo Filius est.

Sup. dist. 5.

Ad quod breuiter respondentes dicimus, quia nec Filius natiuitate essentia est, sed tantùm Filius: nec Spiritus sanctus processione essentia est, sed donum tantùm: tamen vterque, vnus nascendo, alius procedendo accepit vt esset essentia, vt dicit Hilar. libr. 5. de Trinit.

CAP. Tertium. *Spiritus sanctus vt donum, refertur ad Patrem & Filium: vt datum, ad nos & ad eum qui dedit.*

SEcundum hoc quòd Spiritus sanctus supernè donum est, refertur ad Patrem & Filium. Secundum verò hoc quòd dicitur datum, vel donatum, ad eum qui dedit refertur, & ad eos quibus datur: & eius dicitur esse qui dat, & illorum quibus datur. Vnde Augustl. lib. 5. de Trinit. Quod datum est, & ad eum qui dedit refertur, & ad eos quibus dedit. Itaque Spiritus sanctus non tantùm Patris & Filij qui dederunt, sed

cap. 14

etiam noster dicitur qui accepimus.

Spiritus Patris dicitur spiritus noster.

Quòd autem Spiritus sanctus noster dicatur scriptura ostendit. Scriptum est enim de Iohanne quòd in Spiritu Heliæ venit. & Mosi ait Dominus: Tollam de Spiritu tuo quem iam dedi tibi. Ecce quomodo dicitur Spiritus Heliæ & Mosis &c. Patet igitur quia Spiritus sanctus noster dicitur Spiritus, quia nobis datus: datus vtique ad hoc vt sancti essemus. Spiritus verò creatus nobis datus est vt essemus. *Luc.* *Nu.*

CAP. *Quartum. Filius Patris non dicitur Filius noster.*

HIc quæritur vtrum & Filius, quum sit nobis datus, possit dici noster. Ad quod dicimus, quia Filius dicitur noster panis, noster redemptor: sed non dicitur noster Filius, quia Filius dicitur tantùm relatiuè ad eum qui genuit. Sicut nec dicitur Spiritus sanctus noster, quia Spiritus sanctus eo dicitur quo donum est: ideo relatiuè dicitur tantùm ad Patrem & Filium: quamuis dicatur Spiritus tuus, noster, vel illius, vt dictum est de Helia & Mose. Si tamen aliquando dicatur donum nostrum, accipitur pro donato vel dato.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

DE AEQVALITATE PERsonarum.

DISTINCT. Decimænonæ

CAP. Primum.

Tres Personæ sunt æquales.

FIdes enim catholica sicut coæternas, ita & coæquales tres personas asserit: quia
Cap. 1. (vt dicit August. libr. de fid. ad Petr. Nullus horum alium aut præcedit æternitate, aut excedit magnitudine, aut superat potestate. Ob hoc tres vnum rectè credimus & dicimus Deum, quia vna prorsus æternitas, vna immensitas, vna naturaliter est trium Personarum diuinitas.

CAP. *Secundum. Aeternitas, & magnitudo, & potestas in Deo sunt vnum.*

QVúmque enumerentur ista quasi díuersa in Deo, tamen vnum & idem sunt, scil. Diuina essentia sim-
Cap. 1. plex. Vnde August. libr. 7. de Trinita. Non alio magnus, & alio Deus est: sed eo magnus, quo Deus. Quia non est illi aliud magnum esse, aliud Deum esse: eadem quippe eius magnitudo est quæ virtus: & eadem essentia quæ magnitudo. Idem testa-
Cap. 4. tur August. libr. 7. Confessionum. & super id

Psalmistæ, In generatione & generationem anni tui. Ps. 10.

CAP. 3. Non est vna Persona maior alia nec duæ sunt quid maius quàm vna

SCiendum est ergo quia Pater non est maior Filio, nec Pater & Filius maiores Spiritu sancto: nec magis aliquid duæ personæ simul quàm vna, nec tres simul maius aliquid quam duæ: nec maior est essentia in tribus quàm in duabus, nec in duabus quam in vna, quia tota est in singulis. Vnde Iohan. Damasc. Confitemur deitatis naturam omnem perfectissimè esse in singula suarum hypostaseon, id est personarum, omnem in Patre, omnem in Filio, omnem in Spiritu sancto. Ideoque perfectus Deus Pater, perfectus Deus Filius, perfectus Deus Spiritus sanctus. Et August. libr. 8. de Trinita. Lib. de orth. fid. c. 5. Cap. 1. & 2.

fol. A. 9. 44. b.

Corrolarium.

Vna persona est in alia.

ET inde est quòd Pater dicitur esse in Filio, & Filius in Patre, & Spiritus sanctus in vtroque, & singulus in singulis. Vnde August. lib. de fid ad Petr. Propter vnitatem naturalem totus Pater in Filio & Spiritu sancto, totus quoque Spiritus sanctus in Patre & Filio est. Idem Hilar. expo-

nens illud Iohan. Ego in Patre, & Pater in me, ait Patrem in Filio, & Filium in Patre esse. Plenitudo in vtroque diuinitatis perfecta est. Ambros. idem in epist. 2. Corinth. 5. Per hoc intelligitur Pater esse in Filio, & Filius in Patre, quia vna est eorum substãtia.

CAP. 4. *Nulla personarum est pars in Trinitate.*

NEc est aliqua trium Personarum pars Dei vel diuinæ essentiæ: quia singularum veriùs & pleniùs Deus est, & tota & plena diuina essentia est: & ideo nulla istarum trium pars est. Vnde Augustin. libr. 3. ad Maxim. sic ait: Putas Deum Patrem cap. 11. cum Filio & Spiritu sancto vnum Deum esse non posse. Times enim ne Pater sit pars vnius Dei: qui constat ex tribus. Noli hæc timere. Nulla enim fit partium in deitatis vnitate diuisio. Vnus est Deus, Pater & Filius, & Spiritus sanctus, id est ipsa Trinitas vnus est Deus, & summè vnum sunt, vbi nulla naturarum, nulla est diuersitas voluntatum, &c. His verbis apertè ostendit indifferentem magnitudinem voluntatum.

CAP. *Quintum. Essentia non est genus, aut species aut persona, aut individuum.*

Iohn 17. a.

NOn enim essentia diuina genus est, aut species, & tres personæ species aut indiuidua. quod Augustinus apertè demonstrat libr. 7. de Trinita. dicens: Si essentia genus est, species autem persona (vt nonnulli sentiunt) oportet appellari tres substantias, vt appellantur tres personæ: sicut cùm sit animal genus, & equus species, appellantur tres equi, ijdémque tria animalia. Non enim ibi species pluraliter dicitur, & genus singulariter: vt si diceretur, tres equi sunt vnum animal. Sed sicut tres equi speciali nomine, ita tria animalia nomine generali dicuntur. Quum ergo tres personas vnam fateamur essentiam, non tres esse essentias, quum tres equi tria dicantur animalia, non vnum.

Si verò dicunt nomine personæ non speciem significari, sed indiuiduum, & nomine essentiæ speciem intelligi, vt persona non dicatur, sicut homo, sed sicut hic homo: Sic quoque illos eadem ratio confutabit: Sicut enim dicuntur Abraham, Isaac, & Iacob, tria indiuidua: ita tres homines & tria animalia. In Trinitate autem non item dicuntur tres essentiæ, sicut tres personæ, &c.

CAP. *Sextum. Essentia non est materia, ex qua Personæ.*

cap. 6. ESsentia non est materia Personarum, sicut (ait August. in eod. libr.) ex eodem auro fiunt tres statuæ, quas dicimus vnum aurum. Non autem sic Trinitatem, id est tres personas dicimus vnam essentiam & Deum vnum, tanquam ex vna materia tria quædam subsistant. In statuis enim æqualibus plus auri est tres simul quàm singulæ, & minus auri est vna quàm duæ. In illa verò essentia nullo modo est ita. Non ergo secundum materialem causam dicimus tres personas vnam esse substantiam, sicut tres statuas vnum aurum.

Nec dicuntur tres personæ vna essentia, vt tres homines vna natura.

ETiam tres personas non ita dicimus vnam essentiam vel vnius essentiæ, vt dicimus tres homines eiusdem vel sexus vel temperationis corporis aut animi, esse vnam naturam vel eiusdem naturæ. Nam in iis rebus (ait August. vbi suprà) non tantùm est vnus homo, quantùm tres homines simul, sicut in statuis dicimus. non sic autem de tribus personis, &c.

Obiectiones.

Lib. 3. de ort. fid. c. 6. HIs aduersari videtur Damasc. inter Græcos maximus, in libr. quem de Trinitate scripsit, quem & papa

Eugenius transferri fecit, ait: Communia & vniuersalia prædicantur de subiectis sibiipsis particularibus. Commune ergo substantia est: Particulare verò hypostasis, id est persona. Particulare autem dicitur non quod partem naturæ habet, sed particulare numero, vt atomus, id est indiuiduum. Numero enim non natura differre videntur hypostases.

Solutio.

Videntur autem mihi illa verba posse sic accipi: Substantia est commune, & hypostasis est particulare. Non ita hæc accipit, cùm de Deo dicantur, vt accipiuntur in philosophica disciplina, sed per similitudinem eorum quæ à Philosophis dicuntur, loquutus est: vt sicut ibi Commune & vniuersale dicitur quod prædicatur de pluribus: Indiuiduum verò quod de vno solo: Ita hæc Essentia dicta est Vniuersale, quia de omnibus personis simul & de singulis seperatim dicitur: Indiuiduum verò singula quæque personarum: quia nec de aliis communiter, nec de aliqua aliarum singulariter prædicatur. Propter ergo similitudinem prædicationis substantiam Dei dixit vniuersale, & personas particularia siue indiuidua.

Quomodo Hypostases differant numero.

QVòd autem Iohãnes dicit Hypostases differre, cauendum est quomodo intelligatur. Diuersis enim modis dicũtur aliqua differre numero. Primò quãdo ita differunt vt istud non sit illud, nec aliquid quod illud sit, qualiter differunt Socrates & Plato. Ecce personæ non possunt dici differre numero.

Dicuntur quoque differre numero, quæ in enumeratione siue computatione non sibi adiunguntur, sed à se inuicem discernuntur: vt cùm de aliquibus rebus loquentes dicimus, Vna, duæ, tres. Et secũdum hunc modum fortè dixit Iohannes Hypostases, id est personas, differre numero. Possumus enim dicere, Pater est vnus: Pater & Filius sunt duo: Pater, Filius, & Spiri, sanctus tres, &c.

CAP. *Septimum, Deus non est dicendus triplex.*

PRætereà cùm Deus dicatur trinus, non tamen debet dici triplex. Ibi enim non est triplicitas, vbi summa est vnitas & indifferens æqualitas. Vnde Augu. lib. 5. de Trinit. Non quoniam Deus Trinitas, ideo triplex putandus est. alioqui minor esset Pater solus, vel solus Filius, quàm simul Pater & Filius. Cùm itaque tantus est Pater solus,

Cap. 9

vel ſolus Filius, vel ſolus Spiritus ſanctus, quantus eſt ſimul Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, nullo modo triplex dicēdus eſt Deꝰ. In rebus enim corporeis nō tantùm eſt vna, quantùm tres ſimul. In Trinitate verò ſumma tantùm eſt vna perſona, quantùm tres ſimul, &c.

DE PERSONARVM AEqualitate in operandi potentia.

DISTINCT. Vigeſimæ

CAP. Vnicum.

Indifferens eſt trium Perſonaarum potentia.

Superiꝰ dictū eſt de Perſonarū æqualitate in magnitudine & æternitate: nunc de æqualitate earū in poteſtate.

SIcut indifferens eſt magnitudo trium: ſita vna indifferens monſtratur potētia. Ita vt non poſsit plus vnus quàm aliùs, vel duo, quā vnꝰ, &c. Quod Aug. rationibus & authoritatibus áſtruit lib. 3. contra Maxi. Nihil, inquit, Patre minus habet ille qui dicit, Omnia quæ habet Pater, mea ſunt. Nam ſi minus aliquid in poteſtate habet quàm Pater, non ſunt eius omnia quæ habet Pater. Sed eius ſunt omnia quæ habet Pater: tantam ergo habet poteſtatem Filius, quantam Pater. Aequalis ergo eſt Patri, &c. Habet igitur omnipotentiam quam Pater: aliàs ſi minorem accepit, non omnia quæ habet Pater, Filiꝰ habet. Et ſi hoc eſt, falſum eſt quod ait Filius, Omnia quę habet Pater, mea ſunt. *Lib. 3. Ca. 12.*

Item, ſi Pater produxit Filium minorem

seipso, aut non potuit, aut non voluit gignere æqualem. Si non voluit, eum inuidum dixisti. Si autem non potuit, vbi eius potentia? Ecce vtrinque Patri derogas.

contr. Maxi. lib. 3. cap. 7.

Hoc autem per similitudinem humanam ita esse demõstrat, inquiens: Homo Pater, si potuisset, æqualem Filiũ genuisset. Quis ergo audeat dicere ꝙ hoc omnipotens nõ potuit? Addo etiã: si posset homo, maiorem melioremq; Filium seipso gigneret. Sed maius vel melius Deo quicquam esse non potest.

Opinionem ponit hæreticã vt destruat.

Sed forte dicis, Pat. eoipso est maior Filio, quia de nullo genit⁹, genuit tamen æqualẽ. Ad quod citò respondebo: imò ideo nõ est Pat. maior Filio, quia ęqualẽ sibi genuit. Originis enim quęstio ista est, quid, de quo sit: æqualitatis autẽ, qualis aut quãtus sit. Quod est dicere, Ad originẽ pertinet quæstio qua quæritur, quis de quo sit: ad ęqualitatẽ verò qua quæritur, qualis quãt⁹ sit. Nec cùm dicitur Filius à Patre genitus, ostẽditur inæqualitas subesse, sed ordo naturæ: non quo alter prior esset altero: sed quo alter est ex altero. Non ergo secundum hoc, quò Pater genuit, & Filius genitus, vel Spiritus sanctus ab vtroque procedit, æqualitas vel inæqualitas ibi existit: quia non secundum hoc alia Persona alij æqualis vel inæqualis dicitur.

Nota. Procedere ab altero non est inæqualitatis sed ordinis naturæ.

EPITOME

DE MODO LOQVENDI de Personis cùm exclusiua dictione.

DISTINCT. Vigesimæprimæ

CAP. Primum.

Conceditur hæc, Solus Pater, &c.

QVoniam dictũ est suprà quòd tantus est solus Pater, vel solus Filius, vel solus Spiritus sanctus, quantum simul illæ tres, &c. Ideo quærit Augustinus 5. de Trin. Quomodò hæc sanè dici possunt, quũ nec Pater sit solus, nec Filius, nec spiritus sanctus, sed inseparabiles sint hæ tres personæ? Ad quod ita respondet idẽ Aug. in eod. Solum Deum Patrem dicimus, non quia separatur à Filio, vel Spiritu sancto. Sed hoc dicentes significamus quia illi simul cum eo non sunt Pater: Solus enim Pater, Pater est. quod non dicitur quia ipse sit solus, id est sine Filio vel Spiritu sancto. Cùm ergo dicitur, Tantus est solus Pater, quantum simul illi tres, per hoc quòd dicitur solus, non separatur pater ab aliis. Sed hic est sensus: Solus Pater, id est Pater, qui ita Pater est, quòd nec Filius, nec Spiritus sanctus, tãtus est. Similiter intellige cùm dicitur, Solus est Filius, Solus Spiritus sanctus.

Cap. 8

Solus excludit à proprietate relatiua & non a pluralitate personarũ.

CAP. Secundum. *Non conceditur hæc, Solus Pater est Deus.*

VTrũ ſicut dicitur Solus Pat. eſt Pat. vel ſolus Filius eſt Filius: ita poſsit dici, Solus Pater eſt Deus. Dicendũ quòd quum tres perſonæ ſint vnus Deus, Trinitas ſimul propriè dicitur eſſe ſolus Deus, ſicut ſolus ſapiens & potens. Ideo hæ non videtur à nobis concedi, niſi vbi ſermo authoritatis occurrit. Solus Pater eſt Deus, vel Pater eſt ſolus Deus: ita de Filio & Spiritu ſancto. vt dicit Aug. lib. 7. de Trinit.

Eſſentiales termini de perſonalibus cũ excluſiua nõ dicuntur.

CAP. *Tertium. Trinitas ſolus Deus dicitur.*

QVæritur quomodo ipſam Trinitatem dicimus ſolum Deum, quũ ſit cũ ſpiritibus & animabus ſanctis. Ad quod reſpondet Auguſt. lib. 5. de Trinit. dicens: Trinitatem dicimus Deum ſolũ, quãuis ſemper ſit cũ ſpiritibus & animabus ſanctis. Sed ſolũ dicimus, quia non aliud quàm ipſa Trinitas Deus eſt. Non enim illi cum illa Deus ſunt, ſed ipſa tantùm Trinitas Deus eſt.

CAP. *Quartum. Si Pater diceretur ſolus Deus, non tamen excludertur Filius aut Spiritus ſanctus.*

VEruntamen (vt ait Augu.) etſi de ſolo Patre prædicta dicerentur, non tamen excluderetur Filius aut Spiritus ſanctus.

quia hi tres vnum sunt: sicut in Apoc. legi- 1. Io. 5.
tur de Filio, quòd habet nomen scriptum, Ca. 19
quod nemo sit nisi ipse. Non enim inde sepa
ratur Pater aut Spiritus sanctus. Et cùm di-
D. Tho. 1. citur, Nemo nouit Patrem nisi Filius, nō in- Ioh. 17
q 31. artic. de separantur alij. Aliquando & nominan-
3. & 4. tur Pater & Filius, & tacetur Spir. sanctus:
vt Veritas ad Patrē ait, Vt cognoscant te so
lum Deum. & quē misisti Iesum Christum.
Cur (ait Aug.) tacuit de Spir. sancto? Quia
cōsequens est vt vbicūque nominatur vnus,
reliqui intelligantur.

DE MVLTIPLICI NOMI-num ac prædicationū differentia in diuinis.

DISTINCT. 22. CAP. Primum.

Sextuplicia sunt Nomina quæ Deo tribuūtur secundum substantiam.

DEinde demōstrandū quibus modis de
ineffabili illa Trinitate ac vnitate ali-
quid dicatur. Illud ergo præcipuè te-
1. neamus quędā esse nomina ad singulas per-
sonas distinctē pertinentia (vt ait Aug. lib. 9.
2 de Tri.) quæ de singulis tantū dicūtur per-
sonis. Quædā verò essentiæ vnitatē signifi-
3 cantia, quæ & de singulis sigillatim, & de o-
mnibus cōmuniter dicuntur. Quædā trāsla- 1.
tiuè & per similitudinē de Deo dicūtur. Pro-
prietatis itaq; indicia sunt (ait Amb. lib. 2. de
Tri.) generatio, Filius, Verbū: Vnitatis verò 2

æternæ, Sapientia, Virtus, Veritas, &c. Similitudinis verò, Splẽdor, Caracter, Speculũ, & huiusmodi. Quędã insup que ex tẽpore deo cõueniunt, & relatiuè ad creaturam dicuntur (vt ait Aug. lib. 5. de Tri.) quorũ quædã dicuntur de omnibus personis, vt Dominus, Creator, Refugiũ: Quædã autẽ nõ de oĩbus vt donatus, datꝰ, missus. Præterea vnũ nomẽ est, quod de nulla Persona sigillatim dicitur, sed de omnibus simul, scil. Trinitas, quod nõ dicitur secundũ substantiã, sed quasi collectiuum pluralitatẽ designat personarũ. Sunt etiã quædã nomina quæ ex tẽpore de Deo dicuntur, sed non relatiuè, vt Humanatus, Incarnatus, & huiusmodi. Ecce sex nominũ differentias assignauimus, quibus vtimur loquentes de Deo, & de quibus agendum est.

CAP. *secundum.* Prædicta nomina non eodem modo de Deo, & de personis dicuntur.

ILla quæ ꝓpriè ad singulas ꝑsonas ꝑtinẽt, relatiuè adinuicẽ dicũtur: sicut Pat. & Filius, & vtriusque donũ Spir, sanctus. Ideo substantialiter non dicuntur, vt dicit Augu. lib. 5. de Trinit. sed relatiuè. *Regula prima.*

Cap. 1.

Ea verò quæ vnitatẽ essentiæ significãt, & ad se dicuntur, substantialiter vtique dicuntur & de omnibus communiter, & de singulis sigillatim dicuntur personis, & singulariter & non pluraliter accipiuntur in summa, vt Deus bonus, potens, magnus, &c. *Regula secunda.*

f. 18. a.

Non tamen magnus est, aut potens, aut alia magnitudine, potentia, aut bonitate, quæ non sit ipse Deus: alioqui maior esset magnitudo quàm ipse Deus.

DE HOC NOMINE Persona.

DISTINCT. Vigesimætertiæ
CAP. Primum

Persona est nomen substantiæ.

Est tamen vnum nomẽ substantiæ, Persona, quod secundum substantiam dicitur de singulis personis, & pluraliter non singulariter in summa accipitur. Dicimus enim, Pater est persona, Filius est persona, Spiritus sanctus est persona: Nec tamen dicitur, Pater, Filius, & Spiritus sanctus sunt vna persona, sicut dicũtur vna substantia: sed tres Personæ. Hoc ergo nomen excipitur à prædicta regula nominum, quæ secundum substantiam de Deo dicuntur, quæ dicuntur singulariter & non pluraliter de omnibus personis in summa.

Quod autem Persona secũdum substantiam dicatur Aug. ostendit lib. 1. de Trinit. dicens: Non est aliud Deo esse, aliud Personam esse, sed omnino idem. Item: In hac Trinitate cùm dicimus Personam Patris, non aliud dicimus quàm substantiam Patris.

Quocirca vt substantia Patris ipse Pater est, non quo Pater est, sed quo est: Ita & Persona Patris, non aliud quàm ipse Pater est. Ad se quippe dicitur Persona, non ad Filiũ, aut Spiritum sanctum: Sicut ad se dicitur Deus magnus, bonus, &c. Et sicut hoc illi est esse, quod Deum esse, quod magnum esse, &c. Ita hoc est illi esse, quod Personam esse.

CAP. *Secundum. Tres Hypostases in Diuinis non dicuntur vna Persona.*

IDeo oritur quæstio difficilis quidem, sed non inutilis, cur non dicantur hi tres vna Persona, sicut vna essentia & vnus Deus. Quam quæstionem August. diligenter tractat atque congruè explicat lib. 7. de Trin. *Cap. 6.* dicens: Quia volumus vel vnum aliquod vocabulũ seruare huic significationi, qua intelligitur Trinitas, ne omnino taceamus interrogati quid tres essent, cùm tres esse fateamur. *Cap. 9* Idẽ ait li. 5. de Tri. Ecce ostẽdit qua necessitate dicãtur pluraliter Personæ, videl. vt hoc vno nomine quærentibus de tribus respondeamus. Qua necessitate nõ solùm Latinus sermo, sed etiã Græcus eadẽ penè super hac re laborãs nominũ penuria coarctatur. Vnde *Cap. 4* Aug. lib. 7. de Trini. ait: Loquendi causa de ineffabilibus vt fari aliquo modo possemus: dictum est à Græcis vna essentia, tres substãtiæ. vna Vsia, tres Hypostases. Aliter enim

Tres personæ non substantiæ dicuntur.

Cur tres hypostases dicere coacti sunt Græci.

Vsia, Hypostasis, et Persona differunt.

Græci accipiunt ſubſtantiam quàm Latini: à Latinis autẽ dictum eſt vna eſſentia ſiue ſubſtantia, & tres perſonæ: quia nõ aliter in noſtro ſermone Latino eſſentia quàm ſubſtantia ſolet intelligi. Propterea autem dicimus tres perſonas, quia commune eſt eis id quod Perſona eſt.

CAP. 3. *Tres Perſonæ non ſunt tres Dij.*

Quæſtio. SEd quæritur, quũ dicamus Patrẽ & Fíliũ & Spiritũ ſanctũ tres perſonas: quia cõmune eſt eis quod Perſona eſt, id eſt quia Pater eſt perſona, & Filius eſt perſona, & Spir. ſanctus eſt perſona: cur non dicimus ſimiliter tres Deos, cũ Pater ſit Deꝰ, & Filiꝰ ſit Deꝰ, &c. Hanc quæſtionẽ mouet Aug. ac definiens lib. 7. de Trinit. dicit quia ſcriptura cõtradicit tres Deos eſſe, & non tres perſonas: ideo neceſsitate loquendi tres perſonas nobis dicere licet. Nõ quia ſcriptura dicit, ſed quia non contradicit. Contradicit autem tres Deos, eſſe: Audi Iſrael: Deus tuus Deus vnus eſt.

Solutio.

Cap. 4

Deut. 8.

CAP. *Quartum. Tres Perſonæ non dicuntur tres eſſentiæ.*

Quæſtio. VErùm & hic emergit alia quæſtio, quã conſequenter Auguſt. annectit dicens: Cur, inquit, & tres eſſentias non licet dicere? quod ſimiliter Scriptura ſicut non

dicit, ita nec contradicit. Si dicas, propter vnitatem Trinitatis in essentia affirmandam, quæro cur propter eandem Trinitatis vnitatem non dicamus, vna persona, & non tres personæ. Dicendum quòd humana inopia timuit dicere tres essentias: ne intelligeretur in illa summa æqualitate vna diuersitas. Rursum non poterat dicere non esse tria quædam. quod quia dixit Sabellius, in hæresim lapsus est. Quæsiuit ergo quid tria diceret, & dixit tres personas, siue tres substantias, secundum Græcos. Quòd enim de personis secundū nostram, hoc de substātiis secundū consuetudinem Græcorum oportet intelligi. Si enim illi dicūt tres substātias, vnā essentiam, id est tres Hypostases, vnā Vsiam: sicut nos dicimus tres personas, vnā essentiā, vel substantiā. Quanquā & illi si vellēt, sicut dicūt tres substātias, tres hypostases, possunt dicere personas, tria Prosopa. Illud autē maluerūt dicere, quia fortasse secundū linguæ suæ consuetudinem aptiùs dicitur. *Solutio.*

de vsia huius nominis hypostasis infrà dist. 26 & d. Tho. 1. q. 29. ar. 2.

CAP. *Tertium. In Trinitate nulla diuersitas, singularitas, vel solitudo, sed vnitas & Trinitas.*

Cap. 4 IN Trintiate nulla penitus diuersitas, nec singularitas, nec solitudo. Vnde Augustlibr. 7. de Trinitate ait: Humana inopia quærens quid diceret tria, dixit tres

personas vel substantias. Quibus nominibus non diuersitatem voluit intelligi, sed singularitatem: noluit, vt non solùm ibi vnitas intelligatur, ex eo quòd dicitur vna essentia, sed Trinitas, ex eo q̃ dicuntur tres personæ. Idem Hilarius lib. 7. de Tri. ait dicẽs: Dominus dicit, Qui me videt, videt & Patrem. Cùm hoc dicitur, excluditur singularitas, atque vnici, id est solitarij intelligẽtia. Nã nec solitarium sermo significat, & indifferentem tamen naturam professio docet. Vnum sunt enim neque vnus. Non itaque solitarius Filius est, nec singularis, nec dispar. Item Ambros. lib. de Fide. *To. 4. q. 122.*

Et sicut in Trinitate non est diuersitas, ita nec multiplicitas. Et ideo non dicendus multiplex, sed trinus & simplex. Nam dicit Ambros. lib. primo de Fide: Non multiplex esse potest quod indifferens est. Isidorus tamen vt dicit vnitatem in ea esse singularem, capiẽdo singularem pro vna: ita dum dicit Trinitatẽ multiplicẽ, capit multiplicẽ pro trina. *lib. 5. Cap. 2* *Cap. 2.*

Deus non dicitur multiplex.

DE NOMINIBVS NVMERALibus, & distinctionibus.

DISTINCT. Vigesimæquartæ

CAP. Primum.

Nomina numeralia non ponunt aliquid in Diuinis, sed remouent.

QVæritur quid significetur his nominibus, scilicet vnus vel vna, duo vel duæ, tres vel tria, trinus vel trinitas, plures vel pluralitas, distinctæ vel distinctio, cùm dicitur vnus Deus, duæ personæ, vel plures, vel distinctæ, aut earum pluralitas, vel distinctio, ac trinitas. Videmur enim hoc dicentes numerorum quantitates & rerum multitudinem vel multiplicitatem in Deo ponere.

Responsio.

SI diligenter præmissis authoritatũ verbis intendimus, vt dictorum intelligentiam capiamus, magis videtur horum verborum vsus introductus ratione remouẽdi atque excludendi à simplicitate deitatis quæ ibi non sunt, quàm ponẽdi aliqua. Cùm enim dicitur vnus Deus, pluralitas Deorum excluditur. Nec numeri quantitas in diuinitate ponitur, tanquam diceretur Deus est: Nec multi sunt vel plures dij. Vnde Ambro. in lib. de Fide: Cùm vnum dicimus Deum, vnitas excludit numerum Deorũ: nec quantitatem in Deo ponit, quia nec numerus nec quantitas ibi est. Similiter cùm dicitur, Vnus est Pater, vel vnus est Filius, vel huiusmodi. Ratio dicti hæc est, quòd non sunt multi Patres vel multi Filij: ita & de similibus.

Lib. 1. cap. 2.

Nomina numerorũ & distinctionum dicũt in Deo negationẽ. Inter articulos Magistri vide 2. & 3. ex primo lib.

Item cùm dicimus plures esse personas, singularitatem atque solitudinem excludi-

mus,nec diuersitatem nec multiplicitatẽ ibi ponim⁹: quasi dicatur,sine solitudine ac singularitate personas confitemur: vt dicit Hilar. 4. de Trinit.

Ita cũ dicimus tres personas, nomine ternarij non quantitatẽ numeri in Deo ponimus,vel aliquam diuersitatem,sed intelligentiam,nõ ad alium,nisi ad Patrem, Filium,& Spiritum sanctum dirigendam significamus: vt sit huius dicti intelligentia, Tres personæ sunt, vel tres sunt Pater, Filius, & Spiritus sanctus,id est,nec tantùm Pater, nec tantùm Filius, nec tantùm Pater & Filius in deitate sunt,sed etiam Spiritus sanctus, & non alius ab iis. Similiter cùm dicimus, Duo sunt Pater & Filius,non dualitatis quantitatem ibi ponimus: sed hoc significamus,quòd non est tantùm Pater,nec tãtùm Filius, sed Pater & Filius : & hic non est ille. Ita cùm dicimus, Pater & Filius sunt duæ personæ,hoc significamus quòd nõ tantùm Pater est persona, nec tantùm Filius est persona : sed Pater est ꝑsona,& Fili⁹ est persona,& hæc nõ est illa.

CAP. *Secundum. Distinctio excludit confusionem in personis,similiter discretio.*

CVm autẽ dicimus, distinctæ Personæ, vel distinctio in personis,confusionem atque permixtionẽ excludimus in personis, & hanc non esse illam significamus,

Cúmq; addimus, distinctæ sunt personæ, proprietatibus siue differẽtes proprietatib⁹, aliã esse hãc personã, & aliã illã suis proprietatib⁹ significamus. Et cùm dicimus, aliã & aliam, non diuersitatẽ vel alienationem ibi ponimus, sed confusionem Sabellianam excludimus. Et ita cùm dicuntur discretæ personæ, vel discretio in personis, eandẽ intelligentiã facimus. Eodem enim modo accipitur discretio, quo distinctio. Cùm verò dicitur Trinitas, id significari videtur quod significatur cùm dicitur, Tres personæ: vt sicut non potest dici, Pater est tres personæ: ita non debet dici, Pater est Trinitas.

DE SIGNIFICATIONE HVius nominis Persona, cùm dicitur pluraliter.

DISTINCT. Vigesimæquintæ

CAP. Primum.

Personæ nomen significat essentiam in suppositо.

QVum prædictum sit hoc nomen Persona dicere substãtiã, cõsiderandũ est quis sensus sit, dum dicitur, Tres personæ, vel alia persona Patris, alia, &c. Nã videmur plures essentias cõfiteri, & ita plures Deos. Si verò ibi essentiæ significationẽ nõ tenet, alia est huius noĩs ratio, cũ dicitur,

Pater est persona, & Filius est persona, & cùm dicitur, Pater & Filius sunt personæ, & cùm dicitur alia persona Patris, alia Filij, &c. Quod nõ videtur, quia dicit Aug. quòd dicitur tres personæ, quia id quod persona est, commune est tribus, vt suprà dictum est.

Aliter etiam ostenditur, quia (vt suprà dixit Aug.) ea necessitate dicimus tres personas, vt respõderemus quærẽtibus quid tres? per quid autem de essentia quæritur: Non enĩ inuenitur quid illi tres sint, nisi essentia.

Responsio.

Prima opinio.

QVibusdam videtur quòd nomine personæ significetur essentia, cùm dicitur, sunt tres personæ, propter verba Aug. suprà adducta: sensusq; erit illius, Sũt tres id habentes commune quod est persona: id est tres sunt quorum quisque est persona, id est essentia. Sed quomodo iuxta hunc sensum dicetur, alia persona Patris, alia Filij? Et hoc etiam ita voluit intelligere, scil. Alius est Pater, & alius est Filius. Id tamẽ cõmune habentes quod est persona: idq; confirmant authoritate Aug. lib. 7. de Tri. dicẽtis, ꝙ nõ aliud est essentia, & aliud persona. Sed quid respondebunt Augu. lib. de Fid. ad Petr. dicenti, alius est Pater in persona, siue personaliter: & alius personaliter Filius? &c. quæ in persona non conueniunt: ergo per personam non intelligendum est essentiam.

Reprobatio.

Cap. 6

Ideo congruentiùs iuxta Catholicorum sententiam aliter videtur nobis dicendum, scil. quòd hoc nomem Persona multiplicem intelligentiam facit. Intelligentia autem dictorum (ait Hilar. lib. 4. de Trinita.) ex causis est assumenda dicendi: quia non sermoni res, sed rei sermo subiectus est. Discernentes ergo causas huius nominis Persona, significationem distinguimus, dicentes quòd illud propriè secundum substantiam dicitur, & essentiam significat, cùm dicitur, Deus est persona, Pater est persona: vt dicit August. Quadam tamen necessitate translatum est hoc nomen, vt suprà dixit August. vt pluraliter dicerentur tres personæ, cùm quæreretur quid tres aut tria. Vbi non significat essentiam, quæ est communis tribus, sed subsistentias, vel hypostases, secundum Græcos. Qui aliter accipiunt substantiam, id est hypostasim, quàm nos, qui dicimus substantiam esse essentiam siue naturam, personas autem dicimus hypostases. Cùm ergo dicimus tres personas, non ibi Personæ nomine essentiam significamus. Quid ergo dicimus? Dicimus quia tres personæ sunt, id est tres substantiæ siue tres entes, pro quo Græci dicunt tres hypostases. Et hic sensus adiuuatur verbis August. dicētis tres personas esse vnam essentiam, & non ex eadem essentia: nec aliud intelliga-

Opinio Magistri.

Nota regulam intelligendi scripturam.

p. 6

tur ibi esse persona, aliud essentia. Tres enim illæ personæ, id est subsistentiæ, vna sunt essentia, & vnius essentiæ: non autem sunt vna persona: vel licet Persona dicatur secundum substantiam aliquando: Nam si hoc diceretur, confusio fieret in personis.

Obiectioni respondetur illorum qui dicunt hoc nomen, Persona, pluraliter dictum dicere substantiam.

AD hoc autem quod illi dicunt, cùm quæritur quid tres vel tria, de essentia quæritur: quia non inuenitur quid illi tres sint, nisi essentia: Dicẽdum ꝙ dum quęritur quid tres, vel quid tria, non de essentia quæritur: nec ibi quid ad essentiam refertur. Sed cùm fides Catholica (sicut Iohannes in Can. Tres sunt qui testimonium) tres esse confitetur, dum quærebatur quid illi tres: sensus erat an essent tres res, & quę tres res, & quo nomine illæ significarentur. Et ideo loquendi necessitate inuentum est hoc nomen Persona, ad respondendum, & dictum est tres personæ. 1. Ioh. 5.

Quid non quæritur semper de essentia.

Nota.

Alia persona Patris

In quo sensu intelligatur dum dicitur, Alia persona Patris, alia Filij &c. id est alia subsistentia Patris, vel hypostasis, alia Filij. In quo similiter sensu & accipi posset dum dicitur, Alius Pater alius: congruentiùs tamen ex ratione dicti alia variatur intelligentia, vt hic Personæ nomine proprietas

Personæ intelligatur : quasi dicat, Alius est in persona siue personaliter Pater, id est proprietate sua Pater alius est quàm Filius: quia paternali proprietate distinguitur hypostasis Patris ab hypostasi Filij, &c. Hoc etiam modo accipi potest Persona in præmissis loquutionibus, Alia persona Patris, alia Filij &c.

CAP. *Secundum. Nomen Personæ multipliciter dicitur.*

EX prædictis colligitur quòd nomen Personæ in Trinitate tripliciter dicitur : aliquando pro essentia, aliquando facit intelligentiam hypostasis, aliquando facit intelligentiam proprietatis. De prima suprà. De duabus autem acceptionibus, ne coniecturis aliquid dicere videamur, D. Hieronymum in expositione fidei Catholicæ ad Damasum ita dicentem audiamus : Impietatem Sabellij declinantes, tres personas expressas sub proprietate distinguimus,&c. Non enim nomina tantummodo, sed etiam nominum proprietates, id est personas, vel (vt Græci exponunt) hypostases, id est subsistẽtias confitemur,&c. Ecce hic apertè dicit Hierony. proprietates esse personas,& personas esse subsistentias. Ecce nomine Personæ significatur & hypostasis & proprietas. Iohannes etiam Damascenus Personas ipsas dicit esse hypostа-

ſes,& eas dicit entes,ita inquiens:In deitate vnã naturam confitemur, & tres hypoſtaſes ſecundum veritatem entes,id eſt perſonas.

DE PROPRIETATIBVS Perſonarum.

DISTINCT. Vigeſimæſextæ CAP. Primum.

Cautè vtendum nomine Hypoſtaſis.

NVnc de Proprietatibus Perſonarum, quas frequenter in hoc tractatu commemorauimus, aliquid loqui nos oportet. Sed primùm audiamus quid de hoc nomine Hypoſtaſis Hieron. dicit. Ait enim ad Damaſum papam ſub hoc nomine venenum latere, quoniam multi hæretici eo vtebantur, vt ſimplices ſeducerent,ſcil. pro perſona & pro eſſentia. Et ideo dicit hoc nomine non vtendum ſine diſtinctione vel expoſitione,quando cum hæreticis contendebatur,ne ſimplices crederent in Trinitate tres eſſe ſubſtantias.

CAP. *Secundum. Tres Proprietates Perſonarum ſunt.*

IAm de Proprietatibus perſonarum videamus. Ait Aug.in libr.de Fid. ad Petr. Eſt proprium ſolius Patris,non quia non eſt natus ipſe, ſed quia vnum Filium genuerit: *cap.10*

Propriúmque ſolius Filij,non quia ipſe non genuit,ſed quia de Patris eſſentia natus eſt. Proprium verò Spiritus ſancti eſt, non quia nec natus eſt ipſe,nec genuit, ſed quia ſolus de Patre Filioque procedit. Ecce tres proprietates Perſonarum, ſcil. generatio, natiuitas, proceſsio: quæ alijs nominibus dicuntur, Paternitas & Filiatio, quas deſignãt nomina Perſonarum, ſcil. Pater, Filius, & Spiritus ſanctus.

CAP. *Tertium. Proprietates in Deo non dicuntur ſecundum ſubſtantiam,nec ſecundum accidens,ſed ſecundum ad aliquid.*

PRoprietates illæ notant relationes,quæ non ſunt Deo accidentales: ſed in ipſis perſonis ab æterno immutabiliter. Vnde Aug.lib.5.de Trinit.Nihil in Deo ſecun-
Cap.5. dum accidens dicitur, quia nihil ei accidit. Nec tamen omne quod dicitur de Deo, ſecundum ſubſtantiam dicitur. Dicitur enim ad aliquid, ſicuti Pater dicitur ad Filium. quod non eſt accidẽs,quia & ille ſemper eſt Pater,quia ſemper natus eſt Filius. Quòd ſi aliquando cepiſſet eſſe, aut aliquando deſineret eſſe Filius,ſecundum accidens diceretur.Et quia Pater non dicitur Pater,niſi ex eo quòd eſt ei Filius: & Filius non dicitur Filius,niſi ex eo quòd habet Patrem,non ſecundum ſubſtantiam hæc dicuntur, ſed ad-

inuicem ista dicuntur. Neq; tamen secūdum accidēs, quia esse Patrem & Filiū incōmutabile est eis, id est proprietas qua dicitur Pater aut Filius, æterna est & incommutabilis.

Homines non dicuntur filij Dei proprietate.

Quòd si dicamur filij Dei (vt Psal. 81. Filij excelsi omnes) hoc non generationis proprietate: genuisse enim Deum Filios (ait Hilar. 12. de Tri. i.) nūquā cum proprietate significationis cognoscimus dici, sed factura & adoptione. Et ideo efficimur magis Filij Dei, quàm nascamur: nec semper sumus filij Dei. Filius autē proprietate nascibilitatis & solus Filius est, & semper Filius est, &c.

Homo verò non tantùm Patris, sed & Filij & Spiritus sancti Filius est, id est totius Trinitatis Filius est, & Trinitas ipsa Pater eius dici potest. Vnde Aug. lib. 5. de Trinit. Non potest dici Trinitas Pater, nisi fortè translatiuè ad creaturam, propter adoptionem filiorum. Item Hilar. lib. 6. de Trinit. Omnibus per fidem Deus Pater est, &c. Cap. II

CAP. *Quartum. Spiritus sanctus proprietate dicitur donum Dei.*

ITa etiā de Spiritu sancto dicēdum est, qui propriè dicitur donū Dei, quū tamē plura sint & alia dona Dei. Sed Spi. sanctus proprietate immutabili & æterna donū est, sicut Filius proprietate est Filius. Eo enim dicitur donū, quo Spiritus sanctus, & vtroq; vtique nomine relatiuè dicitur, eadémque dicitur

Spi.ſanctus & donũ:licet ipſa relatio non ita appareat in hoc nomine Spiritus ſanctus,ſicut in hoc nomine donum. Vnde Aug.lib.5. Cap.11 de Trinita.ait : Spiritus ſanctus qui non eſt Trinitas, ſed in Trinitate intelligitur, in eo quòd propriè dicitur Spiritus ſanctus,relatiuè dicitur, cùm ad Patrem & Filium refertur : quia Spiritus ſanctus & Patris & Filij Spiritus eſt. Sed ipſa relatio non apparet in hoc nomine: apparet autem cùm dicitur donum Dei. Donũ enim eſt Patris & Filij,quia à Patre procedit & Filio: ergo Spiritus ſanctus ineffabilis quædam Patris Filiiq́ue communio eſt. Et hoc ipſe ꝓpriè dicitur S.Spiritus,quod illi cõmuniter. Vt ergo ex nomine quod vtrique conuenit, vtriuſque cõmunio ſignificetur, vocatur donum amborum Spiritus ſanctus. Sed cùm Pater vel Filius dicitur Spiritus,vel ſanctus,neutrum relatiuè dicitur,ſed ſecundum ſubſtantiam.

Spiritus ſanctus vt proprietas eſt ad aliquid, vt cõmunitas, dicitur ſecundum ſubſtantiam.

Vnde Trinitas quãuis nullo modo poſsit dici Filius:poteſt tamẽ dici vniuerſaliter Spi. ſanctus:vt ait Aug.lib.5.de Trini.ſecundum Cap.11 Ioh.4. id quod ſcriptũ eſt, Quoniam Deus ſpiritus eſt. Itaq; Pater & Filius & Spiritus ſanctus, quoniã vnus Deus eſt, & vtiq; Deus ſanctus eſt,& Deus Spiri.eſt,poteſt appellari Trinitas & Spiritus ſanctus. Sed tamen tunc Spi. ſanctus(qui nõ eſt Trinitas ſed in Trinitate) relatiuè,non ſecundum eſſentiam dicitur.

Obiectio eorum qui dicunt relatiuè Spiritum sanctum non dici ad Patrem & Filium.

QVidam putant Spiritum sanctum non dici relatiuè ad Patrē & Filium, quia relatiua suis inuicē respōdent vocabulis: vt Pater Filij Pater, & Filius Patris Filius: sed non ita dicitur Spiritus sanctus, vel donum Patris, Spiritus sanctus, vel donū: ergo Pater Spiritus sancti, vel doni Pater. Sed iis respondet Augu. lib. 5. de Trinit. dicens: Non te moueat, quoniam diximus Spiritum sanctum relatiuè dici, licet non respō deat ei vicissim vocabulum eius ad quē refertur. Dicimus enim Spiritum sanctum Patris, sed non vicissim dicimus Patrem Spiritus sancti, ne Filius eius intelligatur Spiritus sanctus. Item dicimus Spiritum sanctum Filij, sed non dicimus Filium Spiritus sancti, ne Pater eius intelligatur Spiritus sanctus. In multis enim relatiuis hoc contingit, vt nō inueniatur vocabulum, quo sibi vicissim respondeant. Dicimus tamen donum donatoris, & donatorem doni: Donator tamen non fuit Deus nisi ex tempore, cùm Spiritus sanctus sit donum & ab æterno.

DE DIVERSIS NOMINIbus proprietatum personalium.

DISTINCT. Vigesimæseptimæ

CAP. Primum.

Consentiunt in proprietatibus Hilar. & Aug. quamuis nominibus differant.

PRoprietates quas Hilar. 12. lib. de Trí. (scil. quòd Patri proprium est quòd semper est Pater, & proprium Filij quòd semper est Filius, &c.) assignauit, & quas Auguſt. superiùs distinxit, dicens proprium esse Patris quòd genuit Filium, & proprium Filij quòd genitus est à Patre, & Spiritus sancti quòd procedit ab vtroque, eędem sunt, licet diuersis nominibus significatę: quia semper Patrem esse est semper generari: & semper Filium esse est semper genitum esse. Ergo proprietas qua Pater pater est, est quia semper genuit. Et hæc eadem dicitur Paternitas vel Generatio. Sic & de Filio & de Spiritu sancto. Quamuis autem eadem proprietas significetur per Patrē esse & genuisse Filium, aut Filiū esse & genitum esse, &c. tamen differunt aliqua in parte: quoniam nomen Patris, aut Filij, aut Spiritus sancti non tantùm relationem significat, sed & hypostasim: i. subsistentiam. Paternitas autem, Filiatio, aut Processio: vel Gignere, gigni, procedere, ipsas tantùm relationes nō hypostases significant. Vnde cùm nomina relationum ponimus in prędicatis, notiones ipsas tātùm significamus, non hypostases: vt cùm dicimus, Deus genuit, id est habet Fi-

lium: Deus genitus est.i.habet Patrẽ.Et tũc oportet intelligi hypostases tantùm in subiectis, & non essentiam, quæ illis proprietatibus determinantur.Et à se inuicem differũt, sed non secedunt.Vnde Iohã.Damasc. Non differunt ab inuicem hypostases secundum subsistentiam, sed secundum characteristica idiomata.i.determinatiuas proprietates. Lib.3. de Fid. Orth. ct.6.

CAP. *Tertium. Genitor, Genitus, Verbum, Imago sunt proprietates.* c.7.

HIc non est prætermittendum quòd sicut Pater, Filius, & Spiritus sanctus nomina Personarum sunt,& proprietates personales designant:ita etiam sunt & alia nomina Personarum,id est quæ ipsas significant, & earum proprietates denotant, & easdem quas & nomina prædicta. Vnde & Relatiua dicuntur. Nam August.lib.5.de Trinit.dicit hoc significari cùm dicitur Genitus, quod significatur cùm dicitur Filius. Ideo enim Filius,quia genitus : & quia Filius,vtiq; genitus.Sicut autem Filius ad Patrem, sic genitus ad genitorem, & genitor ad genitum.Idem lib.6.de Trinita.Verbum quidem solus Filius accipitur,non simul Pater & Filius,tanquam ambo sint vnũ Verbũ. Sic enim Verbum dicitur quomodo Imago. Non autem Pater & Filius sunt simul Imago,sed Filius solus est Imago. Et libr.5. de Trinit.dicitur relatiuè Filius,relatiuè di- cap.6. Cap.2. Cap.1.

citur Verbum, & Imago: & in omnibus iis vocabulis ad Patrem refertur: Pater autem nihil horum dicitur.

Regula generalis eorum quæ dicũtur relatiuè.

QVicquid ad se dicuntur (ait Aug. libr. 6. de Trinit.) non dicitur sine altero: id est, quicquid dicũtur quod sub-
Cap. 2. stantiam eorum ostendat, ambo simul dicuntur. Ergo nec Pater est Deus sine Filio, nec Filius sine Patre: sed ambo simul Deus: sed non ambo simul Pater, non ambo simul Filius, Verbum, vel Imago.

CAP. *Quart. Deus non dicitur relatiuè.*

AD quod dicimus, quia licet Deus secundum substãtiam dicatur & Lumen, & Sapientia, & huiusmodi, & nunquam relatiuè accipiantur: aliquãdo tamen pro relatiuis, id est personis, sed non relatiuè accipiuntur: vt cùm dicitur, Deus genuit Deum, alterum pro Patre, alterum pro Filio ponimus. Similiter cùm dicitur, Deus de Deo, Lumen de lumine. In aliis quoque loquutionibus sæpe reperiuntur nomina essentiæ ad significationẽ Personarũ deducta: vt cùm dicitur, De⁹ natus, De⁹ mortuus, Deus passus: vbi Filius tantùm significatur. Ita & de solo Filio intelligitur cùm dicitur, Deus de Deo, & huiusmodi. In nominibus enim substãtię illud de illo dicitur, licet nõ significẽt substãtiam. Sed in nominibus Personarũ

nunquam dicitur illud de illo, vt Verbum de Verbo, vel Filius de Filio: quia huiusmodi nomina diuersis Personis conuenire non possunt.

DE PROPRIETATIBVS non Personalibus. Et primò de Innascibilitate.

DISTINCT. Vigesimæoctauæ
CAP. Primum.

Præter tres Proprietates personales assignatas sunt aliæ non personales, quæ tamen sunt Personarum.

NAm hoc nomen, Ingenitus, aut non genitus, aut Filius, relatiuè dicitur de Patre tantùm, & aliam designat notionem quàm Pater aut Genitor. Non enim idem est esse Patrem & Ingenitũ, id est non ea notione Pater dicitur qua Ingenitus: quia Pater dicitur secundum proprietatem generationis: Ingenitus autem secundum proprietatem innascibilitatis. Vnde Aug. libr. 5. de Trinita. Non est hoc dicere Ingenitum quod est Patrem dicere: quia etsi Filiũ non genuisset, nihil prohiberet dicere eum ingenitum. Et si gignat quisque filium, non ex eo ipse est ingenitus, quia geniti homines gignunt alios. Cùm enim ingenitus dicitur, non quid sit (sicut cùm dicitur Genitor) sed cap. 6.

quid non sit ostenditur.

CAP. *Secundum. Ingenitus relatiuè dicitur.*

NEgatiua porrò particula, Non, id efficit, vt quod sine illa relatiuè dicitur, eadem præposita substantialiter dicatur: sed id tantùm negatur quod sine illa dicebatur. Sicut in aliis prædicamentis cùm dicimus, Homo est, substãtiam designamus. Qui ergo dicit, non homo est, non aliud genus prædicamenti enunciat, &c. Non ergo receditur à prædicamento relatiuo cùm dicitur Ingenitus. Sicut enim Genitus non ad se dicitur, sed quòd ex genitore sit: ita cùm dicitur Ingenitus, non ad se dicitur, sed quòd ex genitore non sit ostenditur: vtrumque tamen relatiuè dicitur. Quod autem relatiuè dicitur, non indicat substantiam. Et sic sicut Filius ad Patrem, & non Filius ad non Patrem refertur: ita Genitus ad genitorem, & non genitus ad non genitorem.

Quæstio.

An sicut Pater solus dicitur Ingenitus, etiam solus dicatur non genitus, aut non Filius, ita vt Spiritus sanctus nullum horum dici possit.

QVidam dicunt quòd non debet dici & credi Spiritus sanctus nõ esse genitus,

vel non esse Filius: sed non debet dici esse non genitus, vel non Filius, sed solus Pater. Aliis autem videtur quòd cùm Spiritus sanctus non possit dici Ingenitus, tamen dici potest non genitus, vel non Filius. Quod autem August. suprà ait tantùm valere cùm dicitur Ingenitus, sicut non genitus, aut non Filius, ethimologiam nominis ostendendo eum hoc dixisse dicunt, non ratione prædicationis.

Ingenitum non inueniri in Scriptura, & quando illo nomine vti liceat ex Ambrosio docetur.

AMbrosius Arianis probare nitentibus alterius substantiæ Patrem à Filio, cùm diuersum sit esse Ingenitũ, & esse genitum, respõdens dicit: Primum omnium in diuinis scripturis Ingenitus nusquam inuenio, non Legi, non audiui, &c.

Obseruanda Regula.

Attende Lector, quoniam hic nomine Ingenitus, nolebat vti Ambros. propter hæreticos. Ita & nos subticere quædam oportet propter calũniãtium insidias, quę Catholicis ac piis Lectoribus securè credi possunt. Sunt enim quædam, quæ non tantæ sunt religionis & authoritatis, vt eis nos oporteat semper confitendo ac recipiendo inseruire, verùm silentio aliquando præteriri queant. Nec tamen sunt illius peruersitatis, quin

(cùm opportunum fuerit) eis vti liberum habeamus arbitrium.

In quo sensu conceditur quòd diuersum sit esse Patrem & esse Filium.

DIfferunt hæ loquutiones, Aliud est esse Patrem, Aliud esse Filium: &, Aliud est Patrem esse, & aliud Filium esse: quia sensus primę est, Alia est notio qua Pater est Pater, & alia notio qua Filius est Filius. Et sensus secundę est, Aliud est quo Pater est (non quidem Pater) sed est: & aliud quo Filius est (non quidem Filius) sed est. quod penitus falsum est. Eo enim Pater est, quo Pater deus est, id est per essentiam. Aut Filio eo deus est, quo Pater deus est. Ergo Filius est quo Pater est. Et ita idem est esse Patrem quòd Filium esse. Sed non est idem esse Patrem, & esse Filium. Vnde Aug. libr. 5. de Trinita. ait: Quãuis diuersum sit esse Patrem, & esse Filium: non est tamen diuersa substantia: quia non hic secundum substantiam dicitur, sed secundum relatiuum.

CAP. *Tertium. Solus Filius dicitur Sapientia genita vel nata.*

Cap. 2. AVgust. 7. libr. de Trinita. Id dici accipiamus cùm dicitur Verbum, ac si dicatur nata Sapientia, vt sit Filius & Imago. Et hæc duo cùm dicuntur, id est

nata Sapientia, in vno eorum eò quòd est nata,& Verbũ,& Imago,& Filius intelligatur,id est eadem notio intelligatur,quæ notatur cùm dicitur Verbum & Imago. Quibus nominibus non ostenditur essentia,quia relatiuè dicuntur. At in altero, quod est Sapientia,etiam essentia demonstretur : id est, demonstretur quòd Filius sit essentia, quia Sapientia secundum essentiã dicitur.Et ideo cùm dicitur nata Sapiẽtia, intelligitur quòd ipse qui natus est,essentia est.Ibi tamen Sapientia non pro essentia , sed pro hypostasi intelligitur: vt cùm dicitur Verbum vel Filius, intelligitur hypostasis cum proprietate sua. Ideo nata Sapientia intelligitur nata hypostasis.

Illud etiam sciri oportet quòd quamuis Imago dicatur relatiuè, aliquando tamen reperitur secundum substantiam dici. Vnde Augustlibr. de Fid.ad Petr. dicit quòd vna est S. Trinitatis essentialiter diuinitas & imago ad quam factus est homo. Idem Hilar.libr.5.de Trinita. *Cap.1.*

DE COMMVNI SPIRAtione,quæ est alia proprietas,sed non personalis.

DISTINCT. Vigesimænonæ

CAP. Primum.

Principium est ad aliquid.

EST præterea aliud nomen notans relationem, videlicet Principium. Vnde Auguſt. libr. 4. de Trinita. Pater eſt principium totius deitatis, quia ipſe à nullo eſt. Non enim habet de quo ſit, vel de quo procedat: ſed ab eo & Filius eſt genitus, & Spiritus ſanctus procedit. Ob id ergo dicitur principium totius deitatis, non quòd ſui vel diuinæ eſſentiæ principium ſit: ſed quoniam principium eſt Filij & Spiritus ſancti, in quibus ſingulariter tota deitas eſt. Filius ad Spiritum ſanctum principium dicitur. Spiritus verò ſanctus non dicitur principiũ, niſi ad ſecundas creaturas: ſicut Pater, & Filius, & Trinitas tota ſimul. Vnde Auguſt. 5. de Trinita. Principium relatiuè dicitur ad omnia quę ab ipſo ſunt. Cùm ergo creaturę eſſe cœperunt, cœpit eſſe principium Spiritus ſanctus. Ita etiam Pater & Filius cœperunt eſſe cum Spiritu ſancto principium creaturarum.

CAP. *Secundum. Non dicuntur tres Perſonæ eſſe tria, ſed vnum principium.*

TRes Perſonæ, quia vno eodemque modo principium rerũ ſunt, vnum principium dicuntur. Quod intelligens Apoſt. ait: Ex ipſo, per ipſum, & in ipſo ſunt omnia, ſcil. naturæ rerum, ait Auguſt. lib. de Nat. Bon. quoniam ab eo peccata non ſunt.

Rom. 2. ca. 26.

Et sic principium dicitur relatiuè ad omnia quæ ex ipso sunt.

CAP. 3. *Pater eo principium & author Filij est, quo Pater est.*

AVg. lib. 5. de Trinit. ostendit q̃ Pater Filij principium dicitur, quia genuit eũ. Ca. 14
Qua ergo notione est Pater, ea principium Filij dicitur, id est generatione: secundum quam etiam dicitur author Filij. Vnde Hilar. 4. de Trinit. ita ait, Ipse quo Pater dicitur, eius quem genuit author ostenditur.

CAP. 4. *Pater & Filius sunt principiũ Spiritus sancti, idque eadem notione.*

QVum Pater & Filius sint principium vnum Spiritus sancti, & Spiritus sanctus non aliter procedat ab vno quàm ab altero: sanè intelligi potest Patrem & Filium eadem relatione vel notione principium dici Spiritus sancti: quæ nec est Paternitas aut Filiatio, sed nobis eius nomen incognitum est.

DE RELATIONIBVS QVAE conueniunt Deo ex tempore.

DISTINCT. Trigesimæ
CAP. Vnicum.

Aliqua de Deo dicuntur ex tempore, idque sine sui mutatione.

fol. 17. a

SVnt quædam quæ Deo conueniunt ex tempore sine sui mutatione, & relatiuè dicuntur secundum accidens: ~~non quòd accidit Deo, sed creaturis: vt,~~ Creator, Dominus, Refugium, datum vel donatum, &c.

Cap. 3 De his Aug. lib. 5. de Trinit. dicit: Creator relatiuè dicitur ad creaturam, sicut Dominus ad seruum, &c. Sicut autem non potest esse seruus, qui non habet dominum: sic nec dominus, qui non habet seruum.

Obiectio.

SEd dicet aliquis: Non est tantùm dominus rerũ quæ ex tempore cœperunt: sed etiam illius rei quæ non cœpit ex tẽpore, id est ipsius temporis, quod non cœpit ex tempore, quia nõ erat antè tempus q̃ incipe ret. & ideo nõ cœpit esse domin⁹ ex tẽpore.

Solutio.

Ad quod dici potest, quia licet non cœperit ex tempore dominus esse tẽporis: cœpit tamen esse dominus tẽporis, quia nõ semper fuit tẽpus. ~~Et ipsius hominis ex tẽpore cœpit esse dominus,~~ vt dicit Aug. lib. 5. de Tri. qui

Ca. 13. ostendit Deum sine sui mutatione ex tẽpore dici Dominum. Nũmus enim cùm dicitur, precium relatiuè dicitur: nec tamẽ mutatus est cũ esse cœperit preciũ aut pign⁹. Si ergo nũmus potest sine vlla sui mutatione dici toties relatiuè, vt neq; cũ incipit dici, neq; cùm desinit, nihil in eius natura vel forma, qua nummus est, mutationis fiat: quantò faci-

Simile, quo ostenditur in naturalibus relatio accidere alicui sine mutatione sui.

lius de illa incõmutabili Dei ſubſtantia debemus accipere, vt dicatur relatiuè ad creaturam: Vt quamuis temporaliter incipiat dici, non tamen ipſi ſubſtãtiæ Dei aliquid accidiſſe intelligatur: ſed illi creaturæ ad quã dicitur. Sicut refugium noſtrum fit cùm ad eum refugimus. Sic & Pater nõ incipit eſſe, cùm per eius gratiam regeneramur.

Spiri. ſan. vt datũ vel donũ, nõ dicitur relatiuè ad ſe.

Hic poteſt ſolui quæſtio, qua quæritur an Spiritus ſanctus dicatur relatiuè ad ſe, cùm dicitur dari vel donari. Cui quæſtioni reſpondentes, dicimus Spiritum ſanctum dici datum vel donatum relatiuè & ad dãtem, qui Pater eſt, cum Filio & Spiritu ſancto: & ad illum cui datur. Quia non poteſt aliquid dici datum, niſi ſit qui recipiat. Cùm autem Spiritꝰ ſanctꝰ dari à ſe, vel datus à ſe dicitur, relatiuè quidẽ dicitur ad illũ cui dicitur, & eſt appellatio relatiua: & in illo cui datur mutatio, fit non in dante.

DE APPROPRIATIS.

DISTINCT. Trigeſimæprimæ

CAP. Primum.

Aequalitas & ſimilitudo in Diuinis non ſunt relationes

QVia ſicut ſimile ſibi nihil eſt (Similitudo enim, ait Hil. ſibiipſi non eſt) ita & æquale ſibi aliquid non dicitur: ac per hoc ſicut ſimile, ita & æquale re- *Lib. 3.*

latiuè dicitur. Quæ æqualitas Filij ad Patrem est propter summam simplicitatem essentiæ & vnitatem. Aequalis ergo est Filius Patri secundum essentiam, & non sec. relaCap.7 tionem. Vnde Aug. lib. 5. de Tri. Quærimus secundū quid sit æqualis Patri Filius: nō secundū hoc ꝙ ad Patrē dicitur Filiꝰ, æqualis est Patri. Restat ergo vt sec. id æqualis sit, quod ad se dicitur. Quicquid aūt ad se dicitur, sec. substātiā dicitur. Restat ergo vt sec. substātiam sit æqualis. Eadē ergo est vtriusque substantia. Ex iis patet quòd æqualitas Patris & Filij non est relatio vel notio, sed appellatio tantùm relatiua. Hoc idem etiam dicimus de simili & similitudine. Vnde quibusdam non indoctè videtur nomine æqualitatis vel similitudinis non aliquid poni, sed remoueri: vt ea ratione dicatur Filius æqualis Patri, quia nec maior est eo, nec minor. & hoc propter vnitatem essentię. Ita similis dicitur, quia nec diuersus, nec alienus, nec in aliquo dissimilis. & hoc propter essentiæ simplicitatem.

Aequalitas & similitudo relationes rationis.

CAP. *Secundum. Aeternitas, Species, & Vsus sunt proprietates Personarum.*

HIlarius proprietates Personæ assignās dicit in Patre esse æternitatem, speciē in imagine, vsum in numero. Quę
Ca.10 verba exponit Augu. 6. de Trinitate, ita dicens: Aeternitas est in Patre, quia non ha-

bet Patrem de quo sit. Filius autem de Patre est, vt sit, atq; illi coætenus sit. In Filio imago: quæ si perfectè implet id cuius est imago, ipsa coæquatur ei, & non illud imagini suæ, in qua imagine speciē nominauit. Ideo Filius est imago & species, ob perfectam repręsentationem Patris in eo. Repræsentat enim Filius cū summa similitudine & ęqualitate. Spiritui sancto tribuitur munꝰ & vsus, quia ineffabilis ille cōplexus Patris & imaginis non est sine perfruitione siue charitate. Ex quo sequitur vsus dilectionis, & collatio muneris, &c.

CAP. 3. *Vnitas, Aequalitas, & Aequalitatis concordia sunt proprietates.*

AVg. 1. lib. de Doctr. Christ. præter supe riùs expressas proprietates, alias tres cōnumerat, dicens: In Patre est vnitas, in Filio æqualitas, in Spiritu sancto vnitatis æqualitatísque concordia. Et hæc tria vnū, omnia propter Patrem, æqualia omnia propter Filiū, connexa omnia propter Spiritum sanctū. Cùm autē vnitas dicat substantiā, & æqualiter videatur tribuenda Filio & Spiritui sancto: dicendū erit ꝙ eadē ratione Patri tribuetur vnitas, qua & æternitas suprà attributa est sec. Hilar. quia videlicet Pater ita est vt ab alio non sit: & quia Filium genuit vnum secum Deum, &c. Vnitas ergo in Pa-

tre esse dicitur, quia nec est alius à quo sit: igitur nec aliquid est ab æterno, quod cum eo vnũ non sit. Vnde Veritas ait, Ego & Pa-
Io.10. ter vnum sumus.

CAP. 4. *Vnum dicitur de tribus personis, sed non vnus aut vna.*

REs plures possunt dici vnum esse, si vnius sint essentiæ. Vnus autem vel vna non potest dici nisi cũ addito: vt, Vnus Deus, vnus Creator, vel persona vna. Plura
1.cor.3 etiam dicuntur vnum, scil. consensu, vt Paulus & Apollo: Et qui plantat, & qui rigat vnum sunt.

Cur æqualitas dicitur in Filio, quomodo sit vna æqualitas trium.

HOc ideo fortè dictum est, quia Filius genitus est à Patre, æqualis gignenti, & dono, quod ab vtroq; procedit. Et ideo illa tria dicuntur esse æqualia propter Filium.

Cur Spiritus sanctus dicitur æqualitatis concordia.

Cap.3 QVia Spir. sanctus amor est quo Pater diligit Filium, & Filius Patrem. Vnde Aug. lib. 7. de Trinit. Spiritus sanctus est summa charitas vtrunque coniungens, nosque subiungens.

DE INTELLECTV ASSIgnatarum proprietatum, præsertim de Amore & Sapientia.

DISTINCT. Trigesimæsecundæ CAP. Primum.

Pater & Filius diligunt se non solùm amore essentiali, sed etiam notionali, qui est communis spiratio.

QVoniam dictum est suprà quòd Spiritus sanctus est communio Patris & Filij, & amor quo Pater & Filius se inuicem diligunt, quæri potest an Pater & Filius se diligant per Spiritũ sanctum. Quod si sic, igitur & sunt per Spiritum sanctum: quia non est aliud Deo esse, & aliud diligere. Cui quæstioni ostendendũ est, quod August. significare videtur, videl. quòd Pater & Filius se diligant, & vnitatem seruẽt, non solùm essentia sua, sed suo dono proprio, vt patet lib. 6. de Trinit. vbi sic ait: Manifestũ est quòd non aliquis duorum est, quo vterque coniungitur, quo genitus à gignente diligatur, genitorémque suum diligat, sintque non participatione, sed essentia sua, neque dono superioris alicuius, sed suo proprio seruantes vnitatem pacis. Ecce hic dicit quòd essentia sua & dono suo seruant vnitatem. Et idem. 15. de Trinit. Cap. 5 Cap. 7

CAP. 2. *Pater non est sapiens sapientia genita.*

VIdetur & à simili q̄ Pater sit sapiens sapientia genita, quæ tantū Filius est. Si enim Pater diligit amore qui ab ipso procedit, cur & non sapientia quam ipse genuit, sapit vel intelligit? Ad quod facit quod scribit Apost. dicens Christū Dei virtutē & sapiētiam. Sed absit vt ita sit (ait Aug. lib. 6. de Trinit.) quia si hoc est ibi esse quod sapere, nō per illam sapientiā quam genuit, sapiēs dicitur Pater. alioqui non ipsa ab illo, sed ille ab ipsa est. & sic sapientia quam genuit, esset illi causa vt esset. Quod fieri nō potest, nisi gignendo eum, aut faciēdo, quod nemo diceret, &c. Ergo Pater ipsa sapientia est qua sapiens est. Filius verō dicitur Sapientia patris: non quia per eum pater sit sapēs vel potens. sed quia Filius sapientia & virtus est de patre sapientia & virtute.

1. cor. 1 C. 1. li. 83. q. quæst. 23.

Quomodo Christ⁹ dicitur sapiē tia Patris.

CAP. 3. *Filius est sapiens sapientia ingenita.*

POst hæc quęri solet an Fili⁹ sit sapiēs sapiētia genita, an ingenita. Si enim nō est sapiēs sapiētia genita, nec seipso sapiens est. Si autem sapientia genita sapiens sit, non videtur Sapientia esse sapientia ingenita. Et ita non videtur sapiens esse à Patre, cùm à Patre habeat omnia. Ad quod dicimus, q̄ vna est sapientia Patris, & Filij, & Spiritus

sanctí,sicut vna est essentia: quia sapientia in illius simplicitate naturæ est essentia: & tamen Filius tantũ est sapientia genita,& Pat. tantũ est sapiẽtia ingenita, & sapiẽtia genita est de sapientia ingenita,vel à sapientia ingenita. Et cùm idẽ sit ibi esse quod sapientem esse,relinquitur vt sapiẽtia genita sit sapiens de sapientia ingenita. Vnde & sapiẽtia Dei Filius dicitur,& nõ ꝙ Filiꝰ sit vel solus intelligens,vel sapiẽs sibi, & Patri,& Spiritui sancto(vt ait Aug.li 15.de Tri.) Proinde Pater est sapientia,& Filius sapientia,& vterq; vna est sapientia. Et tamen solus Pater est sapientia ingenita,& Filius solus genita sapientia: nec tamen alia sapiẽtia Pater,alia sapiẽtia Filius,sed vna eademq; est.Sicut Pat.est Deus ingenitus,& Filius est Deus genitus: neque Deus genitus est Deus ingenitus .Non ideo tamẽ alius Deus est Pat. alius Deꝰ Filiꝰ, sed vnus Deus vterq;,non autem vnus.Alius est enim genitus, alius ingenitus, sed non alius Deus,imò vterq; vnũ siue vnus Deus. Ita nõ est sapiẽtia genita sapiẽtia ingenita , sed alia est sapiẽtia genita,alia ingenita.Non tamen est alia sapiẽtia, sed vna eademq; sapientia. *Cap.7*

Corolariũ. Ex prædictis cõstat ꝙ Filius nõ est sapiẽs à se,nec de se, sed de Patre,& à Patre: licet sit sapiens per se,sicut est Deus per se, sed nõ de se,aut à se(vt dicit Hil.) quòd Filius per se quidem agit,sed non à se. *Lib.3. de tri.*

CAP. *Quartum. Vna tantùm est sapientia Patris.*

SEd videtur ꝙ non sit vna tantũ sapientia Patris. Est enim aliqua sapientia Patris, qua sapiens non est: & alia sapientia Patris ingenita, qua sapiens est. Est ergo Patris duplex sapientia: Vna, qua Pater sapiẽs est: & alia, qua sapiens non est. Dicendum quòd vna est tantùm sapientia Patris, sed nõ vno modo dicitur. Nam sapientia Patris dicitur illa quam genuit: sapientia Patris dicitur ea qua sapiens est. Diuersa est ergo ratio dicti. Vna est tamẽ sapientia Patris, quia sapientia genita est eadem sapientia, & ea qua sapiens est, siue ea qua sapiens est intelligatur persona Patris, siue essentia Patris, quia persona Patris, quæ intelligitur cùm dicitur sapientia ingenita: & persona Filij, quæ significatur cùm dicitur sapientia genita, vna eademque sapientia est: quæ quidem essentia diuina intelligitur esse cõmunis tribus personis.

Et sic in Trinitate est dilectio, quæ est Pater, Filius, & Spiritus sanctus, quæ est ipsa essentia deitatis. Et tamen Spiritus sanctus dilectio est, quæ non est Pater vel Filius: nec ideo duæ dilectiones sunt in Trinit. quia dilectio, quæ propriè Spiritus sanctus est, est dilectio siue charitas quæ Trinitas est, &c.

CAP. 5. *Pater Filium non diligit ea dilectione quæ ab vtroque procedit.*

VNde ſicut Pater non dicitur ſapiens ea Sapientia quam genuit, videtur dicendum ꝙ Pater non diligat Filiũ, vel Filius Pat em, ea dilectione quæ ab vtroque procedit, ſcil. quæ propriè Spiritus ſanctꝰ eſt. Sicut enim idem eſt Deo. ſapere quod eſſe: ita eſt ei idem diligere quod eſſe. Ideo ſicut negatur Pater ſapiens ſapiẽtia genita: (quia aliàs non ipſa ab eo, ſed ipſe ab ea intelligeretur eſſe:) Ita videtur non concedendum, quòd Pater vel Filius diligat dilectione quę tantùm Spiritus ſanctus eſt. quia aliàs Spiritus ſanctus nõ videretur eſſe à Patre & Filio, ſed magis vterque à Spiritu ſancto: quia idẽ eſt ibi diligere quod eſſe.

Dilectio capitur dupliciter, eſſentialiter & notionaliter.

Ego hanc quæſtionem non abſoluens, ſed errorem excludens, profiteor non eſſe dictum Patrem diligere Filium, vel Filium Patrem, ea dilectione quæ ab vtroq; procedit: tanquam ea dilectione Pater ſit aut Filius: Sed ſic ea Pater diligit Filium, & Filius patrem: vt etiam per ſe pater ea quæ ipſe eſt dilectione diligat. Sic & Filius: non autem ſic vt pater per ſe non diligat, & Filius, ſed per eam tantùm. Eam tamẽ quæſtionem Lectorum diligentiæ pleniùs diiudicandam atque abſoluendam relinquimus.

DE COMPARATIONE VEL differentia proprietatis ad personas & essentiam.

DISTINCT. Trigesimætertiæ

CAP. Primum.

Proprietates sunt personæ.

To.4. exposi. Symb. ad Damas.

SIcut Proprietates sunt in personis, ita & eas personas esse confitemur. Nam suprà dixit Hieron. Sabellij hæresim declinantes, tres personas expressas sub proprietate distinguimus. Non enim nomina tantùmmodo, sed etiam nominũ proprietates. i. personas, vel (vt Græci) Hypostases, hoc est subsistẽtias cõfitemur. Ecce apertè dicit personas proprietatibus distingui, & eas esse personas.

CAP. 2. *Proprietates sunt Diuina Essentia.*

QVum de simplicitate Deitatis differeremus, authoritatibus Aug, Hil. Isid. necnõ & Boetij euidenter monstrauimus, Deum hoc esse omnino quod in se habet: excepto q̃ Pater in se habet Filiũ, nec est Filius: & Filius habet Patrem, nec est Pater. Et sic esse in natura triũ, vt qui habet, hoc sit quod habet, & totum quod ibi est, vnum esse, vnam vitam esse, &c. Fateamur ergo proprietates esse diuinã essentiam. quod ostendit Hil. dicens Natiuitatem Filij esse naturam. Vt patet lib. 7. de Trinit.

in medio libri.

Opinio aduersa cum rationibus.

HOc negant aliqui, dicentes Proprietates in Personis esse, sed non esse personas ipsas, quoniam dicũt proprietates eas esse exteriùs affixas, & nõ interiùs: vt ea quæ secũdum substãtiam dicũtur de Deo, vt bonitas, iustitia, &c. Si enim (inquiunt) proprietates sunt personæ, non eis personæ determinantur. Sed dicendum quòd etiam seipsis personæ differũt. Vnde Hieron. Substãtia vnum sunt, sed personis ac nominibus distinguuntur. Sed iterum addunt: Si proprietates ipsæ diuina essentia sunt, quum essentia non differant tres personę, nec pprietatibus differunt. Et addunt hæretici: Si Paternitas & Filiatio in diuina essentia sunt, eadem ergo res sibi Pater & Filius. Ipsa itaqua generat & generatur.

Reprobatio & ad rationes Responsio.

proprietãtes nõ determinant essentiã, sicut personas.

QVorũ audaciæ resistentes, atq; ignorãtiæ prouidẽtes, dicimus q̃ Paternitas & Filiatio nõ ita esse omnino in diuina substantia dicuntur, sicut in ipsis hypostasibus, in quibus ita sunt, q̃ eas determinãt, vt ait Ioh. Damas. Characteristica idiomata sunt, id est determinatiuæ pprietates, Hypostases, & non naturæ. Ideoq; licet Paternitas & Filiatio sint in diuina essentia, cũ eã nõ determinãt, nõ ideo potest dici q̃ di-

uina essentia & generet & generetur: vel ꝙ eadē res sibi sit Pater & Filius. Ita enim proprietas determinat psonā, vt hac proprietate hypostasis sit generās, & alia hypostasis sit genita: & ideo non ita generat & generatur.

Veruntamen soluendæ sunt aliquot etiā authoritates, quibus nitūtur probare aliqui proprietates non esse essentiā diuinā: & ad-
Ps.68. ducunt Aug. super locū illū Psal. Et non est sustantia, ita loquentē de personis: Cùm aūt Pater est, non illud est, quod vel quo est. Pa. enim non ad se, sed ad Filiū dicitur: ad se autem Deus dicitur. ~~Eo igitur quod vel quo deus est, substātia est. Quibus verbis (scil. eo~~ ꝙ de⁹ est, substātia est: sed ꝙ Pa. est, substātia non est. & item, Pat. non est illud quod est) cōfirmāt ꝓprietates nō esse diuinā essentiā.

17 f.

Nos autē aliter ista esse intelligēda dicimus. Dicēs enim, Eo ꝙ Deus est, substātia est: sed quo Pa. est, substātia nō est: hoc intelligi voluit, quia essentia Deus est, & Deitate substātia est. Eo enī substātia est quo De⁹ est, & è conuerso, &c. Ita & illud intelligendū est quod ait, Cùm Pat. est, non illud est quod est: id est, nō illo Pater est, quod vel quo ipse est. i. essentia, sed notione. Est & aliud qđ similiter assumūt ex verbis Aug. dicentis ꝙ Verbū secūdū ꝙ sapiētia est & essentia, hoc est quod Pat. secundum ꝙ Verbū, nō est hoc quod Pater. Si Verbum (dicunt) vt Verbum

nõ hoc est quod Pater, proprietas ergo quia Verbum est, non erit essentia. Dicendũ quia licet secundum quòd Verbum non sit hoc quod Pater est: ea tamẽ proprietas qua Verbum est, est id quod Pater est, est id diuina essentia, sed non est Hypostasis Patris.

DE PERSONARVM CVM essentię vnitate.

DISTINCT. Trigesimæquartæ

CAP. Primum.

Idem sunt Natura & Persona.

QVidam peruersi sensus in tantam prosilierunt insaniam, vt dicerẽt eandem essentiam non posse esse Patrem & Filium sine Personarum confusione. Si enim (inquiunt) ea essentia quæ Pater est, est Filius: idem sibi Pater est & Filius. Si hãc rem dicis esse Patrem, quære quam dicas esse Filium. Si verò aliam non quæsieris, sed eandem dixeris: idem genuit & genitus est. Idque testimonio Hilarij defendere nituntur, qui lib. 8. de Trini. exponẽs illud Rom. 8. Spiritus Dei in vobis est, &c. ait: Quæro nũc in Spiritu Dei vtrum naturam aut rem naturæ significatam existimes. Non enim est natura, quod res naturę: sicut non est idẽ homo, & quod hominis est, &c. dicẽtes per rem naturæ personam intelligendam esse.

Sed si verba integra Hilarij attendas, inuenies Spiritum sanctum rem naturæ dici Patris & Filij, & eundem dici esse naturam rei. Itaque in Trinitate non ita distinguendum est inter naturam, & rem naturæ, sicut in rebus creatis: quia (vt ait Hilar.) ~~comparatio terrenorum ad deum nulla est, &~~ c. Vnde subdit: Et secundum hoc non idem est Deus, & quod Dei est. quasi dicat: Si instar creaturarum de creatore sentis, cogeris fateri quia non idem est Deus, & quod Deus est. quod dicere impium est, quum Spiritus Dei Deus sit, & Dei Filius Deus sit. Vnde Aug. in psal. 68. Tanta est enim sibi substantiæ vnitas, vt æqualitatem admittat, pluralitatem non admittat. Si ergo tibi dictum fuerit, cùm dicis Dei Filiũ esse quod Pater est, Filius profectò Pater est: Responde, secundum substantiam tibi dixi hoc esse Filium quod Pater est, non secundum id quod ad aliud dicitur, &c.

CAP. *Secundum. Non dicitur Vnus Deus trium Personarum.*

QVum dicatur vnus & vna essentia esse tres Personæ: vtrũ possit dici Vnus Deus trium personarum, vel tres personæ vnius Dei: sicut dicitur vna essentia trium personarum, aut tres vnius essentiæ? In iis loquutionibus vsus Scripturæ nobis

videtur æmulandus, vbi frequenter reperitur ita dictum: Vna essentia trium personarum, & tres personę vnius essentiæ. nusquam autem occurrit legisse, Vnus Deus trium personarum, aut tres personæ vnius Dei. Quod ideo puto S. Doctores vitasse, ne ita fortè acciperetur in Diuinis personis, vt accipitur cùm de creaturis simile quid dicitur. Dicitur enim Deus Abraham, Isaac, & Iacob, & Deus omnis creaturæ. Quod vtique dicitur propter principium creationis, vel gratiæ priuilegium, & creaturæ subiectionem vel seruitutem. Quum ergo in Trinitate nihil sit creatũ, seruiens, vel subiectum, non admisit fides in Trinitate talem loquutionis modum. Ita etiam è conuerso non dicitur de Dei essentia, quòd ipsa sit essentia Abraham, Isaac, & Iacob, vel alicuius creaturæ: ne creatoris & creaturę naturam confundere videamur.

CAP. *Tertium. Potentia Patri, Sapientia Filio, & Bonitas Spiritui sancto tribuitur.*

QVum vnũ & idem penitus sit in Deo potẽtia, sapientia, bonitas: in sacra tamen Scriptura solẽt hæc nomina frequẽter ad personas referri: & hoc ne Dei immẽsitatẽ creaturę similitudine metiremur. Vnde Patri tribuitur potẽtia, ne putet homo, vt in creaturis, antiquitate Patrẽ potẽtia infirmatum. Et sapiẽtia Filio, quòd in creaturis

filij posteriores patribus videãtur minus sapiẽtes. Et Spiritui sancto bonitas, ne humana cõscientia ad Deũ pro rigore & velut crudelitate accedere metueret. Vna est ergo potẽtia, sapiẽtia, & bonitas triũ, sicut vna essentia. & ideo dicitur Filius Homousios, id est cõsubstantialis Patri, & ita omnipotẽs. Homousion enim (vt tradit Aug. libr. 3. contra Maxim.) est quod vnius eiusdémq; substantiæ est. quamuis in Conc. Ariminensi nõnulli hęretici tẽtauerint nomen illud labefactare. Ca. 14.

Quid Homousion? f. 4. a.

DE ATTRIBVTIS QVAE conueniunt Deo respectu creaturæ.

DISTINCT. 35. CAP. Primum.

Differunt Scientia, Prouidentia, Prædestinatio, &c. secundum rationem, sed sunt vnum re.

SCientia vel sapiẽtia (quũ sit vna & simplex) tamen propter varios rerũ status diuersa sortitur nomina. Dicitur enim nõ tãtùm sciẽtia, sed & pręsciẽtia, prędestinatio, &c. Sciẽtia non solùm de futuris est, sed de omnib⁹, siue bonis, siue malis. Prouidẽtia verò (quę & dispositio dici potest) est gubernandorũ & faciẽdorũ. Prędestinatio de omnibus saluãdis, quos prędestinauit ab ęterno, vt patet Ro. 8. & ad Ephes. Elegit nos ante mundi cõstitutionem, &c. Sapiẽtia autem, vt sciẽtia, de omnibus, vt bonis, ita malis est, præsentibus, futuris, & præteritis, & non tantùm de temporalibus, sed æternis. Eph. 1.

CAP. *Secundum. Sublatis futuris adhuc Præscientia in Deo manet.*

PRæscientia & prædestinatio ad aliquid dicuntur, vt creator: quâuis creator essentiam non significet, vt præscientia. ideoque cùm dicitur, Si nulla essent futura, non esset in Deo præscientia, vel Deus præscius. quia varia est ibi causa dicendi. Distingui oportet rationem dicti. Cùm ergo dicitur, Si nulla essent futura, non esset in Deo præscientia. Si causam dicendi attendis, siue denominandi, sic verum est: quia si nulla essent subiecta eius præscientiæ, præscientia dici non posset. Si autem ea ratione id dicis, quòd non sit in eo scientia, qua præscit futura, vel quòd non sit ipse Deus qui est futurorum præscius. & sic falsum est. ~~Potuit enim non præscire aliqua: nec tamen eo minus aut fuisset aut esset.~~

Præscientia dupliciter capitur, pro denominato & pro re quæ est præscientia.

CAP. *Tertium. Scientia est de æternis, & non solùm de temporalibus.*

SCientia vel sapientia non tantùm de temporalibus, sed etiam de æternis est. ideoque etsi nulla fuissent futura, esset tamen in Deo scientia eadem quæ modo est: nec minor esset, nec maior: quia sciuit æterna & temporalia immutabiliter: nec minus præterita & futura, quàm præsentia.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Adde quòd hæc visibilia antequàm fierent, *Omnia in*
Lib. 5. in Dei scientia erant, vt ait Aug. sup. Gen. *Deo sunt.*
Ca. 18. Nec alio modo innotuerunt cùm ea fecisset, quàm illo quo illa nouerat vt faceret, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Vnde, quod factũ est,
Iaco. 1. in ipso vita esse dicitur. Inde est quòd ei
Ioh. 1. omnia dicuntur præsentia esse, præterita &
Ro. 4. futura vt præsentia. qui vocat ea quæ non sunt, tanquam quæ sunt.

DE COMPARATIONE rerum scitarum ad Dei scientiam, & quomodo res sint in Deo.

DISTINCT. Trigesimæsextæ CAP. Primum.

Licet omnia sint in Dei scientia, non tamen dicuntur esse in eius essentia.

QVamuis cognitio dei vel prẽsentia sit essentia diuina, & omnia dicantur esse in eius cognitione: non tamẽ dici debent esse in eius essentia. Si enim hoc dicere tur, intelligerentur esse eiusdem essentiæ cum Deo. In Deo enim dicitur esse per essentiam, quod est diuina essentia, quod est Deus. Habet ergo Deus apud se in præsen-
To. 10 tia sua, quæ non habet in sui natura. vt dicit
ser. 11. Aug. de Verb. Apost.

CAP. *Secundum. Mala non dicuntur esse in Deo.*

QVum omnia dicantur esse in Deo, nō per essentiam naturæ, sed per cognitionem scientiæ, & Deus sciat bona & mala: videtur concedendū mala simpliciter esse in Deo, sicut bona. Sed (vt ait Aug,) Nemo, nisi insanus, dixerit mala esse in Deo. Illa enim esse in Deo intelliguntur, quæ ex ipso & per ipsum sunt. Ea verò per ipsum sunt, quorum author est. Sed non est author nisi bonorum: nō ergo ex ipso & per ipsum sunt nisi bona. Quia licet cognoscat mala, non tamen omnino ita noscit vt bona. quoniam bona cognoscit per approbationem & beneplacitum: mala verò non (vt dicit Cassiod. super Psal.) Peccata abscondita sunt Deo, quia non nouit. i. non approbat. Et eo sensu dicit Aug. ea abscondita à lumine Dei. Proinde idem videtur esse, Omnia esse ex Deo, & per ipsum, & in ipso: vt dicit Ambro. lib. 2. de Spir. san. Eandem enim vim habent omnia hæc, scil. cum ipso, & in ipso, & per ipsum, & vnum in iis, atq; consimile. Quāuis autē distinctio personarum explicetur cùm dicitur, Ex ipso, & per ipsum, & in ipso omnia: tamē sic intellige esse à Patre, vt eadem omnia non neges esse à Filio & Spiritu sancto. vt dicit Aug. 1. de Trinit. Nec dicendum omnia esse de Deo, quāuis ex Deo sint. non

f. 74. a. b.

Mala cognoscit Deus per scientiam, bona per approbationem.

Exponitur illud Apost. Ro. 11 Omnia per ipsum, &c.

Ps. 16.

enim penitus significat hoc ex ipso, quod de ipso, vt dicit Aug. lib. de Nat. Bon. Sicut homo generat filium, & facit domum. filius est de ipso, & domus ex ipso, & non de ipso: quia de terra & ligno est.

DE COMPARATIONE Dei ad res, scil. quomodo Deus sit in rebus.

DISTINCT. Trigesimæseptimæ CAP. Primum.

Deus est communiter in omnibus rebus, specialiùs tamen in Sanctis.

QVoniam demonstratum est ex parte quomodo omnia dicãtur esse in Deo, addendũ videtur hic quibus modis dicatur Deus esse in rebus. Sciẽdum est ergo quòd licet Deus incõmutabiliter semper in se existẽs, sit p̃sentialiter, potẽtialiter, & essentialiter in omnibus rebus sine sui definitione, & in omni loco sine circũscriptione, & in omni tempore sine mutabilitate: est tamen in sanctis spiritibus & animabus excellentiùs, scil. per gratiam inhabitans: & in homine Christo excellentissimè, in quo plenitudo diuinitatis inhabitat, vt ait Apost. In eo enim Deus habitauit, non per gratiã adoptionis, sed per gratiam vnionis. Vnde Greg. super Cant. Licet Deus cõmuni modo

Tribus modis Deus est in rebus.

Col. 2. Sup. illud, Quò abüt.

omnibus rebus insit, presentia, potentia, substantia: familiariori tamen modo per gratiam dicitur esse in illis, qui mirificentiam operum Dei acutiùs & fideliùs considerant. Idē Aug. ad Dardanū lib. de Præscient. Dei. Ca. 57.

Deum autem esse vbique docet Hilar. lib. 8. de Trinit. & Ambros. lib. 1. de Spir. S. Domini est omnia complere, qui dicit, Cælum & terram ego impleo, &c. cap. 7.

CAP. *Secundum. In solis Sanctis Deus habitare dicitur.*

NOn enim vbicūque est Deus, ibi habitat: sed vbi habitat, ibi est. in solis bonis habitat, qui sunt templum eius & sedes. Vnde Esa. Cælum mihi sedes est, & terra scabellum pedum meorum. quia in electis, qui sunt cælum, habitat Deus, & regnat, qui eius voluntati deuoti obtemperāt. Malōs verò, qui sunt terra, iudicij districtione calcat. Vnde propter hanc inhabitationem gratiæ, nō dicimus, Pater noster qui es vbique, sed in cælis, id est Sanctis, vt dicit Augustinus ad Dardan. Epist. 5. quia in illis excellentiori modo est. Ideo Aug. ad Hieron. de Origine Animæ: Sicut per omnes partes corporis tota anima adest simul, nec minor in minoribus, nec maior in maioribus: sed tamen in aliis intensiùs, in aliis remissiùs operatur, quum in singulis partibus corporis ca. 66. epi. 28.

essentialiter tota sit. Ita Deus, quum sit in omnibus essentialiter totus: in illis tamen pleniùs esse dicitur, quos inhabitat. Vnde
Ioh. 17 tract. 3 sup. Iohan. dicit: Non sat fuit dicere, Vt vbi ego sum & illi sint: sed addidit, mecum. quia & ibi miseri possunt esse, vbi & ille est qui nusquam deest. Nam soli Beati sunt cum illo, & non reprobi: sicut cæci in luce, non cum luce. Porrò boni nunc sunt cum eo, non per speciem, sed per fidem, &c. vt dicit Aug.
cap. 21. libr. 3. contra Maxim. vbi etiam docet quomodo Deus antequàm cælum & terram fecisset, in se habitaret.

CAP. *Tertium. Quomodo sit vbique Deus est homini ineffabile.*

CHrysost. in Epist. ad Hebr. ait: Sicut multa de Deo intelligimus, quę loqui penitus non valemus: ita multa loquimur, quæ intelligere non sumus idonei, vt quòd vbique Deus est, scimus & dicimus: quomodo autem vbique sit, intellectu non capimus. Vnde minus sufficienter hunc modum intellexerunt, qui Deum esse vbique dixerũt, & in omni creatura: quia omnis locus & creatura per eum est. & quia omnia loca sunt ei præsentia, & omnia quæ in eis sunt: & in eis operari non cessat, &c. Quæ licet vera sint: tamen illis verbis, quibus dicitur Deus vbique, plus contineri creden-

hom. 12 super id, qui cùm sit splẽdor gloriæ.

dum, quàm homo viuens capere valeat.

CAP. *Quartum. Deus vbique existens, non variatur qualicunque loci vel temporis mutatione.*

QVúmque Deus veraciter & essentialiter sit in omni loco & in omni tẽpore: nõ tamẽ mouetur per loca vel tempora: non enim localis est, nec tẽporalis. Lócalis quidẽ nõ est: quia penitus loco non circũscribitur: quia nec ita est in vno loco, vt non sit in alio. Aliquid autẽ dicitur Locale in Scriptura dupliciter, scil. circũscriptiuè. vt natura corporalis, quæ dimẽsionibus facit distantiam in loco. Vel definitiuè siue determinatiuè: quoniam cùm sit alicubi, non vbique inuenitur. quod non solùm corpori, sed omni creato spiritui conuenit. Deus autem nullo horum modorũ esse potest in loco: non igitur mutatione loci mutari potest. Vnde Aug. sup. Gen. Cùm Deus aliquid in creatura agit, nõ debemus opinari eius substantiam, qua Deus est, temporibus locisque mutabilem: quum sit ipse & interior omni re (quia in ipso sunt omnia) & exterior omni re (quia est super omnia) & antiquior omnibus (quia est ante omnia) & nouior omnibus: quia ipse idem post omnia, scil. post omnium initia.

Quid est esse in loco circunscriptiuè & definitiuè.

Nota.

Lib. 8. cap. 23.

DE COMPARATIONE
Scientiæ Dei ad res scitas.

DISTINCT. Trigesimæoctauæ
CAP. Primum.

Scientia simplicis intelligentiæ in Deo non est causa rerum, neque res sunt causa scientiæ Dei.

HIc oritur quæstio non dissimulanda, vtrum scil. scientia vel præscientia sit causa rerum, an res sint causæ scientiæ vel præscientiæ Dei. Videtur enim præscientia Dei esse causa eorum, quæ ei subsunt, ac necessitatem eis imponere: quia nec aliqua futura fuissent, nisi præsciisset ea: nec possunt non euenire, cùm ea præsciuerit Deus: quia Deus falli non potest. Impossibile est ergo ea non euenire præscita. Hoc idem & de scientia dicitur, scil. quòd quia Deus aliqua nouerit, ideo sint. Cui sententiæ attestari videtur Augustinus libro 15. de Trinita. dicens: Vniuersas creaturas, non quia sunt, ideo nouit: sed ideo sunt, quia nouit, &c. Idē lib. 6. cap. 10. Quod si ita est, igitur Deus erit causa omniū malorum, cùm præscita sint. quod longè est à veritate. Neq; etiam res futuræ causa sunt præsciētiæ: quia eius quod ęternū est, aliquid creatum existeret causa. quum tamen dicat Orig. Roma. 8. Non propterea aliquid erit,

quia id scit Deus futurum: sed quia futurum est, ideo scitur à Deo antequàm fiat, &c.

Dicendum res futuras nullatenus causam esse scientiæ vel præscientiæ Dei: nec ideo sciri vel præsciri, quia futuræ vel factæ sunt. Et ad Origen. dicitur, quia futurum est, ideo scitur à Deo antequàm fiat: neque sciretur, nisi futurum esset: vt on nnotetur ibi causa, nisi sine qua non fieret. Ita etiam dicimus scientiam vel præscientiam Dei nõ esse causam eorũ quæ fiunt, nisi talem sine qua non fiunt: si tamen scientiam ad notitiam tantùm referamus. Sed si homine scientiæ includatur beneplacitum atque dispositio: tũc rectè potest dici causa eorum quæ Deus facit. Sic patet quòd duobus modis accipitur scientia Dei: aut pro notitia sola, aut pro notitia cum voluntate. Hoc modo fortè accepit Augustin. dicens: Ideo sciuit, quia nouit, id est quia scienti placuit, & quia sciens disposuit. Quum ergo Deus sciat mala solùm primo modo, & non secundo modo: præscit illa, & præscitorum non est causa. sicut præsciuit & prædixit infidelitatem Iudæorum, sed non fecit: nec præsciuisset eorum mala, nisi eam essent habituri. Non enim mala præscit, tanquam facturus.

Sciẽtia beneplaciti est causa rerum.

Præsciẽtia Dei cõsiderãda dupliciter.

CAP. *Secundum. Præscientia stat cum contingentia rerum.*

AD id autem quod prædictum est,scil. præscientiam Dei falli non posse,solet à quibusdam ita opponi: Si Deus præuiderit hunc lecturũ,cùm possit non legere, sequitur quòd præscientia Dei falli potest. Sed dicẽdum,quòd si nõ legeret,non à Deo præscitum esset. At illi vrgent dicentes, Vel potest aliter fieri,quàm Deus pręsciuerit,vel non aliter. Si primum,ergo præscientia falli potest: Si secũdũ,ergo necessariò res pręscita eueniet. Ad quod dicimus,illam loquutionem,Aliter potest fieri , quàm Deus præsciuit,&alias huiusmodi,vt potest nõ esse quod Deus præsciuit, & implere est nõ esse quod Deus præsciuit,&c.posse intelligi vel cõiunctim,vt conditio non sit implicita. & tũc vera est hęc,Nõ potest aliter fieri,quàm à Deo præscitum sit. Si autem disiunctim, tũc falsa est,&c. Si verò dicis Deum nõ potuisse non præscire omne quod fit , falsum est. Potuit enim facere vt non fieret: & ita non esse præscitum.

Possibile & impossibile sensum compositũ vel diuisum faciunt.

DE IMMVTABILITATE scientiæ Dei.

DISTINCT. Trigesimænonæ
CAP. Primum.

Deus vnica & immutabili scientia scit simul præsentia omnia,præterita,& futura.

QVæri ſolet an Dei ſcientia augeri vel minui poſsit ſiue mutari. Quod ſanè videtur, quia poteſt ſcire hũc lecturum, quem nunquam antè ſciuit. ergo &c. Ad quod dicimus, quia Dei ſcientia omnino immutabilis, nec augeri nec minui poteſt. Nam (vt ait Aug. libr. 15. de Trinita.) cap. 13 ſcientia Dei eſt ipſa ſapientia, quæ eſt ipſa eſſentia: quia in illius naturæ ſimplicitate mirabili nõ eſt aliud ſapere, & aliud eſſe. ſed quod eſt ſapere, hoc eſt & eſſe, &c. Ideoque nouit omnia Verbum, & omnia ſimul videt, quorum nullum eſt quod nõ ſemper videat & ſciat, quę omnia ſimiliter nouit Pater, &c. Sicut ergo non poteſt augeri vel minui diuina eſſentia, ita nec diuina ſcientia. Et tamen conceditur poſſe ſcire quod non ſcit, & poſſe non ſcire quod ſcit: quia poſſet aliquid ſubiectum eſſe eius ſcientiæ, quod non eſt: & poſſet non eſſe ſubiectum aliquid quod eſt ſine permutatione ipſius ſcientiæ.

Hæc propoſitio, Deus poteſt ſcire quæ nõ ſciuit, dupliceꝫ reddit ſenſum, compoſitũ & diuiſum.

CAP. *Secundum. Deus nil ſcit de nouo.*

SI quis opponat: Si Deus poteſt aliquid ſcire vel præſcire quod nunquam ſciuit vel præſciuit: poteſt ergo ex tẽpore aliquid ſcire vel præſcire. Ad quod dicimus: Si dicatur modo poſſe ſcire vel præſcire quę ab æterno non ſciuit vel præſciuit, id eſt ita quòd ab æterno nõ ſciuerit vel præſciuerit, quaſi vtrũque ſimul eſſe poſsit, falſum eſt. Si

verò dícas eum posse modo scire vel prę-
re quod ab æterno nõ sciuit vel præsciuit, id
est habere potẽtiam sciendi vel præsciẽdi ab
æterno & modo aliquid, nec tamẽ illud prę-
scitum est vel futurũ, verum est. Non potest
ergo nouiter scire vel præscire aliquid: sicut
non potest nouiter vel ex tempore velle ali-
quid: & tamen potest velle quod nunquam
voluit. In quo sensu distinguatur quòd Deus
plura scire potest quàm scit.

Ei verò quod prædictũ est ex Aug. scil. ℣
Verbũ semper omnia videt & simul, videtur
obuiare quod ait Hieron. in Abacuch: Absur
Cap. 1. dum est autẽ ad hoc deducere Dei maiesta-
tem (ait) vt sciat per momenta singula quot
culices nascãtur, quótve moriãtur, quota pu-
licũ & muscarũ sit multitudo, quótve pisces
natent in aquis, & similia. Nõ simus tã fatuí
adulatores Dei, &c. Igitur Deus minimorũ
sciẽtiã ac ꝓuidẽtiã nõ habet. Dicẽdũ ℣ Hie. *Duplex*
nõ negat Deũ illa minima scire & cognosce- *prouidẽtia*
re per momẽta quib⁹ incipiũt ac desinũt, ac *in Deo, de*
ꝓuidere illis. Prouidẽtiã enim & curã de om- *nobis &*
nib⁹ habet: sed specialẽ de rationalib⁹ creatu *de brutis.*
ris, qb⁹ rectè viuẽdi legẽ prescripsit, ac præ-
mia ꝓmisit. Hãcq; ꝓuidẽtiã ac curã de irratio
nalib⁹ nõ habet. Ideo dicit Apost. Nõ est deo
1. cor. 9 cura de bobus. Prouidet tamẽ oĩbus, quia fa
cit oĩbus solẽ suũ oriri, &c. de qua ꝓuidẽtia
Sap. 12 dicit Scriptura, Quia ipsi cura est de oĩbus.

DE PRAEDESTINATIONE & Reprobatione, & eorum effectibus.

DISTINCT. Quadrageſimæ

CAP. Primum.

Prædeſtinatio, & Præſcientia differunt.

Hactenus diſputatũ eſt de ſcientia Dei in genere, nũc de ſcientia quò ad ſaluandos.

PRædeſtinatio (quę de hominibus ſaluãdis eſt, vt ait Aug. lib. de Prædeſtin. Sancto.) eſt gratiæ præparatio, quæ ſine præſcientia eſſe non poteſt, eáque præſciuit quæ facturus eſt. Præſcientia autem (quæ ſine prædeſtinatione eſſe poteſt) præſciuit etiam & ea quæ non eſt ipſe facturus, id eſt omnia mala. cap. 10

CAP. *Secundum. Numerus electorum non poteſt augeri vel minui.*

PRædeſtinatorum nullus videtur poſſe damnari, vel reproborum aliquis poſſe ſaluari. Vnde Auguſt. libr. de Correct. & Grat. In Apocal. (inquit) dicitur, Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam. Si alius non eſt accepturus, niſi iſte perdiderit, certus eſt electorum numerus, id eſt non poteſt augeri vel minui. At obiiciunt quidam: Poſſet Deus non apponere gratiam quibus apponit: & ſubtrahere quibus non ſubtrahit. Ergo qui prædeſtinati ſunt, damnari poſſunt, & è conuerſo. Ca. 13. *Obiectio.*

Quibus respondemus ex ea ratione dictũ esse numerum electorum non posse augeri vel minui, quia non potest vtrunque simul esse, scilicet vt aliquis saluetur, & non sit prædestinatus: vel vt aliquis prædestinatus sit, & nõ damnetur. Si verò simpliciter intelligatur, impossibilitas non admittitur. *Responsio. Prædestinat⁹ potest nõ saluari, sensum cõpositum facit & diuisum.*

Et ad id quod rursus obiiciunt, quia secũdum coniunctionẽ prædestinatus (scil. inquantùm prædestinatus) non potest damnari: Igitur cùm alterum horum non potest non esse, scil. quòd prædestinatus non possit esse non prædestinatus: sequitur non esse cõcedendum prædestinatum posse damnari. *Obiectio secunda. Responsio.*

Respondendum, quòd prædestinatus non potest esse non prædestinatus, si coniunctim intelligatur, id est, quòd ille qui ab æterno prædestinatus est, non potest non esse prædestinatus, vera est propositio: aliàs mutatio esset in Deo. Sed si diuisim intelligatur, est falsa: quia designat prædestinatum quẽ De⁹ ab æterno potuit non prædestinare, non posse non prædestinari. Et sicut ab æterno Deus potuit eum non prædestinare: ita concedi-tur à quibusdam, quòd & modo potest eum nõ prędestinasse. & ita de præscięntia & præscitis dicunt. quod in actionibus vel operationibus hominum nulllatenus concedunt. Ex quo enim aliquid factum est vel dictum, non concedunt posse nõ esse vel fuisse, quod *Nota. De⁹ potuit quẽ ab æterno nõ prædestinare: nõ sic autem de actionibus hominis, quæ transeunt in naturam.*

factum vel dictum est: referentes posibilitatem ad naturã rei existentis. Cùm verò de præsciẽtia Dei vel prædestinatione agitur, posibilitas vel impossibilitas ad potentiam Dei refertur, quæ semper eadem fuit, & est: quia prædestinatio, præsciẽtia, & potẽtia in Deo vnum sunt.

CAP. 3. *Prædestinationis & Reprobationis duo effectus.*

QVum prædestinatio sit gratiæ præparatio, id est diuina electio qua elegit quos voluit ante mũdi constitutionem, vt ait Apost. Reprobatio è diuerso *Eph.1.* intelligẽda est præsciẽtia iniquitatis quorũdam, & præparatio damnationis eorũdem. Sicut enim prædestinationis effect⁹ illa gratia est, qua in præsenti iustificamur, atq; ad rectè viuendũ & in bono perseuerandũ adiuuamur, & illa qua in futuro beatificamur: ita reprobatio Dei, qua ab æterno non eligendo quosdã reprobauit, sec. duo considerat̃. Quorũ alterũ præscit & non præparat, scil. iniquitatẽ: alterũ præscit & præparat. s. æternã pœnã. Vnde Aug. ad Prosp. & *Ca. 17* Hilar. Hæc, inquit, regula inconcussè tenenda est, peccatores in peccatis præscitos esse, non præparatos: pœnam autem esse præparatam, &c. Et sicut prædestinationis effectus est gratiæ appositio: ita reprobationis æter-

76. b.

næ quodam modo effectus esse videtur obduratio. Nec ~~obdurat Deus~~ (ait Augustinus ad Sextũ) impartiendo maliciam, ~~sed non impartiendo gratiam~~, sicut nec digni sunt. & ita indurare dicitur Deus (vt dicit Apost.) & non quòd quemquam cogat peccare (vt dicit Aug. ad Simplicianum) sed quia misericordiam iustificationis eis non largitur.

Epist. 105. *Ro.* 9. *Lib.* 1.

DE CAVSA PRAEDESTINATIONIS & Reprobationis.

DISTINCT. Quadragesimæprimæ CAP. Primum.

Reprobatio, sed non prædestinatio, sub merito cadit.

OBdurationis meritũ inuenimus, misericordię autẽ meritũ non inuenimus: quia nullũ est misericordiæ meritum, ne gratia euacuetur, si nõ gratis donetur: sed meritis redditur. Miseretur itaque secundũ gratiam, quæ gratis datur: obdurat autẽ secundũ iudiciũ, quod meritis redditur. Vnde datur ĩtelligi, vt sicut reprobatio Dei est nolle misereri: ita obduratio Dei sit nõ misereri: vt nõ ab illo irrogetur aliquid quo sit hõ deterior, sed tantũ quo sit melior nõ eroge-tur, &c. Quũ ergo gratiæ, q̃ apponitur hoĩ ad iustificationẽ, nulla sint merita: multò minus & ipsi⁹ prædestinationis, qua ab ęterno

Deus caudatur ĩtelligi vt sicut reprobatio Dei est nolle misereri: ita obduratio Dei sit nõ misereri: vt nõ ab illo irrogetur aliquid quo sit hõ deterior, sed tantũ quo sit melior nõ eroge-tur, &c. Quũ ergo gratiæ, q̃ apponitur hoĩ ad iustificationẽ, nulla sint merita: multò minus & ipsi⁹ prædestinationis, qua ab ęterno

prædestinatione, sed nõ mali reprobatione.

elegit Deus quos voluit, aliqua possunt existere merita: Ita nec reprobationis, qua ab æterno quosdam præsciuit futuros malos & damnandos: sicut elegit Iacob, & reprobauit Esau. quod non fuit propter merita eorum, quia nulla tunc habebãt, quoniã necdũ ipsi existebãt: nec propter futura merita quę præuideret, illum elegit, vel istum reprobauit. Accipitur tamen aliquando reprobatio pro obdurationę, sicut prædestinatio pro effectu suo, qui est gratiæ primæ appositio. Et illius temporalis reprobationis est aliquod meritum, sed non prædestinationis temporalis, sicut nec æternæ.

Exclusio opinionis quorundam, quam aliquando Aug. sequutus est.

Ex his collige quàm facilè sint opinati qui dicebãt Deum ideo elegisse Iacob, quia talem futurum præsciuit, qui in eũ crederet, & ei seruiret. Quod Aug. se aliquando sensisse dicit in lib. Retractat. 1. vbi ostẽdit quòd si propter futura merita electus esset, iam non ex gratia esset electio. Non ergo ideo electus est à Deo, quia talis futurus erat: sed ex tali electione talis factus est, ita dicens: Non elegit Deus opera cuiusquam in præsciẽtia, quæ ipse daturus est: sed elegit fidem in præsciẽtia, & quem sibi crediturum præsciuit. Ecce de operibus retractatio. Sed quia in ipsa fide meritum est, sicut & in ope-

Ca. 23 & lib. de prædest. sãcto. Cap. 3

Prædestinationis causa non est fides.

ribus: Ideo & de fide deinde retractauit, dicens quòd vtrunque, scil. fides & opera, nostrum est propter arbitrium voluntatis: & vtrũque datum est per spiritum fidei & charitatis. Vnde Aug. lib. de Prædestin. Sanctor. Non quia futuros nos tales præsciuit, ideo elegit: sed vt essem⁹ tales per ipsam electionem gratiæ suæ, qua gratificauit nos in dilecto filio suo. Similiter & retractasse dices Aug. id quod dixit lib. 83. quæst. Prædestinationem & reprobationem ex meritis, sed occultissimis prouenire. Deinde manifestũ fit etiam quàm falsa sit opinio illorum qui inscrutabilem iudiciorum Dei altitudinem cogitare conati sunt, dicentes animas in cælo antè conuersatas, & ibi aliquid boni vel mali egisse, & pro meritis ad corpora terrena detrusas esse. Quod respuit Catholica fides propter euidentem Apostoli sententiã qua ait: Cùm nõdum nati essent, aut aliquid boni vel mali egissent, &c.

Cap. 8

Ca. 68

Ro. 6.

Exclusio alterius opinionis.

CAP. 4. *Deus præsciuit aliqua quæ nunc non præscit: sed non sciuit aliqua quæ nunc non sciat.*

DIcimus Deum multa præsciisse quæ nũc nõ præscit. Cùm enim eius præscientia nõ sit nisi de futuris: ex quo illa quæ futura erãt, præsentia fiunt, vel prętereunt, sub Dei præscientia esse desinunt:

sub scientia verò semper sunt. Præscire enim desinit, cùm futura desinunt esse. Neque tamẽ ea minus noscit quàm antè cognoscebat.

De scientia autem dicimus, ꝙ Deus semp scit omnia quæ aliqnãdo sciuit. omnẽ enim scientiã quã aliquãdo habet, semper habuit, & habet, & habebit. Sed opponitur: Olim sciuit mundũ creandum, & nunc non scit eum creandum. Dicendũ, ꝙ idem scit de mundo quod ante creationem sciebat. sicut antiqui patres eundem Christũ quem nos credimus crediderunt: quanuis illis & nobis diuersis modis enũciatus sit, quia illi vt nasciturum, nos vt natum susscepimus. eandem enim rem diuersis temporibus designamus.

DE OMNIPOTENTIA DEI.

DISTINCT. Quadragesimæsecundæ

CAP. Primum.

Deus omnia potest.

NVnc de Dei Omnipotentia agendũ. qui ꝙ omnia possit patet ex Aug. lib. Quæst. Vet. & No. Test. Omnia quidem potest Deus, sed nõ facit, nisi quod cõuenit eius veritati & iustitiæ. Si dicas, possumus aliqua quæ non potest, vt ambulare, loqui, &c. Dicẽdũ, ꝙ illæ actiones à Dei potentia alienæ nõ sunt, sed ad ipsum pertinẽt: nõ ꝙ eas in se habeat, sed ꝙ in creaturis eas possit operari: facit enim vt homo ambulet

Cap. 6

&c. Non ergo per istas actiones diuinæ potentiæ detrahitur aliquid, & hoc potest facere omnipotens. Sunt autem aliæ actiones, quas non habet Deus, vt peccare, mẽtiri, &c. quæ potentiæ non sunt, sed infirmitatis. Vnde Aug. lib. 15. de Trinit. Magna, inquit, Dei potẽtia est non posse mẽtiri, &c. & in lib. de Symbo. Deus omnipotens non potest mori, falli, aut vinci, &c.

Deus peccare nõ potest.

Cap. 1.

CAP. *Secundum. Deus dicitur omnipotens, quia omnia quæ vult facit.*

HIc ergo diligenter considerãtibus omnipotentia eius secundum duo appareret, secundum quòd omnia quæ vult facit, & nihil omnino patitur: sec. vtrunque enim omnipotens Deus verissimè prædicatur. quia nec aliquid est, quod ei ad patiendum corruptionem inferre valeat: nec aliquid ad faciendum impedimentũ adferre. Idem probatur authoritate Aug. lib. de Spi. & Lit. ~~Omnipotens est, non qꝙ possit oĩa facere: sed quia~~ potest efficere quicquid vult: ita vt nihil valeat eius voluntati resistere ~~quin compleatur~~. Cùm autẽ dicit, nõ qꝙ possit omnia, generaliter accepit oĩa: vt etiã mala includeret, quæ Deus nõ potest, nec vult. Non ergo intelligas negasse oĩa quæ cõuenit ei posse. Similiter cùm dicit August. in Enchir. Nõ ob aliud veraciter vocatur omnipotens, nisi quoniã quicquid vult potest:

non negat eum posse ea etiam quæ nō vult: sed aduersus illos qui dicebant Deum multa velle quæ non poterat: affirmat eum posse quicquid vult, & ex eo verè dici omnipotentē, non ob aliud, quàm quia potest quicquid vult, scil. ex se & per se. Sed fortè dices: Nec Dei Filius potest à se, nec Spiritus sanctus, sed solus Pater. ille enim potest à se, qui est à se, &c. Dicendum quòd licet Filius non possit à se, nec operetur à se: potest tamen & operatur per se. sic & Spiritus sanctus. Nō ergo verè & propriè dicitur Deus omnipotēs: quia per se, id est naturali potētia potest quicquid vult fieri, & quicquid vult se posse. Nihil enim vult fieri, quod non possit se facere per se vel per creaturas. Et nihil vult se posse quod non possit: & omne quod vult fieri, vult se posse: sed non omne quod vult se posse, vult fieri: si enim vellet, fieret: quum voluntati eius nihil resistere possit.

Quid omnipotens.

DE QVANTITATE Omnipotentiæ Dei.

DISTINCT. Quadragesimæquintæ.

CAP. Vnicum.

Deus potest alia & plura facere, & quæ facit omittere.

QVidam de sensu suo gloriantes, Dei potentiam sub mensura coarctare

conati sunt, dicētes: Non potest Deus aliud facere quàm facit: nec melius facere id quod facit: nec aliquid prætermittere de iis quæ facit. Hanc opinionē muniunt argumentis, dicentes: Primò, Deus non potest facere nisi quod bonum & iustum est fieri. non est autem bonum nec iustum fieri ab eo, nisi quod facit. Si enim aliud iustum est & bonum eum facere quàm facit, non ergo facit omne quod iustum & bonum est eum facere. Sed quis audeat hoc dicere? non ergo potest facere, nisi quod facit. & sic limitatur eius potentia. Addunt etiam: Deus non potest facere nisi quod eius exigit iustitia: sed iustitia non exigit, nisi quod facit: igitur &c. His respondemus, dicentes istas propositiones duplicē habere sensum: Vno modo sic: Non potest Deus facere, nisi quod bonum & iustum est: id est, non potest facere nisi illud, quod si faceret, iustum & bonum esset. & tunc verum est. Ad illud autem quod dicitur, Non potest facere nisi quod sua exigit iusticia, Primò dicitur quòd verbum exactionis non cōgruè dicitur de Deo. Secundò, duplex est sensus illius: Primò, Nō potest Deus, nisi, &c. id est, nisi quod voluntas sua iusta vult. & sic falsum est. Multa enim potest per potentiam, quæ non potest per iusticiam, vt dicit Aug. in Gen. 19. Secundò, si intelligas non posse eum facere nisi il-

Opinio.

Prima ratio.

Secunda ratio.

Respō sio.

Cōt. 3. epist. Gaudē tij. Ca. 22

lud, quod si fieret, iusticiæ eius conueniret,
2 verum dicis. Addunt. 3. Non potest face
re Deus nisi quod debet. non debet autẽ fa-
cere nisi quod facit. Si enim debet alia face-
re, non ergo facit omne quod debet, &c. Sed
dicendum ꝙ verbum illud, debet, Deo non
competit, qui non est ~~debitor nobis~~, nisi for
tè ~~ex promisso~~. ~~Nos verò debitores ei sumus~~
~~ex cõmisso~~. His & sanctorum testimonia
adnectunt. Dicit enim Augu. lib. 1. de Symb. Cap. 1.
Hoc solũ Deus nõ potest quod nõ vult. Per
quod videtur non posse facere aliquid nisi
quod vult. sed non vult nisi quod facit. & ita
videtur non posse nisi quod facit. Sed illud
ita intelligendũ est: Id solũ non potest Deus
quod non vult, scil. se posse. In quo sensu in-
tellige & illud qđ idem Aug. dicit. 7. lib. Cõ-
fess. Nec cogeris inuitus ad aliquid: quia vo
luntas tua non est maior quàm potentia.

Fateamur itaque Deum plura posse face-
re quæ non vult, & posse dimittere quæ fa-
cit. Quod vt certiùs firmiúsq; teneatur, scri-
pturæ testimoniis asseramus Deũ plura pos-
se facere quã facit. Veritas ipsa apud Matth. Matt.
ait: An putas quia non possum rogare Pa- 26.
trem meum, & exhibebit, &c. Poterat ergo
Filius rogare quod nõ rogabat, & Pater ex-
hibere quod non exhibebat. Vterq; ergo po
terat facere quæ non faciebat. Quem locũ
Scripturæ ad id astruendũ adducit Augu. in Ca. 95.

Cap. 7 Enchir. idem in lib. de Nat. & Grat. Dominus Lazarum ſuſcitauit in corpore: nunquid dicendum eſt, Nō potuit Iudam ſuſcitare in mente? Potuit quidem, ſed noluit. Etiam ratione probari poteſt. Non enim vult Deus omnes homines iuſtificare: & tamē quis dubitat eum poſſe? &c.

f. 78. b.

DE QVALITATE Potentiæ Dei.

DISTINCT. 44. CAP. Primum.

Poteſt Deus res meliores facere quàm fecerit.

SOlent præfati dicere, quòd ea quæ facit Deus, non poteſt meliora facere. Quia ſi poſſet facere & non faceret, inuidus eſſet, & nō ſummè bonus. & hoc ex ſimili adſtruere conātur. Ait enim Aug. lib. 83. quęſt. quæſt. 50. Deus quē genuit, quoniā meliorē ſe generare nō potuit (nihil enim Deo melius) debuit æqualē. Si enim voluit & nō potuit, infirmus eſt: Si autē potuit & noluit, inuidus, &c. Sed non valet huius ſimilitudinis inductio: quia Filium genuit de ſubſtantia ſua. Ideo ſi poſſet generare ſibi æqualem, & non gigneret, inuidus eſſet. Alia verò quæ non de ſubſtantia ſua facit, meliora facere poteſt. Ideo probatur q̄ meliorē rem poſsit facere quàm fecerit. Nam ſi nō poſſet, hoc ideo eſſet, quia creatura eſt ſummè bona. quod falſum eſt,

quia tũc creatori ęqualis esset. vel quia maiꝰ bonum quod ei deest, capere ipsa non valeat. Et hoc adhuc non obstat, quia capacitatem quæ deest, potest dare Deus. Potest ergo Deus meliorem rem facere quàm facit. Vnde Aug. sup. Gen. Talem potuit Deus hominem fecisse, qui nec peccare posset, nec valeret. Et si talem fecisset, quis dubitat eum meliorem fecisse?

Homo potuit melior produci.

CAP. 2. *Deus non potest facere melius, id est meliori modo operandi.*

SI enim modus ad sapiẽtiam opificis referatur, nec alius, nec melior modus esse potest. Non enim potest facere aliquid aliter, vel meliùs, quàm facit, id est, alia sapientia vel maiori sapientia. Nihil enim sapientiùs potest facere quàm facit. Si verò referatur modus ad rem ipsam quam facit Deus: dicimus quia alius & melior modus esse potest. Vnde. Augu. lib. 13. de Trinit. dicit quòd fuit alius modus nostræ liberationis posibilis Deo, quia omnia potest: sed nullus alius nostræ miseriæ sanandæ fuit conuenientior.

Posibilis fuit alius modus redemptionis

CAP. *Tertium. Deus omne quod potuit, nunc potest.*

PRæterea quæri solet vtrum semp posit Deꝰ õne quod potuit. Quod quibusdã non videtur, quia potuit incarnari, mo-

ri,& resurgere:quæ nunc non potest.Sed dicendum, quòd sicut omnia semper scit quæ aliquando sciuit,& semper vult quæ aliquãdo voluit,nec vnquã aliquã scientiam amittit:ita omnia semper potest quæ aliquando potuit,nec aliqua potentia sua vnquã priuatur. Vnde licet non possit modo incarnari, mori:non tamen priuatus est potentia incarnandi,&c. Sicut enim olim potuit incarnari:ita & modo potest incarnat⁹ esse. In quo eiusdẽ rei potẽtia mõstratur. Sicutnõ est alia scientia, qua sciuit se resurrecturum , & qua nunc scit se resurrexisse: sed eadem est, licet diuerso modo significata:Ita eadem potentia Dei,qua potuit & potest,&c.

DE VOLVNTATE DEI, & eius acceptione.

DISTINCT. Quadragesimæquintæ
CAP. Primum.

Deus non dicitur Omnia quæ vult.

LIcet sit idem Deo velle quod esse: non tamen dicendum est Deum esse omnia quæ vult.quod quidam sic obiiciebant, dicentes:Si idem est Deo velle quod esse:ergo cùm dicimus Deum velle omnia quæ facit, dicimus eum esse omnia quæ facit,quia velle & esse sunt idem, &c. Ad quod dicimus,quia licet idẽ penit⁹ sit Deo velle quod esse,non tamen potest dici omnia quæ vult.

Sicut idem est Deo esse quod scire: nec tamen sicut dicitur scire omnia, ita quoque potest dici esse omnia. Vnde cùm dicitur, Deus est volẽs, essentia diuina quidem prædicatur: sed cùm dicitur, Est volens omnia, nõ simpliciter prædicatur essentia: sed ita vt voluntati, quæ ipse est, omnia subiecta monstrentur: id est, Deus est, cuius volũtati (quæ ipsius essentia est) omnia subiecta sunt.

CAP. 2. *Voluntatis Dei, quæ est omnium causa, causa non est quærenda.*

HAec itaque summè bona volũtas causa est omnium quæ naturaliter fiunt, vel facta, siue futura sunt: quæ nulla præuenta est causa, quia æterna est. ideoque causa ipsius quærenda nõ est. Qui enim causam eiꝰ quærit, aliquid maius ea quærit, quũ nihil maius ea sit. Vnde Aug. lib. 83. quæst. *quæst.* Qui quærit quare Deus voluerit mundum 28. facere, causam quærit voluntatis Dei. Omnis autẽ causa efficiẽs maior est eo quod efficitur: nihil autem maius est Dei voluntate: non ergo eius causa quærenda est. Idem in libro contra Manichæos. Quòd autem voluntas Dei prima & summa sit causa omnium, testatur Augustin. lib. 3. de Trinit. Nihil *Cap. 4* enim fit, quod non de interiori atque intelligibili aula summi Imperatoris egrediatur secundum ineffabilem substantiam, &c.

CAP. 3. *Voluntas Dei secunda.*

VOluntas Dei quanuis non sit diuersa, tamen diuersa loquutione in Scriptura nobis declaratur. Nam Voluntas Dei verè ac propriè dicitur, quæ in ipso est: & ip sius essentia est. & hęc vna est, nec multiplicitatem recipit nec mutabilitatem, quæ inexpleta esse non potest. de qua Proph. ait: Omnia quæcũque voluit, fecit Dominus, & Apost. Voluntati eis quis resistit? & alibi: Vt probetis quæ sit volũtas Dei bona, & beneplacẽs, & perfecta. Et hæc volũtas rectè appellatur Beneplacitum Dei, siue dispositio. *Voluntas beneplaciti Dei.*

Ps. 113
Ro. 9.
Ro. 12.

Aliquando verò secundũ quandã figuram dicẽdi, Volũtas Dei vocatur, quod secundũ proprietatẽ non est voluntas eius, vt præceptio, prohibitio, cõsiliũ, permissio, & operatio. Ideoq; aliquãdo pluraliter Scriptura volũtates Dei pronũciat. Vnde Psalm. Magna opera domini, exquisita in õnes voluntates eius. quia diuersa sunt illa. Sicut misericordias domini dicit Proph. Singulariter quoq; Voluntas Dei illa dicuntur, quia sunt signa voluntatis diuinæ, & contra hanc voluntatem multa fiunt. *Volũtas signi nõ semper impletur.*

Ps. 111.

CAP. 4. *Deus non vult voluntatem suam signi semper impleri.*

NOn est tamẽ intelligẽdũ, Deũ oẽ illud fieri velle, quod cuicũq; præcepit, vel nõ fieri quod prohibuit. Præcepit enim

Abrahę immolare Filium, nec tamen voluit, nec ideo præcepit vt id fieret, ſed vt Abrahę probaretur fides. Et in Euāg. præcepit ſanato ne cui diceret: ille autem prædicauit vbique, intelligens Deū non ideo prohibuiſſe, quin vellet opus ſuum prædicari: ſed vt daret formam homini laudem humanam declinandi.

DE VOLVNTATE QVO-ad ſuos effectus.

DISTINCT. Quadrageſimęſextæ

CAP. Primum.

Voluntas Dei Beneplaciti ſemper impletur.

Dictum eſt in ſuperioribus, quòd voluntas Dei beneplaciti non poteſt caſſari: quia illa voluntate fecit quæcūque voluit in cælo & in terra: ſed quæritur quomodo accipiēdū ſit quod Apoſtolus ait, Vult omnes homines ſaluos fieri: quum non omnes ſalui fiant, humana voluntate impedientę voluntatem Dei: & Dominus in Euangelio, Quoties volui (ait) congregare filios tuos, ſicut gallina congregat pullos ſub alas, & noluiſti? Ad hæc reſpondet Augu. in Enchirid. quòd ſenſus huius, Vult omnes homines ſaluos, &c. eſt, q̄ nullus homo ſit ſaluus, niſi quem vult ſaluum fieri: ſiue quòd quicunque ſaluatur, Dei voluntate ſaluatur.

Quæſtio. 1. Ti. 2

Matt. 23.

Reſpōſio. *Ca. 98*

Ideo, inquit Aug. rogandus est, vt velit quod necesse est fieri, si voluerit. Sic & illud, quoties volui, &c. Non enim sensus est, quòd
Ca. 97 voluerit, & non sit factum (ait Aug.) quod voluit, quia ipsa noluerit: sed quia noluit, ea nolente collegit quos voluit. Ideo dictum est, quoties volui congregare, & noluisti? i. quotquot cõgregaui mea volũtate, te nolẽte feci. & ad hunc sensum intelligitur illud Iohannis 1. Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. non quòd omnes illuminentur, sed quòd nullus est illuminatus, qui non sit ab ipso illuminatus, &c.

Joa. 1.

CAP. 2. *Mala culpæ Deus fieri non vult, non vult tamen ea non fieri.*

QVidam dicunt Deũ mala velle esse & fieri: sic disputãtes: Primò, si deus ea nollet fieri, nõ fierent: quia eius volũtati nemo resistere potest. Secundò, vult deus vel mala fieri, aut non fieri. Si vult non fieri, non fiunt: sed illa fiunt, vult ergo illa fieri. Tertiò, bonum est mala esse vel fieri: alioqui summè bonus non permitteret ea fieri: ergo vult illa fieri.

Alij autem dicunt Deum mala non velle fieri vel esse. & præmissis rationibus respondent Deum nec velle mala fieri, nec velle nõ fieri, vel nolle fieri, sed tantùm non velle fieri: quia si vellet ea fieri vel esse, faceret ea fieri vel esse: & ita esset author malorum.

7A. 1

Itẽ,si nollet fieri,vel vellet non fieri,& tamen fierent, omnipotens non esset: quum eius voluntas humanæ voluntatis effectu impediretur. Idéoque non cõcedunt Deum velle mala fieri, ne author malorum Deus intelligatur: nec concedunt eum velle mala nõ fieri, ne impotẽs esse videatur: sed tãtùm dicũt eum non velle mala fieri. Vnde Ioh.1. dictũ est,Sine ipso factũ est nihil.i.peccatũ.

Peccatum non dicit per eum factum esse, vel eo nolente:sed tantùm sine eo,id est sine eius voluntate.

Quòd autem dicit Augustꝰ. in Enchirid. ca.69. mala esse,bonum est,intelligendum est quòd Ro.8. ex malis Deꝰ bona elicit. Vnde dicit Apostolus, Omnia cooperantur in bonum. Vel iis qui faciunt, vt Augustꝰ.dicit lib.de Correct. cap.7. & Grat. vsque adeò Deus cooperatur in bonum, vt si qui eorum deuient,etiam hoc ipsum faciat eis proficere in bonum: quia humiliores redeũt atq; doctiores,vt Petrus.

Quòd verò Deus non sit author mali culpæ testatur Augustꝰ.lib.83. Quæst.vbi dicit, quòd Deo authore homo non fit deterior,nec fiunt mala Deo volente: quia ipse non est causa tendendi ad non esse: tendere enim ad non esse, malum est. Ipse autem author mali non est. Tendit verò ad non esse,qui operatur malum.non est igitur causa deficiendi,&c. q.4.

DE VOLVNTATIS DIVINÆ efficaci impletione.

DISTINCT. 47. CAP. Vnicum.

Voluntas Dei efficax in homine semper impletur.

VOluntas quippe Dei semper efficax est, vt fiat omne quod velit, & nihil fiat quod nolit. quæ de homine semper impletur, quò cũque se vertat. Illa enim vo-
Ps. 100 luntas (ait Augustin. in Enchirid.) semper impletur, aut de nobis, aut à nobis. De nobis impletur, sed tamẽ nõ implemus eam quando peccamus. Hoc autem ipso quòd contra eius voluntatem fecerunt, de ipsis facta est voluntas eius. à nobis impletur, quando bonum facimus.

Voluntas Dei de homine peccãte impletur quãdo punitur.

Sed quomodo cõtra Dei voluntatem ali-
Ro. 9. quid fieri dicitur? Dictum est enim voluntati eius nihil resistere. Dicendum, quòd fit aliquid cõtra eius vel præceptionem vel prohibitionem, sed non cõtra eius voluntatẽ, quæ ipse est: nisi dicatur contra eam aliquid fieri, quia præter eam fit. quod notat Aug. dicẽs: Quãtũ ad ipsos attinet, quòd Deus noluit fecerunt: quãtum verò ad omnipotẽtiam Dei, nullo modo id facere valuerũt. quasi dicat: Fecerunt contra Dei præceptum, quod appellatur voluntas: sed non fecerunt contra Dei voluntatem omnipotentem: quia hoc

Obiectio.

Dilutio.

In psal. 16. super illud, vt non loquatur os meũ, &c.

non valuerunt,&c. Et sic patet quòd voluntas Dei, quæ ipse est, inuicta semper permanet: voluntas autem signi non semper impletur. neque ideo præcepit omnibus bona, vel prohibuit mala, vel consuluit optima, q̃ vellet ab omnibus bona quæ præcipit, fieri, vel mala quæ prohibet, vitari Si enim vellet, vtiq; fierẽt: sed vt iustitiam suam hominibus ostenderet,& mali essent inexcusabiles,&c.

DE CONFORMITATE Voluntatis humanæ ad Diuinam.

DISTINCT. Quadragesimæoctauæ CAP. Primum.

Non omnis voluntas quæ non vult quod Deus vult, est mala: vel quæ vult quod Deus vult, est bona.

SCiendum quoque est quòd aliquando mala est voluntas hominis idem volentis quod Deus vult fieri: & aliquando bona est voluntas hominis aliud volẽtis quàm Deus. Vt enim bona sit voluntas hominis oportet attendere quid congruat ei velle, & quo fine. vnde August. in Enchirid. Aliquã- ca.101.
do bona voluntate homo vult aliquid quod Deus nõ vult, bona multò ampliùs multoq; certiùs voluntate. Nam illius mala voluntas

nullo vnquam modo esse potest. Tãquam si bonus filius velit patrem viuere, quem deus bona voluntate vult mori. Et rursus fieri potest, vt hoc velit homo voluntate mala, quod deus vult bona: velut si malus filius velit patrem mori, velit etiam hoc Deus.

CAP. *Secundum. Voluntas Dei bona, mala hominum voluntate impletur.*

IVdæi enim quem Deus bona voluntate mori voluit, impia voluntate crucifixerũt. & volebant quidem Iudæi mala voluntate, quod Deus bona volebat. Vnde actum Iudæorum non voluit deus, sed passionem Ps.138 Christi voluit. sic Psal. dicit, Tu cognouisti sessionem meam. id est passionem meam.

Si dicas: Si voluit vt pateretur, vel id voluit à Iudæis fieri, vel non. si voluit vt non pateretur à Iudæis: igitur factum est, quod voluit deus non fieri. si voluit vt à Iudęis pateretur, ergo voluit eum ab illis occidi.

Sciendum quòd volebat quidem passionem, tanquam nobis salutiferam: sed nolebat Iudæorum actionẽm, quę mala erat. Vn- ca.101 de August. in Enchirid. Deus quasdam voluntates suas vtique bonas implet per malorum hominum voluntates malas: sicut per maleuolos Iudæos bona voluntate patris, Christus pro nobis occisus est. quod tantum

bonum fuit, vt Apostolus Petrus, quando id fieri nolebat, Sathanas ab ipso qui occisus est, diceretur.

Sancti viri qualiter cupiebãt Christum pati & Martyres.

Sic patet quomodo viri sancti cupierunt Christum pati & occidi amore redemptionis nostræ, & impletionis diuinæ voluntatis, sed non dilectionis passionis & mortis Christi. Vnde eodem lætabantur & tristabantur. Quo fit etiam vt passiones Martyrum possimus & velle & nolle, & vtrũque bona voluntate, si rectos nobis proponamus fines. Vnde Augustin. in Enchirid. Bonæ apparebãt voluntates piorum fidelium, qui nolebant Apostolum Paulum pergere Hierusalem, ne ibi pateretur mala quæ Agabus Proph. prędixerat. & tamen hoc illum Deus pati volebat pro annuncianda fide Christi, exercens martyrem Christi, &c. & ideo is cui hoc fine placebat passio Pauli, bonam voluntatem habebat.

Explicit Epitome in primum Librum Sentent. mag. Petri Lombardi.

EPITOME IN SECVNDVM.

DE CREATIONE VNIVERSI

DISTINCT. I. CAP. Primum.

Deus est vnicum omnium rerum ex tempore creationis principium.

DEum esse creatorem initiumque temporis atque omnium visibilium & invisibilium Scriptura ostendit, dicens:

Gen.1. In principio Deus creauit cęlum & terram.

Quibus verbis Moses elidit errorem quorundam dicentium plura sine principio principia fuisse. Vt Platonis, qui tria principia posuit, Deum scil. exemplar, & materiam, eáq; increata & sine principio: ac proinde Deum quasi artificem, & non creatorem: quoniam creare est de nihilo aliquid facere: facere autē est ex præiacēte materia aliquid efficere. Ideo hoc homini, illud verò soli Deo propriè cōuenit: quāuis in Scriptura creator pro factore quādoq; accipiatur. Facere enim aliquid dicitur, non vt homo, cum aliquo in se motu & passione: sed cum iuxta eius æternam voluntatem nouiter aliquid cōtingere & esse cernitur. Vnde res nouæ, quę eius volūtate esse incipiūt, actus eius ꝓpriè dici nequeūt, quū actus oīs in motu existat. In Deo autē nullus motꝰ. sed sicut calore solis aliqua fieri cōtingit, sine facta in eo mutatione: ita Dei volūtate noua habēt esse sine mutatione authoris, q est vnū & solū principiū. Aristoteles verò posuit principia, s. materiā & speciē, & tertiū, operatoriū dictū, mūdū quoq; semp esse & fuisse. Credamus igitur rerū creatarū cęlestiū vel terrestriū, visibiliū vel inuisibiliū causam non esse nisi bonitatē creatoris, &c.

Deus sine motu sui operatur.

Lib. 2. de gen.

CAP. *Secundum. Creatura rationalis ad diuinæ bonitatis & beatitudinis participationem creata.*

ET quia nullus potest, nisi per intelligentiam, eius beatitudinis (quæ quantò magis intelligitur, tantò plenius habetur) esse particeps: fecit deus rationalem creaturam, vt summum bonum intelligeret, intelligendo amaret, amando possideret, possidendo frueretur, quam in corpoream, vt homo: & incorpoream, vt angelus, distinxit. Vtraque autem facta propter Dei bonitatem, & suam vtilitatem, vt scil. ei seruiat, & eo fruatur.

CAP. *Tertium. Mundus propter hominem factus.*

ET quēadmodū factus est homo ꝓpter Deum. i. vt ei seruiret: ita positus est homo in medio, vt ei seruiretur, & ipse seruiret, vt acciperet vtrunque, & refligueret totum ad bonum hominis, & quod accepit obsequium, & quod impendit. Totum igitur bonum hominis erat, & quod factum est propter ipsum, & propter quod ipse factus est. Omnia enim (ait Apostolus) nostra sunt, scil. superiora, ad fruendum: æqualia, ad conuiuendum, vt Angeli, qui nobis æquales futuri sunt, & nunc nostri sunt, quia 1. cor. 3

vsum eorum habemus, quia propter nos in
Heb.1. ministerium mittuntur: & inferiora, quia ad vsum nostrum facta.

CAP. *Quartum. Triplex causa cur Anima corpori sit vnita.*

ANima autem (si quis quærat) duplici de causa vnita est corpori. Primò, quia Deus voluit, cuius volũtatis causa quærenda non est. Secundò, pro exemplo futuræ societatis, quæ inter Deum & spiritum rationalem in glorificatione eiusdem perficienda erat, animã corporeis indumentis & terrenis mansionibus copulauit, luteámque materiam fecit, ad vitæ sensum vegetare: vt scirẽt homo quia si potuit Deus tam dispatem naturam corporis & animæ in fœderationem vnam & amicitiam coniungere, nequaquam ei impossibile futurum rationalis creaturæ humilitatem, licet longè inferiorem, ad suæ gloriæ participationem sublimare. Tertiò etiam ideo vnitæ sunt animæ corporibus, vt in eis Deo famulantes, maiorem mereantur coronam.

Ordo tractandorum.

Ex præmissis apparet rationalem creaturam distinctam in Angelicam siue totam spiritualem, & in partim spiritualem, & corporalem, cuiusmodi est humana natura. De

digniori priùs agendum.

DE CREATIONE ANgelorum.

DISTINCT. Secundæ

CAP. Primum.

Angelica natura non est producta ante corporalia.

Fol. 151. A. lin. 17.

VIdetur hoc esse tenendum, quòd simul ~~creata est spiritualis creatura. i.~~ Angelica,&~~corporalis~~: secũdum quod potest accipi illud Salomonis, Qui viuit in æternum, creauit omnia simul. i. spiritualem & corporalem naturã. & ita non priùs tempore creati sunt angeli, quàm corporalis materia 4. elemẽtorũ. & tamen ~~primò omnium creata est sapientia (vt dicit Sapiẽs.) i. Angelica natura, non tempore, sed dignitate.~~ eccl. 18 eccl.

Quod Augustin. sup. Gen. apertè ostendit, dicens per cælum & terram spiritualem & corporalem creaturam intelligi. & hæc creata sunt in principio, scil. temporis, vel in principio, quia primò facta sunt: ita vt ante ea nihil factum sit, nec etiam tempus. Illa enim cum tempore creata sunt, nec ex tempore, nec in tempore: sicut nec tempus in tempore creatum est: quia non fuit tempus antequàm esset cælum & terra. Vnde Aug.

cap. 6. lib. 5. de Trini. dicit, quòd Deus fuit Dominus antequàm tempus esset: & non in tempore cœpit esse Deus: quia fuit Deus temporis, quando cœpit esse tempus. Nec vtique tempus cœpit esse in tempore, quia non erat tempus antequàm inciperet tempus. & Auguſt. ait: Nulla creatura est ante secula, li. 5. in gen. ad lit. c. 19 sed à seculis, cum quibus cœpit. Quanuis D. Hieron. aliter dicere, videatur in epistolam ad Titum. Sed illud dixisse non ita sentiendo, sed aliorum opinionem referendo, To. 9. cap. 1. arbitramur.

CAP. *Secundum. Angeli fuerunt creati in Cælo Empyreo.*

TEstimoniis euidenter monstratur Angelos ante casum fuisse in cælo, & inde corruisse quosdam propter superbiam, alios autem perstitisse. Vnde Dominus in Euangel. Videbam Sathanam tanquàm Lu. 10. fulgur de cælo cadentem. quo cælo intelligitur non firmamentum, sed cælum splendidum siue Empyreum, quod statim factum Angelis est repletum, vt dicunt Strabus & cap. 38 Beda super Iob. & de Cælo Empyreo illo Gen. 1 quidam volunt id intelligi, In principio creauit Deus cælum & terram, &c.

CAP. *Tertium. Vtraque naturâ, visibilis scil. & inuisibilis, quodammodo informis creata est.*

SImul ergo visibilium rerum materia & inuisibilium natura condita est, & vtraq; informis fuit secundum aliquid, & formata secundum aliquid. Sicut enim corporalium materia confusa & permixta (quę secundum Græcos dicta est Chaos) in illo exordio conditionis primariæ & formam confusionis habuit, & non habuit formam distinctionis & discretionis, donec postea formaretur, atque distinctas reciperet species. Ita spiritualis & Angelica natura in sua cõditione secundũ naturalẽ habitũ formata fuit: & tamen illam, quam postea per amorem & cõuersionem à creatore suo acceptura erat, formam non habuit, sed erat informis sine illa. Vnde Augustin. multipliciter exponens *Lib. 1. in gen. ad lit. Cap. 1.* præmissa verba Gen. per Cælum dicit intelligi informem naturam vitæ spiritualis, sicut in se potest existere, non conuersa ad creatorem quo formatur: Per terram, corporalem materiam, sine omni qualitate, quæ apparet in materia formata.

Obiectio.

Hic quæri solet si in cælo Empyreo fuerunt Angeli, moxq; statim facti sunt, quomodo in Esaia legitur, quòd Lucifer di- *Esa. 14*

xerit, Ascendam in cælum, &c. Sed ibi Cælum vocat Dei celsitudinem, cui parificari volebat. & est tale, ascendam in cælum, id est ad æqualitatem Dei.

DE ANGELIS SECVNdum suas intrinsecas conditiones.

DISTINCT. 3. CAP. Primum.

Angelis suæ creationis initio quatuor sunt distributa.

NVnc consequens est inuestigare quales facti fuerint in ipso primordio suæ conditionis: & quatuor quidem Angelis videntur esse attributa initio subsistentiæ suę, scil. essentia simplex. i. indiuisibilis & immutabilis, & discretio personalis, & per rationem naturaliter insitam, intelligentia, memoria, & voluntas siue dilectio, liberum quoque arbitrium. i. libera inclinandæ voluntatis, siue ad bonum, siue ad malum, facultas. Poterant enim per liberū arbitrium sine violentia & coactione, ad vtrunlibet propria voluntate deflecti.

CAP. *Secundum. Angeli sunt in attributis illis inæquales, & in aliis æquales.*

ILlæ igitur essentię rationales, quę personæ erāt & spiritus, naturáque simplices, & ita immortales, differentem essentiæ te-

nitatem, & differentem sapientiæ perspicacitatem, atque differentem arbitrij habilitatem, rectè habuisse intelliguntur: sicut in corporibus nonnulla differentia est secundum essentiam, ac formam, & pondus. Ad hunc modum enim credendum est illas spirituales naturas conuenientes suæ puritati & excellentiæ, & in essentia & in forma & in facultate differentias accepisse in exordio suæ conditionis, quibus alij superiores, alij inferiores dei sapientia constituerentur, aliis maiora, aliis minora dona præstantis: vt qui tunc per naturalia dona aliis excellebant, ipsi etiam post munera gratiæ eisdem præessent: & qui natura magis subtiles & sapientia ampliùs perspicaces creati fuut, ij etiam maioribus gratiæ muneribus præditi sunt: qui verò minùs natura subtiles, & sapientia minùs perspicaces conditi sunt, minora gratiæ dona habuerunt, &c. In ipsa facultate arbitrij differentia animaduertēda est, secundum differentem naturæ virtutem, & differentem cognitionis & intelligentiæ vim. & sic differens vigor & subtilitas causæ infirmitatem non adducit, minorque cognitio sapiētiæ ignorantiam non ingerit. Sic libertas inferior nullam arbitrio necessitatis voluntatem imponit. Et sicut in prædictis Angeli differebant, ita & quædam communia & æqualia habebant, quòd scil. spiritus

Differens libertas arbi. in Angelis.

erant, quòd indissolubiles & immortales, commune omnibus erat & æquale.

CAP. *Tertium. Inter creationem Angelorum & lapsum aliqua morula interceſſit.*

OMnes Angelos creatos esse bonos. i. sine vitio, iustosque fuisse. i. innocentes, sed non iustos. i. virtutum exercitium habentes, quidam affirmant: nondum enim prædíti erant virtutibus, quæ stantibus appositæ fuerunt in confirmatione per gratiam: aliis verò per liberum arbitrium superbientibus, & ideo cadẽtibus. Aliquam etiam morulam fuisse aiunt inter creationem & lapsum vel confirmationem: ~~& in illa breuitate tẽporis omnes boni erant~~: non quidem per vsum liberi arbitrij, ~~sed per creationis beneficium~~. Et tales erant, qui stare poterãt, id est non cadere per bona creationis, & cadere per liberum arbitrium. Poterant enim peccare, & non peccare: sed non poterant proficere ad meritum vitæ, nisi gratia superadderetur: quæ addita est quibusdam in confirmatione: idque confirmant authoritate Cap. 21 Augustí, super Gen. qui exterminans opinionem eorũ, qui Angelos creatos fuisse malos putant, authoritate & ratione probat bonos fuisse creatos, dicens super illud Gene. Vidit Deus cũcta quæ fecerat, & erant valde bona.

Nõ fuerũt angeli in gratia cõsummata creati.

Naturam ergo Angelorum bonam fecit. Nec potuit creator optimus, author mali esse. & ideo totum bonum erat, quod ex ipso illis erat.

Et ad eas authoritates, quas aduersarij adducunt, respondendũ: Primò ad id Iob, Hoc est initium figmenti Dei, vt illudatur ei ab Angelis eius: Dicẽdum quòd Diabolus dicitur initium figmẽti Dei, eò quòd Deus præuidit (quando sic ipsum fecit) quanta bona de eius malitia prouenirent, cùm ad eius tentationes sancti proficerent. Hoc autem fecit, vt illudatur ei: illuditur enim ei cùm sanctis proficit tentatio eius. sed & ipse est initium, & præcedit antiquitate & principatu malitię. cap. 4.

Et illud Iohã. Ille homicida fuit ab initio, & in veritate non stetit, exponit Aug. Non sic accipienda sunt verba hæc, vt malus à bono Deo creatus esse putetur, quasi ab initio cecidisse non diceretur. Nõ enim cecidit, si talis, scil. malus, factus est. à quo enim caderet? Sed factus priùs statim à veritate se auertit, propria potestate delectatus, beatæq; vitæ dulcedinem non gustauit, quam acceptam non fastidiuit, sed nolendo accipere amisit. Sui ergo casus præscius esse non potuit: quia sapientia fructus est pietatis. Continuò autem vt factus est, cecidit: non ab eo quod accepit, sed ab eo quod accepisset, si subdi Deo voluisset. Quod Origenes con- Cap. 8. lib. 11. Cap. 3.

Angelus non fuit præscius sui casus.

To. 3. firmat ſuper Ezech. &c. ideoque illa verba
Ioh. 1. ſic accipienda ſunt: Homicida erat ab initio, vel mendax. i. ſtatim poſt initium, ~~quando ſibi æqualitatem Dei promiſit, & ſeipſum occidit, qui homicida dicitur in Euang.~~ vel dicitur homicida ab initio. ſ. conditionis hominis, quæ per inuidiam in mortem præcipitauit &, fallaciter ſe duxit. Ex prædictis igitur liquet Angelos omnes bonos eſſe creatos, & poſt creationem per morulam aliquandiu ſtantes, quoſdam tamen cecidiſſe à bono quod habuiſſent ſi perſtitiſſent.

CAP. *Quartum. Angeli ante confirmationem habebant de Deo cognitionem, ſed non meritoriam.*

ERat in eis ~~triplex naturalis cognitio~~, qua ſciebant quòd facti erant, & à quo, & cum quo facti erat. ideo & aliquam boni & mali notitiam habebant, & naturalem dilectionem, qua Deum & ſe aliquatenus diligebant, per quam tamen non merebantur.

DE ANGELORVM MORALI bonitate vel malitia in ſua creatione.

DISTINCT. Quartæ

CAP. Primum.

Angeli nec beati nec miſeri creati ſunt.

ANgeli nec in beatitudine nec in miseria creati fuerunt: miseri enim ante peccatum esse non potuerunt, quia ex peccato miseria est. Nam si non fuisset peccatum, nulla esset miseria. Beati quoque nũquam fuerunt illi qui ceciderunt, quia sui euentus ignari fuerunt, id est peccati & supplicij futuri. Si enim lapsum suum præsciuerunt, aut vitare voluerunt, sed non potuerũt, & ita erant miseri: aũt potuerunt, sed noluerunt. & ita erant stulti & maligni. Boni verò & qui perstiterunt, fortè suæ beatitudinis præscij fuerunt. quod dicere videtur Aug. su per Gen. Sed hoc magis opinando & quærendo dicit, quàm asserendo. Vnde & huic opinioni opponens cõsequenter subdit: Sed quare discernebantur illi à cæteris? vt Deus istis quæ ad ipsos pertinent, non reuelaret: aliis verò reuelauit, cùm non prius sit ipse vltor, quàm aliquis peccator. Non enim dãnat ipse innocentes, &c. Sic videtur innuere, quòd nec peccaturis futurum malum, nec permansuris futurum bonum reuelauerit. *Lib. 11 Ca. 17.*

Angeli mali non præscinerũt futurã ram suam reprobationem.

Ex prædictis sequitur quòd Angeli qui corruerunt, nunquam beati fuerunt, nisi beatitudinem quis accipiat pro innocentiæ statu. Illi verò qui perstiterunt, aut suam beatitudinẽ futurã, Deo reuelante, præsciuerunt. & ita spei certitudine aliquo modo beati fuerunt, vel incerti extiterũ tsuæ beatitudi-

Angelis bonis non fuit reuelata prædestinatio sua.

nis: & ita aliter beati non fuerunt, quàm reliqui qui ceciderunt. Mihi autem probabilius est, quòd incerti fuerunt boni suæ beatitudinis futuræ.

CAP. *Secundum. Angeli ante confirmationem in bono aut malo erant perfecti.*

PErfectũ tribus modis dicitur. Est enim perfectum secũdũ tempus, quod habet quicquid tẽpus requirit, & cõuenit secũ dum tempus haberi, & sic erant Angeli perfecti ante confirmationem vel lapsum. Et perfectum secundum naturam, quod habet quicquid debitum est & expedit naturæ suæ ad glorificationem. & sic etiam fuerunt perfecti post confirmationem, & sancti post resurrectionem. Est & perfectum vniuersaliter & summè, cui nihil vnquam deest, & à quo vniuersa proueniunt bona, quod solius Dei est. Prima perfectio est naturæ cõditæ. 2. naturæ glorificatæ. 3. naturæ creatæ.

Modis. 3. dicitur. perfectum.

DE CONVERSIONE ET Auersione Angelorum.

DISTINCT. Quintæ

CAP. Primum.

Post creationem mox quidam ængelorum conuersi sunt ad creatorem suum, quidam autem auersi.

QVi charitate Deo adhæserunt, cõuersi fuisse dicũtur: illiq; sunt à Deo illuminati, gratia apposita. Qui verò odio habuerũt vel inuiderunt, auersi fuerũt, ac proinde excæcati, non immissione malitiæ, sed defertione gratiæ. Conuersio porrò quæ iustos fecit, & auersio iniustos, vtraque fuit voluntatis. poterant enim voluntate eligere quodlibet, & ratione iudicare, id est discernere. in quibus constat liberũ arbitriũ.

Causa conuersionis et auersionis.

CAP. 2. *Indigebat Angelus gratia cooperãte, vt ad Deum conuerteretur.*

ANgelis collata est gratia cooperans, sine qua non potest proficere rationalis creatura ad meritum vitę. Non autem indigebat Angelus gratia per quam iustificaretur, quia malus non erat. Operans autẽ gratia dicitur, qua iustificatur impius, id est de impio fit pius. Cooperãs verò, qua iuuatur ad bene volẽdum, efficaciter operandũ, & perseuerandum in bono.

Quid gratia operãs & cooperans.

CAP. 3. *Angeli in conuersione fuerũt beati, & per eam beatitudinem meruerunt.*

QVòd in ipsa cõfirmatione Angeli fuerũt beati, plures cõtestantur authoritates. & ideo pro cõstanti habendum est. Sed an eam meruerint beatitudinẽ, ambiguum est. Quidam dicunt quòd me-

ruerint per gratiam in cõuersione habitam, ideoque in eis simul fuisse meritum & præmium. Aliis dicentibus quòd eam meruerũt non per gratiam in confirmatione habitam, quæ erat illis data, non ad merendum, sed beatè viuendum, sed per sequẽti a opera, nẽpe obsequia nobis exhibita, per obediẽtiam Dei, & reuerentiã: & ita præmium præcessit merita. & hoc mihi maximè placere fateor.

Inter articulos magistrũ vide. 1 ex. 2. lib.

DE CONSEQVENTIBVS auersionẽ Angelorum.

DISTINCT. Sextæ
CAP. Primum.

Summus inter Angelos cecidit.

PRæterea scire oportet quoniã sicut de maioribus & minoribus quidã perstiterunt, ita de vtroq; gradu quidã corruerunt: inter quos, omnibus aliis cadentibus, vnus fuit excellentior, nec inter stantes aliquos eo fuit dignior, sicut testimoniis authoritatũ mõstratur. Ait enim Iob, Ipse principium viarum Dei: & Ezechiel, Omnis lapis precios̃us operimentum eius, id est omnis Angelus quasi operimentum eius erat: quia (vt dicit Grego.) in aliorũ cõparatione cæteris clarior fuit. Vnde vocatus est Lucifer, sicut testatur Esaias, Quomodo (inquit) cecidisti Lucifer, qui mane oriebaris? Con-

Iob 4.
Ezech. 28.
Ho. 28 super 15. c. Lucæ
Esa. 14

Folio 92. b. linea 22.

sideráns enim eminentiã suæ naturæ, & profunditatem suæ scientiæ perpendens, in suũ creatorem superbiuit, adeò quòd Deo se æquare voluit, vt in Esa. dicitur, In cælũ ascendam super astra cæli, &c. Ca. 14

CAP. 2. *Lucifer deiectus de cælo Empyreo.*

ET tãtæ superbię merito de cælo. i. Empireo, in quo cum aliis fuerat, deiectus est in istum caliginosum aerem, cũ omnibus suæ prauitatis cõsortibus, vt in Apoc. de Dracone, qui tertiã stellarũ partẽ traxit, Ioh. dicit. Aerísque huius caliginosi habitaculũ, illũ & consortes suos excepit, vt nobis continuæ sint exercitationis causa. Vnde Apost. Colluct. est nobis aduersus principes & potest. &c. Non enim eis est concessum habitare in cęlo, quia clarus locus est & amœnus, nec in terra nobiscum, ne homines nimis infestarent: sed in isto aere caliginoso, vt dicit Petrus, quasi carcere, vsque ad diem iudicij deputatus est. Tunc autem detrudentur in barathrum inferni, secundum illud, Ite maledicti, &c. Apoc. 17. Eph. 6 Folio 92. b. l. 7 146. b. 2. Pe. 2 Matt. 25.

CAP. 3. *Hierarchia est inter Dæmones.*

ET sicut inter bonos Angelos alij aliis præsunt, ita & inter malos alij aliis prælati sunt, quandiu durat mundus, sicut homines hominibus præsunt. Sed in futuro omnis euacuabitur prelatio, vt dicit Apostolus. Habent quoque, secundum mo- 1. Co. 15

dum scientiæ maioris vel minoris, prelationes alias maiores vel minores. quidã enim vni prouinciæ, alij vni homini, aliqui etiam vni vitio præsunt.

CAP. *Quartum. Luciferum esse in inferno problema est.*

DE Lucifero quidam opinantur quòd ibi religatus sit, & ad nos tentandos nunc accessum non habeat: quia in Apoc. 20. Apocal. legitur: Cùm consummati fuerint mille anni, soluetur Sathanas de carcere suo, & exiet, & seducet gentes. quod erit Matt. 24. nouissimo tempore Antichristi: quãdo erit tanta tribulatio, vt etiam (si fieri potest) moueantur electi. Quem ibi religatum dicunt ab eo tempore quò Christum tentabat in deserto, vel in passione Christi, & victus fuit vbiq;. Alij autem ex quo cecidit, pro peccati magnitudine illuc fuisse demersum. Sed ne in infernum demersus sit, siue non, credibile est eum non habere potestatem accedendi ad nos, quam tempore Antichristi est habiturus. & ideo fortè tunc dicitur solu-uendus. Etiam illis dæmonibus videtur adimẽda potestas alios tentandi, qui à sanctis iustè & pudicè viuentibus victi sunt, vt dicit Orig. Quod quidam putant intelligendum de vitiis in quibus superati sunt.

Nõ est adẽpta dæmonibꝰ potestas homines tentandi.

To. 1. Ho. 15

EPITOME

DE ANGELORVM LIBERO arbitrio post statum viæ, & Dæmonum virtute quoad creaturas.

DISTINCT. Septimæ
CAP. Primum.

In Angelis permansit liberum arbitrium, licet immutabiles sint à bono vel malo.

QVi boni, tanta gratia confirmati sunt, vt nequeant fieri mali, & mali in malitia adeò obdurati sunt, vt non valeant fieri boni. & tamen vtrique habent liberum arbitrium: quia & boni non aliqua cogente necesitate, sed propria ac spontanea voluntate per gratiam quidē adiuti bonum eligunt, & malum respuunt: & ~~mali similiter spontanea voluntate à gratia destituti, bonum vitant, & malum sequuntur. & mali habent liberum arbitrium, sed depressum atque corruptum, quod ad bonum surgere non valet.~~ Boni verò arbitrium habent multò liberius post confirmationem quàm ante, vt tradit Aug. in Enchirid. quia multò liberius est arbitrium, quod non potest seruire peccato: & cuicunque creaturæ rationali præstatur, vt peccare non possit (vt ait Aug. contra Max.) non est hoc naturæ propriæ, sed Dei gratiæ: quoniam ~~solus Deus~~ C. 105

est, qui non gratia cuiusquam, sed natura sua impeccabilis est.

Dilutio obiectionis.

Quod ergo Hieron. ait, Cætera cùm sint liberi arbitrij, possunt flecti in vtranque partem, accipi oportet secundum statum in quo creata sunt. Talis enim & homo & Angelus creatus est, qui ad vtrunque flecti poterat: sed postea boni Angeli ita per gratiam sunt confirmati, vt peccare non possint: & mali ita in vitio obdurati, vt bene viuere nequeant. Vnde Isid. Angeli natura mutabiles sunt, immutabiles verò gratia.

in tra. de filio prodigo.

Lib. de summo bono. 1

CAP. *Secundum. In Dæmonibus subtilitas intellectus remansit.*

TRiplici acumine sciētiæ (vt dicit Isid.) vigent dæmones, scil. subtilitate naturæ, experientia longa temporum, reuelatione supernorum spirituum. Vnde quædam vera de temporalibus rebus (ait Aug.) noscere permittuntur.

Dæmones vera de occultis naturæ præsagire possūt

Lib. 2. super Gen. Ca. 17

CAP. *Tertium. Magicæ artes virtute & scientia Dæmonum fiunt.*

QVorum scientia & virtute etiam magicæ artes exercentur. quibus tamen non tam scientia quàm potestas à deo data est, vel ad fallēdum fallaces, vel ad monendum fideles, vel ad exercendam pro-

f. 92. b.

bandamque iustorũ patientiam: vt satis colligitur ex dictis Aug. lib. 3. de Tri. Cap. 7

CAP. *Quartum. Non ad nutum omnis creatura obedit Dæmonibus: nec rerum quas producunt creatores dicendi sunt.*

NEc putandũ istis transgressoribus Angelis ad nutnm seruire hanc visibilium rerum materiam, sed Deo potiùs à quo hæc potestas datur. Vnde quãuis Angeli mali quædã possint, per naturæ subtilitatẽ, quædã tamen non possunt propter Dei vel bonorum Angelorum prohibitionẽ. Possent vtique feciſſe cynifes, vt ranas serpẽtésque fecerunt, Quędam etiã non possunt facere, etiam si permittantur ab Angelis superiorib⁹: quia nõ permittit Deus (vt ex Aug. Cap. 9 satis constat. 3. lib. de Tri.) Nec sanè creatores dicendi sunt, quia per illos Magi ranas & serpentes fecerunt: sed pro subtilitate sui sensus corporis semina ìstarum rerũ nobis occultiora nouerunt, & ea per congruas temperationes elementorum latenter spargunt: atque ita gignendarum rerum & accelerandorum incrementorũ præbẽt occasiones. Sicut ergo nec parẽtes dicimus creatores hominũ, nec agricolas creatores frugũ: (quãuis eorum extrinsecus adhibitis motibus, ad ista creanda Dei virtus interiùs operetur:) ita non solùm malos, sed nec bonos Angelos fas est putare creatores.

CAP. 5. *Solus Deus creat.*

SIcut ergo mentē nostram iustificando formare non potest nisi Deus: Prędicare autem extrinsecus Euangeliū étiā homines possunt, non solū ~~boni per veritatem~~, sed etiam ~~mali per occasionē~~: ita creationē rerum visibiliū Deus interiùs operatur, scil. occulta semina rerū, quæ Deus eis indidit. Exteriores autē operationes atque contemplationes ab Angelis, tam bonis quàm malis, vel etiam hominibus adhibentur. Sed ab hominibus tantò difficiliùs, quātùm eis desunt sensuum subtilitates.

DE ANGELORVM Incorporeitate.

DISTINCT. Octauæ

CAP. Primum.

De substantia Angelorum varia opinio fuit.

f. 90 a.

QVidam dicunt, innitentes verbis Aug. omnes Angelos ante confirmationē vel lapsum corpora aerea habuisse de priori ac superiori aeris parte ~~formata, ad agendum, non autem patiēdum habilia~~: ad patiendum enim humor & humus, ad agendum aer & ignis aptitudinem præbent: ita vt Angelis bonis qui perstiterunt, talia sunt obseruata corpora, vt in ipsis

possint facere & pati: tantæque sunt tenuitatis, vt à mortalibus videri non valeant, nisi grossiori superuestita aliqua forma. Angelis verò malis mutata sunt in casu corpora in deteriorem qualitatem tantò spissioris aeris, quantò in locum inferiorem, id est caliginosum aerem deiecti sunt. Alij dicunt plurimos catholicos tractatores in hoc conuenisse, quòd Angeli in corporei sunt, nec corpora habent sibi vnita: assumunt autem alij corpora, Deo præparante, ad impletionem ministerij sui sibi à deo iuncti: & sic aliquando apparuerunt ac loquuti sunt, aut ex persona Dei, sine distinctione personarum: aliquando ex persona Patris, vel Filij, vel Spiritus sancti. sic & Deum apparuisse nullatenus dubitandum, vt Aug. ostendit libro secundo de Trinit. Cap.7

Deꝰ in corporalibꝰ formis, sicut angeli apparuit.

Quæstio.

Aug. lib. 2. de Tri. perplexam quęstionem proponit, vtrũ Angeli qui mittebãtur, seruatis suis propriis spiritualibus corporibus, superuestirẽtur aliqua corpulentiori specie ad hoc opꝰ denouo creata, in qua possent videri: an ipsum corpus mutarẽt & trãsformarẽt in quãcũq; verã vellẽt speciẽ: (sicut aqua vera in verũ vinum cõuersa est à Domino) ad id quod volũt accõmodandã, in qua possent cerni. Quam quæstionẽ, attende lector, non soluit, sed indiscussam reliquit. Ex cuiꝰ ver- Cap.7 q.1. et lib.3. tri.q.3 Cap.1.

bis Angelos corporeos esse videtur affirmã dũ, propriaq; ac spiritualia habere corpora.

CAP. *Secundum. Deus in sua specie mortalibus nunquam apparuit.*

CAEterùm hæc velut nimis profunda atque obscura relinquentes, illud indubitanter teneamus, quòd Deus in specie essentiæ suæ nunquã mortalib⁹ apparuit: sicut famulo suo Mosi dixit, Nõ videbit me homo, & viuet. & in Euang. Iohan. Nemo Deum vidit vnquã. ~~Visibile enim quicquam~~ non est, ~~quod non sit mutabile~~. ideo substantia Dei cùm nullo modo sit mutabilis, nullo modo per seipsam est visibilis, &c. Proinde illa omnia quæ patribus visa sunt, cùm Deus illis præsentaretur, per creaturam facta esse manifestum est.

exo.33 *Ioh.1.* *Aug. li.1. de tr.c.10 in fine.*

CAP. *Tertium. Dæmones non illabuntur substantialiter mentibus hominum.*

CVm Dæmones in homines introeant, ac ab eis expulsi exeant, vt Euã. apertè declarat, illud consideratione dignissimum videtur, an substantialiter intrent corpora, ac eorum mentibus illabantur: an ideo intrare dicantur, quia malitiæ suæ ibi effectum exercent, Dei permissione opprimendo atque vexando eas, vel in peccatum pro voluntate sua trahendo. De hoc Aug. in lib. de Eccles. Dogmatib⁹ ait: Dæmones ~~per e~~nergiam non operationẽ credimus substan-

Mat.8 *Mar.1* *Ca.82*

tialiter illabi animæ, sed applicatione & oppressione vniri: Illabi autem menti, illi soli possibile est, qui creauit, qui natura subsistēs incorporeus, captabilis est suæ facturę. Beda quoq; in locū Actuū 5. Cur impleuit sathanas cor tuum? dicit quòd sathanas impleuit cor Ananiæ, non intrando, sed malitiæ suæ virus inserendo. His authoritatibus constat quòd dæmones non substantialiter intrant corda hominū, sed propter malitiæ effectū, de quib⁹ pelli dicūtur, cū nocere nō sinūtur.

DE CONSEQVENTIBVS confirmationem Angelorū quantū ad ordinum distinctionem.

DISTINCT. Nonæ
CAP. Primum.

Nouem sunt ordines Angelorum, & ordinum tres Hierarchiæ.

SCriptura in pluribus locis nouē esse ordines Angelorum, in hísque ordinibus tria terna esse, & in singulis tres ordines vt trinitatis similitudo in eis insinuetur impressa, promulgat. Vnde Dio. tres Angelorū ordines esse tradit, ternos in singulis ponēs. sunt enim trēs superiores, Seraphin, Cherubin, Throni: Trēs medij, Dominationes, Principatus, & Potestates: Trēs inferiores, Virtutes, Archangeli, Angeli. *Lib. 1. Eccl. Hier. Ca. 6.*

Quid Ordo in genere & specie, definitur.

Ordo dicitur multitudo cælestium spi- Ordo
rituum, qui inter se in aliquo munere gratiæ similantur: sicut & in naturalium datorum munere conueniunt: vt Seraphin dicuntur qui præ aliis ardẽt charitate: Cherubin, qui aliis in scientia præeminent: Throni, qui (vt
Luc.15 ait Grego.) tanta diuinitatis gratia replen-
ho.34. tur, vt in eis sedeat Deus, & per eos iudicia decernat & informet: Dominationes, qui principatus & potestates transcendunt. Principatus, qui sibi subiectis quæ sunt agenda disponunt, eisque ad explenda diuina mysteria principantur: Potestates, qui hoc cæteris potentiùs in suo ordine acceperunt, vt virtutes aduersæ eis subiectæ eorum refrenentur potestate, ne homines tantùm tentare valeant, quantùm desiderant. Virtutes dicuntur illi, per quos signa & miracula frequenter fiunt: Archangeli, qui maiora nunciant: Angeli, qui minora.

CAP. *Secundum. Excellentia Ordinum sumitur ab excellentia donorum.*

OMnia illa gratiarum dona in omnib⁹ sunt (vt ait Greg.) nõ tamẽ ęqualiter: quia alij aliis sublimiùs posidẽt, & ex præcipuis & excellẽtioribus donis tributa sunt eis nomina: vt Seraphin, qui est oĩm suprem⁹ ordinũ: quãuis dilectionẽ & cognitio-

nẽ diuinitatis cæteris sublimiùs percipiat, à charitate tamẽ, excellentiori dono quàm sit scientia, nomen accepit. Item cùm scire maius sit quàm iudicare (scientia enim informat iudicium) secundus ordo à secundo dono, id est cognitione veritatis, Cherubin appellatus est. sic & de aliis intelligendum est. Ex quo colligitur, quòd excellentia ordinũ sumitur ab excellentia donorũ. Cùm autem dictũ est q̃ quisq; ordo ab illo dono nominatur quod plenius possidet, intelligendum est comparatiuè ad inferiores, non autem ad superiores ordines. Seraphin enim sicut præeminet Cherubin in charitate, ita & in cognitione: quia tantùm cognoscit ibi quisque, quantùm diligit. Vel potest comparatio referri nõ ad ipsos ordines, sed ad alia dona: nec ad omnia alia dona, sed ad quędã.

CAP. *Tertium. Ab initio creationis iis ordinibus non fuerunt distincti Angeli, quanuis inter eos natura fuerit prælatio.*

QVòd per ordines Angeli fuerint distincti ab initio suę creationis videtur testimoniis Scripturæ insinuari, quæ tradit de singulis ordinibus aliquos cecidisse. De ordine nanque superiori Lucifer ille fuit, quo nullus dignior conditus fuit. Apostolus etiam principatus & potestates *ezech. 38.c. eph. 6.*

tenebrarum nominat, ostendens de ordinibus illis aliquos cecidisse. Sed non videtur illud posse stare. Non enim tunc charitate ardebant, nec sapientia pollebant, ~~neque in eis Deus sedebat:~~ si enim hoc habuissent, nō cecidissent. Non ergo tunc erant Cherubin, aut Seraphin, vel Throni. f. 72. A

Ad quod dicimus, quia ante casum quorūdam non erant isti ordines: quia nondum habebant dona, in quorum participationibus conueniunt. Sed quibusdam cadētibus, aliis apposita sunt, quæ eis qui ceciderunt collata fuissent eadem dona, si perstitissent. ideoque Scriptura dicit de singulis ordinibus aliquos cecidisse: non quia fuissent in ordinibus, & postea corruerint: sed quia, si perstitissent, eorum aliqui fuissent in singulis ordinibus, qui & in naturæ tenuitate, & in formæ perspicacitate differentes gradus habebant: sicut illi qui perstiterunt. Et sic alij superiores (qui natura magis subtiles, & sapientia magis perspicaces) alij inferiores (qui minus hæc habebant) conditi sunt.

Natura aliqui sunt angeli superiores aliis.

CAP. *Quartum. Non omnes angeli eiusdem ordinis sunt æquales.*

ANgelos eiusdem ordinis æquales esse nec est probabile, neque assertione dignum. Quia Lucifer, qui fuit ex collegio superiorum, ipsis etiam dignior extitit,

qui aliis excellentior creatus fuerant. Ex quo percipitur, quòd si perstitisset, in ordine superiori fuisset, & aliis eiusdem ordinis dignior extitisset. Sicut enim in ordine Apostolorum aut Martyrum alij aliis sunt digniores: ita & in ordinibus Angelorum rectè esse creditur.

CAP. *Quintum. Non esse decimum ordinem de hominibus statuendum.*

GRego. ait homines assumendos in ordines Angelorum, quorum alij assumuntur in ordines superiorum, qui scil. magis ardent charitate: alij in ordines inferiorum, qui scil. sunt minus perfecti. Ex quo apparet non esse de hominibus formandum decimũ ordinẽ: sed homines pro qualitate meritorum statuendos in ordinibus Angelorũ. Quòd ergo legitur decimus ordo complendus de hominibus, ex tali sensu dictũ fuisse accipi potest, quia de hominibus restaurabitur quod in Angelis lapsum est: de quibus tot corruerunt, vt possit fieri decimus ordo. Ideo Apostolus dicit restaurari omnia in Christo, quæ in cælis, & quæ etiam in terris sunt. *ho. 24 in 25. c. Luc.* *Eph. 1.*

CAP. *Sextum. Homines assumuntur iuxta numerum stantium, non lapsorum.*

6.34. GRegor. Superna illa ciuitas ex Angelis & hominibus constat, ad quam credimus tantos humani generis ascendentes, quantos illic contingit Angelos remãsisse, iuxta illud Deut. 32. Statuit terminos populorum iuxta numerum Angelorũ Dei. homines autẽ reparari iuxta numerũ eorum qui ceciderunt Angelorum, videtur sentire Aug. in Enchirid. ita dicens: Superna Hierusalem, mater nostra, ciuitas Dei, nulla ciuiũ suorũ numerositate fraudabitur, aut vberiore etiam copia fortasse regnabit. Vbi apertè dicit nõ minus de hominibus saluari, quàm corruit de Angelis: sed plus non asserit.

Secundũ. 70.

cap. 23

f. 103. b. l. 3. et 123ª 1 tom. 25

DE MISSIONE ANgelorum.

DISTINCT. 10. CAP. Primum.

Angeli inferiores mittuntur.

DAn. 7. Milia milium ministrabant ei, & decies centena assistebãt ei. Item Dio. in Hierarchia, quæ sacer principatus dicitur, de prælatione spirituum ait: Superiora illa agmina ab intimis nunquam recedũt, quoniam ea quæ præeminẽt, vsum exterioris officij nunquam habent, id est rarissimè ad exteriora prodeunt.

CAP. *Secundum. Superiores quandoque mittuntur.*

ESaias ait, Volauit ad me vnus de Seraphin. qui ordo superior est & excellentior. Quòd si de ordine illo mittuntur, non est ambigendum, quin etiam de aliis mittantur. vnde Apostolus ait, Omnes sunt administratorij spiritus. Nec debet indignũ videri, si etiam superiores mittantur, cùm & ille qui creator est omnium, ad hæc inferiora descenderit. Et sic omnes quidem mittuntur: sed alij sæpius, & quasi ex officio iuncto, qui proprie Angeli & Archangeli nominantur: alij verò rariùs, scil. maiores. cap. 6. Heb. 1.

Quãuis dicant quidam omnes administratores spiritus, scil. eos qui sunt inferiorum ordinum. & ad Esaiam dicunt, quòd ij spiritus qui mittuntur, percipiunt horum vocabulum, quorum gerunt officium. vnde dicunt Angelum illum missum ad Esaiam, vt mundaret & incenderet labia Prophetæ, fuisse de ordine inferiorum. Sed ideo dictus est esse de Seraphin, quia veniebat incẽdere & consumere delicta Esaiæ. Et sic secundum hos hæc nomina, Michael, Gabriel, Raphael, non vnius sunt singulariter, sed communia pluribus, secundum qualitatem eorum, ad quæ nuncianda vel gerenda mittuntur. sicut & dæmonum nomina communia sunt, vt Diabolus, Sathan, Belial, Leuiathan. Alij autem dicunt illa nomina Angelorum & dæmonum quædam singulariter dici.

DE CVSTODIA ANgelorum.

DISTINCT. Vndecimæ

CAP. Vnicum.

Vnaquæque anima custodem vnum angelum habet.

mat.18 VEritas in Euangelio à pusillorum scandalo prohibens, ait: Angeli eorũ semper vident faciem patris. Angelos dicit eorum, quibus ad custodiam deputati sunt.

To.9. Super quem locum Hieron. dicit: Magna dignitas animarum est, vt vnaquæque habeat ab ortu natiuitatis in custodiã sui Angelum delegatum. Gregorius quoque dicit, quòd quisque bonum Angelum sibi ad custodiam deputatum, & vnum ad exercitium habet. Bonus Angelus datur, vt hortetur ad

Tho.5. bonum: sicut legitur de Angelo Thobiæ, &

6.& 8 Angelo Petri in Actib. Apost. Malus, vt de-

act.12. hortetur à bono.

f. 92.b.

CAP. *Secundum. Vnus idem Angelus, bonus vel malus, pluribus hominibus deputatur ad custodiam vel exercitium, pluribus temporibus, vel eodem tempore.*

OPortet dici vnum eundem Angelum, bonum vel malũ, pluribus hominibus

deputari ad cuſtodiam vel exercitium, ſiue eodem tempore, ſiue diuerſis temporibus. Cùm enim tot ſint electi, quot ſunt Angeli boni: & Angeli boni ſint plures, quàm mali, & plures ſint homines mali quàm boni: nõ eſt ambiguũ plures eſſe homines bonos, q̃ ſint mali Angeli: & plures eſſe homines malos, quàm ſint boni vel mali Angeli. Igitur quilibet malus homo nõ poteſt ſingulariter habere vnum Angelum bonũ: nec ſinguli homines, tam boni quàm mali, ſingulares Angelos bonos ad ſui cuſtodiam, vel malos ad exercitium ſpecialiter deputatos: ſed vnus bonus Angelus cuſtodit plures, & vnus malus exercitat plures. Nec eſt mirandum vnum Angelum pluribus hominibus ad cuſtodiam deputari, cùm vni homini plurium cuſtodia deputetur: ita vt eorum quiſque ſuum dicatur habere dominũ, vel Epiſcopum, vel Abbatem.

Secundum ſucceſſionẽ tẽporis vni angelo plures homines deputari.

Secundum idem tempus vni angelo plures homines in cuſtodiam deputari.

CAP. *Tertium.* *Probabilius eſt Angelos in ſcientia & aliis proficere.*

Opinio.

QVibuſdam viſum eſt Angelorum merita augeri, eò quòd hominum profectibus ſtudent: & præmia, quia eorum augetur dilectio & cognitio. Alij autem dicunt Angelos in confirmatione, tan-

ta summæ deitatis dilectione atque notione fuisse præditos, vt in eis vlteriùs non profecerint, nec profecturi sint. Profecerunt tamen in scientia rerum exteriorum: sicut in cognitione sacramenti Incarnationis, & huiusmodi: sed non in contemplatione deitatis, quia Trinitatem in vnitate, atque vnitatem in Trinitate non pleniùs intelligunt. ita & in charitate dicuntur non profeciſſe post confirmationem: quia eorum charitas postea non est aucta. & sic dicunt eos non profeciſſe in meritis: sed hoc quantùm ad vim merendi, non quantùm ad numerum meritorum: quia plura bona fecerunt postea, quæ tunc non fecerant.

cap. 63 Quòd enim proficiant in cognitione, ac per hoc in beatitudine, testimoniis Sanctorum confirmatur. Dicit enim Esaias ex persona angelorum Christi ascendentis magnificentiam admirantium, Quis est iste qui venit de Edon, tinctis vestibus de Bosra? & in psal. Quis est iste Rex gloriæ? Quibus constat Angelos pleniùs cognouisse mysterium Verbi incarnati post impletionem, quàm ante. Idémque docet Apostolo. Eph. 3. dicens: Quæ sit dispensatio sacramenti absconditi à seculis in Deo: vt innotescat multiformis sapientia Dei per ecclesiam, principibus & potestatibus in cælestibus. In quem locum dicit Hierony. Ange- To. 9.

licas dignitates prefatum mysterium ad purum non intellexisse, donec completa est passio Christi, & Apostolorum prædicatio per gentes dilatata. Quãuis in eundem locum contradicere videatur Augustin. dicens: Non latuit Angelos mysterium regni cælorum: sed illis à seculis innotuit: quia omnis creatura non ante seculum, sed à seculis est. ideo ad conciliationem illorũ illustrium doctorum, dicendum, Haymonem sequendo, vt illis Angelis, qui maioris dignitatis sunt, & per quorũ ministerium illa nunciata sunt, ex parte cognita à seculis fuisse, vtpote familiaribus & nunciis: Illis verò qui minoris dignitatis sunt, incognita extitisse dicamus, vsquequo impleta sunt, & per ecclesiam prædicata: & tunc ab omnibus Angelis fuerunt perfectè cognita. Constat itaque omnes Angelos in cognitione ac scientia diuinorum mysteriorum secundum processum temporis profeciſſe. Vnde non incongruenter ipsi ijdem dicunt Angelorum scientiam ac beatitudinem augeri vsque ad futuram cõsummationem, quando in scientia ac beatitudine ita perfectissimi erunt, vt nec augeatur ampliùs vel minuatur. Quòd si proferatur aduersum hæc quod ait Isido. lib. de sum. bon. Angeli in verbo omnia sciunt antequàm fiant. Et Grego. lib. Dialogorum ait: Quid est quòd ibi nesciunt, vbi scientem

Obiectio.

Dilutio.

Angeli omnes ab initio non æquè mysteria nouerunt.

Super gene. lib. 5. cap. 19

Alia obiectio.

Dilutio.

lib. 1. cap. 10

ca. 33.

omnia sciũt? sed dicitur quòd Isido. nec oẽs, nec oĩa perfectè Angelos scire dixit: & ideo eos in scientia proficere nõ remouit. & verbum Grego. accipiendum est de his, quorum cognitio beatum facit cognitorem: vt sunt ea quæ ad mysterium Trinitatis & vnitatis pertinent.

DE CORPORALIS creaturæ conditione, & primò quantùm ad materiale principium.

DISTINCT. Duodecimæ CAP. Primum.

Materia informis præcessit tempore distinctionem rerum.

Sug. lib. 1. cap. 15. QVamuis quidam tradiderint (vt & sensisse videtur Aug.) omnia simul in materia & forma creata fuisse: sunt alij tamen (vt Greg. Hiero. & Beda) quorum sententia scripturæ Geneseos magis congruere videtur, qui asserunt materiam primam rudem atque informem, quatuor elementorum commixtionem complectẽtem, primò creatam: deinde ex illa materia per interualla sex dierum rerum corporaliũ genera fuisse formata secundum species proprias. sicut ostendit scriptura Geneseos, quę dicit in principio Cap. 1. deum creasse cælum. i. Angelos: & terram,

ſcil. materiam quatuor elementorum adhuc cõfuſam & informẽ, quæ à Græcis dicta eſt chaos. & hæc fuit ante omnẽ diem. & ea informis & cõfuſa materia ideo nomine terræ nũcupata eſt (vt ait Aug. cõtra Manichæos) quia terra inter oĩa elemẽta minº eſt ſpecioſa: & eãdẽ abyſſum vocat dicẽs: Et tenebræ erãt ſuꝑ faciẽ abyſsi: quia cõfuſa erat & cõmixta, ſpecie diſtincta carẽs: eãdẽ rurſus appellat aquã, ſuper quã ferebatur ſpiritus domini, ſicut ſuperfertur fabricãdis rebus volũtas artificis: ideo quia oĩa quę in terra naſcũtur, ſiue animalia, ſiue plãtę, ab humore incipiũt formari atq; nutriri. His omnibº vocabulis vocata eſt illa informis materia, vt res ignota nobis vocabulis inſinuaretur imperitioribus. & tũc erãt tenebræ. i. lucis abſentia. nõ enim tenebræ aliquid ſunt, ſicut nec ſilẽtium, aut nuditas. Cùm autẽ inter creaturas benedicentes domino ponuntur tenebræ Dan. 3. Benedicite lux & tenebræ domino, non illic accipiũtur, vt ab Aug. ſed pro aere obſcurato. Nec ideo dicta eſt materia informis quòd nullam omnino formam habuerit (quia nõ aliquid tale corporeũ exiſtere poteſt) ſed quia in confuſione & permixtione quadã ſubſiſtẽs, nõdum pulchram apertámque receperat formam, qualem modo cernimus. Facta eſt ergo illa materia in forma confuſionis, ante formam diſpoſitionis. In

cap. 7. li. 1. de gene. cont. manic.

Materia informis multipliciter.

forma confusionis priùs omnia corporalia materialiter simul & semel sunt creata, postmodùm in forma dispositionis sex diebus sunt ordinata.

CAP. *Secundum. Materia illa informis ad esse ibi prodiit, vbi nunc formata subsistit.*

DIcimus quòd illa prima rerum omniũ moles quando creata est, ibdẽ ad esse videtur prodiisse, vbi nunc formata subsistit: erátque terrenũ hoc elementum in vno loco eodémque modo subsistẽs: cæteris tribus in vna cõfusione permixtis, eisdémq; circũquaq; in modũ cuiusdã nebulę oppressis, ita obuolutum erat, vt apparere nõ posset quod fuit. Illa verò tria in vna permixtione cõfusa circunquaq; suspensa, eousque in altũ porrigebantur, quousq; nunc summitas corporeæ naturæ pertingit, quæ vt vltra locum firmamenti extensa in inferiori parte spissior atque grossior, in superiori verò rarior, leuior, atque subtilior in principio facies mundi erat.

CAP. *Tertium. Successione dierum distinctio rerum facta est.*

gen. 2. SEx diebus (sicut docet Genesis) distinxit Deus & in formas redegit proprias, cuncta quæ simul materialiter fecerat:

perfecitque opus suum die sexto, nihilque postea fecit. quod in aliquo illorũ non contineatur. Operatus est tamen postea, sicut veritas in Euangelio ait, Pater meus operatur vsq; nunc, & ego operor illud. Operatur autem Deus (vt explicat Alcuinus super Genesin) quadruplicit r. Primò, in verbo omnia disponẽdo: secũdò, in materia informi quatuor elemẽtorũ, de nihilo eam creãdo. vnde, Qui viuit in æternum, creauit omnia simul: Omnia, scil. elementa vel omnia corpora, materialiter simul creauit. Tertiò, per opera sex dierũ varias distinxit creaturas. Quartò, ex primordialibus seminibus non incognitæ oriuntur naturæ, sed natæ sæpius reformantur, ne pereant.

Pater operatur vsque nunc quadruplicater.

Eccle. 8.

DE DIERVM OPERVMque distinctione: & primò de opere primæ diei.

DISTINCT. 13. CAP. Primum.

Prima distinctio operationis fuit lucis formatio.

De productione rerũ corporaliũ quantũ ad principium formale.

IN doctẽdit scriptura Gen. quæ cõmemorata rerum informitate, earũ dispositionem à luce inchoauit, subdẽs: Dixit Deus, fiat lux: & facta est lux. & diuisit lucem à tenebris, appellauitq; lucem diẽ, & tenebras noctem. & factũ est vespere & mane dies vnus.

Congruè autem mũdi ornatus à luce cœpit, vt cætera quæ creanda erant, viderentur.

CAP. 2. *Lux illa rectè intelligi potest fuisse spiritualis vel corporalis.*

Lib. 1. in gen. ad lit. cap. 3. DIcit Aug. q̃ lux illa, corporalis vel spiritualis intelligi potest. Si spiritualis accipitur, angelica natura intelligitur, quæ priùs informis fuit, sed postea formata est, cùm ad creatorem conuersa ei charitate adhæsit. & ita diuisit lucem à tenebris, dum Angelica natura, quę priùs erat tenebrę per informitatem & imperfectionem formationis, perfectionẽ accipiens, facta est lux. vnde ait Aug. super Gen. Huius creaturæ informitas & imperfectio fuit antequàm formaretur in amore conditoris: formata verò est, quando conuersa est ad incommutabile lumen verbi. Si verò corporalis fuit lux illa (quod vtiq; probabile est) corpus lucidum fuisse intelligitur, velut lucida nubes: quod non de nihilo, sed de præiacenti materia formaliter factum est, vt lux esset, & vim lucẽdi haberet, cum qua dies prima exorta est: quia ante lucem nec dies fuit, nec lux, licet tempus fuerit.

Lib. 1. cap. 5.

Quæstio.

Si autem quæritur, Vbi est facta lux illa cùm abyssus omnem terræ altitudinem tegeret? Dici potest in illis partibus facta, quas *Responsio.*

nũc illustrat solis diurna lux. Nec mirum in aquis lucẽ posse lucere, cùm etiã nautarum operatione sępius illustrẽtur, qui in profundum mersi, misso ex ore oleo aquas sibi illustrãt: quæ multò rariores fuerũt in principio quàm nũc: quia nondũ cõgregatæ fuerãt in vno loco. Facta est ergo illa lux, quæ vicẽ & locũ solis tenebat, quę motu suo circũagitata, noctem diemq; discernebat. Ibi ergo primam lucem apparuisse verisimile est, vbi sol quotidiano cursu circumuectus apparet: vt eodẽ tramite lux circũcurrens, ac primò ad occasum descendens, vesperam faceret: Deinde reuocata ad ortum, auroram. i. mane illustraret: & ita diuisit Deus lucem & tenebras: & appellauit lucẽ diẽ, & tenebras noctẽ.

CAP. 3. *Dies primus mane non habuit.*

Dies quandoq; dicitur lux illa, quæ triduo illo tenebras illuminabat: quãdoque & ipsa aeris illuminatio. Dicitur etiã spacium 24. horarum. qualiter accipitur cùm dicitur, Factum est vespere & mane dies vnus. i. factũ est vespere priùs, & postea mane: mane enim dicitur finis prędecedẽtis & initiũ sequentis diei. Ideo mane primus dies nõ habuit, quia nec dies præcesserat, q sequẽtis initio terminaretur. Vnde Beda sup Gen. Decebat vt dies à luce inciperet, & in mane sequẽtis diei tẽderet: vt opera dei à luce incho asse, & in lucem cõpleta esse significarẽtur.

Aug. super gene. lib. 1. cap. 10.

CAP. 4. *Ordo dierum naturalis diuersus ab ordine dierum mystico & legali.*

HIc est naturalis ordo distinctionis dierum, vt distinguantur dies atq; cõputentur à mane vsque ad mane: postea verò in mysterio factũ est, vt dies cõputentur à vespera in vesperam: quia homo à luce per peccatũ corruit in tenebras ignorãtiæ & peccatorũ. Deinde per Christũ à tenebris ad lucem rediit. vnde Apostolus, Eramus aliquando tenebræ, nunc autẽ lux in domino. *Eph. 5.*

Quæstio Duplex.

Cur factus est sol, si lux illa sufficiebat? *Prima.* Dici potest, quoniam illa solùm fortè superiores partes illustrabat: ideo opus erat sole, qui inferiores illuminaret. vel ideo potius, quia facto sole, diei fulgor auctus est. Sed quid de luce illa factũ est? potest dici, q̃ aut de ea corpus solis formatũ est, aut in ea parte esse cæli, in qua sol est: non q̃ ipsa sit sol, sed sic est ei vnita, vt discerni non valeat.

Quis sensus illius, Dixit Deus. *Secunda.*

Aug. super Gen. tradit, nec tẽporaliter nec sono vocis Deũ loquutũ fuisse, quia si tẽporaliter, vel alio modo: igitur mutabiliter. Nec corporaliter sonuisse dicitur vox Dei: quia nec lingua erat, qua loqueretur: nec erat quem oporteret audire & intelligere. Bene ergo vox Dei ad naturam ipsius verbi, per quod omnia facta sunt, refertur, *lib. 1. cap. 9.*

in quo disposuit ab æterno quod fieret in tempore, & in eo factum est.

Quis sensus illius, Pater operatur in Filio, vel per Filium, vel in Spiritu sancto.

Hæc enim scriptura frequenter nobis proponit: vt, Omnia in sapientia feciſti, id est in Filio: &, in principio, id est Filio, creauit Deus cælũ. & illud, Per quem fecit & secula: & illud, Verbo domini cęli firmati sunt. exponẽs Aug. dicit: Pater operatur per Verbum suum & Spir. sanctum. Quæ sic intelligere oportet, non (vt quidam existimauerũt hæretici) Patrem, tãquam authorem & artificẽ, Filio & Spiritu sancto, quasi instrumẽto, vti: sed potiùs ꝙ Pater cũ Filio & Spiritu sancto operatur, & sine eis nihil facit. Sed dicit hęreticus: Hac ratione posset dixisse Filiũ operari per Patrẽ, vel in Patrẽ & Spiritũ S. cum vtroq; vel per vtrũq;. Cui breuiter respondetur, ideo illud dictũ esse & nõ istud, vt in Patre mõstraretur authoritas. Nõ enim Pater à filio, sed Filius à Patre operatur, & Spiritꝰ S. ab vtroq;. Vel etiã dici potest Pater per Filiũ operari, quia Filium genuit omnium opificem. Sicut dicitur Pater eum iudicare, quia genuit iudicem. & vterq; per Spiritũ S. quia ab vtroque procedit factor omnium, vt dicit Chryso. in expositione epistolæ ad Hebr.

Pſ.103 *gene.1.* *hebr.1.* *pſ.33.*

Obiectio.

ho.2 in 1.cap.

DE OPERIBVS SECVNDAE, tertiæ, & quartæ dierum.

DISTINCT. 14. CAP. Primum.

Secunda die ex aquis factum est firmamentum, id est cælum aqueum siue chrystallinũ: idque in medio aquarum.

Gen.1. DIxit quoque Deus, Fiat firmamentũ in me. aqua. & diuidat aquas ab aquis. s. aquas quæ erãt sub firmamẽto, ab iis quę erãt super firmamentũ. Beda enim dicit quòd iis verbis describitur cæli Syderei creatio, cui suppositæ sunt aquæ in aere, & in terra, & suppositæ alie, de quibus Psalm. Qui Ps.103 tegis aquis superiora eius. Quòd si quæras, quomodo aquæ natura fluidæ, & ad ima labiles. possunt super cælum consistere? De eo scriptũ esse memineris, Qui ligat aquas in nubibus cæli. Qui enim ligat aquas infra cælum ad tempus vaporibus nubium retentas, potest etiam supra cæli sphæram, non vaporali tenuitate, sed glaciali soliditate aquas suspendere ne labantur. Sunt tamen qui dicunt cælum illud Sydereum esse super aerem, idque purum ignem esse, qui dicitur esse Cælũ. De quo igne sydera & lumi naria facta esse coniectant. Quibus Aug, cõ sentire videtur. & aquas quæ super illud cælum sunt, dicit vaporaliter trahi, & leuissimis suspẽdi guttis. Si enim potest aqua (sicut videmus) ad tantas minutias peruenire,

De productione simpliciũ & insensibiliũ

Aquæ super firmamentum.

super gen. li. 2. ca. 3.

an cataclismus exactus videmus) ad tantas minutias peruenire, quis illis su

per cælũ cõ sistentibus factus sit, quæri potest.

vt feratur vaporaliter super aerem naturaliter leuiorem, cur non credamus etiam super illud leuius cælum minutioribus guttis & leuioribus emanare vaporibus? sed quoquo modo ibi sint, ibi esse non dubitamus.

Quæstio, cur cælum illud dicatur firmamentum.

Quæritur etiã stétne an moueatur cælum illud. Si mouetur (inquiunt) quomodo est firmamentum. Si stat, quomodo in ea fixa sydera circumeunt? Sed firmamentũ potest dici non propter stationem, sed propter firmitatem vel terminum aquarum intransgressibilem. Si autem stat, nihil impedit moueri & circumire sydera.

CAP. *Secundum. Tertia die congregatio aquarum facta est.*

DIxit Deus, Congregentur aquæ in locum vnum, & appareat arida. Tertiæ diei opus est congregatio aquarum in locum vnum. Congregatæ sunt enim omnes aquæ cælo inferiores, in vnam matricẽ: vt lux, quæ præterito biduo aquas clara luce lustrauerat, in puro aere clariore refulgeat: & appareat terra, quæ cooperta latebat, & quæ aquis limosa erat, fieret arida & germinibus apta. Congregatę sunt autem aquæ illæ, quæ totum texerant spatium vsque ad cælum, in locum illum: quia spissiores factas terra in concauas sui partes rece-

pit. Ex eaque prima congregatione, velut principio, multifidi aquarum sinus emanarunt, qui congregationes aquarum deinde nuncupati sunt.

CAP. *Tertium. Quartæ die facta sunt luminaria.* 4. d.

DIxit Deus, Fiant luminaria in firmamento cæli, & diuidant diem & noctem. Nam secunda die firmamentum desuper expansum est. 3. verò aquarum molibus intra receptacula sua collectis, terra est reuelata, atque aer serenus factus. Quarta autem die ornatum est firmamentum Sole & Luna & stellis.

CAP. 4. *Conuenienter. 4. die ornatur firmamentum luminaribus.*

QVia ergo cælū cæteris elementis speciem præstat, prius aliis factum est. ideo ante alia ornatur in quarto die quo fiunt sydera: quæ ideo facta sunt, vt per ea illustraretur inferior pars, ne esset habitantibus tenebrosa.

Quis sensus, Et sint in signa, & tempora, & dies, & annos.

Per tempora quæ fiunt per sydera, non spatia morarum (cùm prius triduum sine mora & tempore non fuerit:) sed vicissitudinem aereæ qualitatis debemus accipere: quia talia motibus fiunt syderum, quemadmodū dies & anni, quos vsitatè nouimus.

Aug. lib. 2. gen. ad lit. c. 14 to. 1.

Sunt enim in signa serenitatis & tẽpestatis, & in tẽpora: quia per ea distinguim⁹ quatuor tẽpora anni. s. ver, æstatem, autũnum, hyemem. Vel sunt in signa & tempora, id est distinctionem horarum: quia priusquàm fierent, ordo temporum nullis notabatur inditiis, vel meridiana hora, vel quęlibet hora.

DE OPERE QVINTAE Diei & sextæ.

DISTINCT. Decimæquintæ
CAP. Primum.

Quinta die Volatilia & Natatilia ex aquis producta sunt.

De productione rerũ mixtarũ et sensibiliũ.

DIxit etiam Deus, Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile super terram. &c. Iis duobus, auibus scilicet & piscibus, duo elementa ornantur: & de eadẽ materia, id est aquis, pisces & aues creauit, volatilia leuans in aera, & natatilia remittens gurgiti.

CAP. *Secundum. Sexta die creata sunt animalia & reptilia terræ.*

DIxit Deus, Producat terra animam viuentem, iumenta, & reptilia, & bestias terræ, secundum species suas, &c. Sextæ diei opus describitur, cùm terra suis animalibus ornari dicitur.

CAP. *Tertium. Animalia vniuersa creata sunt innoxia.*

VEnenosa ac pernicioſa animãtia nihil homini nocuiſſent, ſi nõ peccaſſet: ſed puniendorũ & terrendorum, vel probandæ aut perficiendæ virtutis cauſa nocere cœperunt.

CAP. *Quartum.. Minuta animalia tunc creata non fuere.*

POteſt autem dici, ꝙ quę de corporibus animaliũ maximè mortuorum, naſcuntur, cum animalibus creata nõ fuerunt, niſi potentialiter & naturaliter. Ea verò quę ex terra vel ex aquis naſcuntur, vel ex eis quæ terra germinante orta ſunt, tunc creata fuiſſe non incongruè dici poteſt.

CAP. *Quintum. Poſt omnia factus eſt Homo.*

OMnibus autem creatis atque diſpoſitis, nouiſsimè factus eſt Homo, tanquam dominus & poſſeſſor: qui & omnibus præferendus erat. Vnde ſequitur, Vidit Deus quòd eſſet bonũ, & ait: Faciamus hominem ad imaginem, &c.

Quis ſenſus, Requieuit Deus die ſeptimo ab omni opere.

Requieuiſſe dicitur Deus die ſeptimo: non quaſi operando laſſus, ſed ab vniuerſo

opere requieuit: quia nouam creaturam facere cessauit. Requiescere enim cessare dicitur. Vnde in Apoc. Non habebant requiē dicentia, Sanctus, Sanctus, Sāctus, id est dicere Ca.14
nō cessabat. Quod ergo dicitur, Pater meus vsque modo operatur illud, vniuersæ creaturæ continuā administrationem ostendit.

Quis sensus, Deus compleuit opus suum septimo die.

Sed quæritur quomodo septimo die dicatur Deus complesse opus suum, cùm ab omni opere illo die requieuerit, nec aliquod genus nouum rerum fecerit: nisi fortè dicatur die septimo compleuisse opus suum, quia ipsum benedixit & sanctificauit. Sicut subiicit scriptura, benedixit diei. 7. & sancti- Gen. 2
ficauit illū. Opus enim est benedictio & sanctificatio. Sicut Salomon aliquid operis fe- 3 re. 8.
cit, cùm templum dedicauit. Secundum autē aliam translationem, quæ habet, Cōsummauit Deus die sexto opera sua, quæstio nō exurgit: quia consummatio eo die perfecta est, iuxta illud, Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Secūdum naturam etiā ex bono & malo consistit vniuersitatis admirabilis pulchritudo: quia malum loco suo positum eminentiùs commendat bona. Illū autem diem sanctificasse & benedixisse dicitur, quia mystica præ cæteris benedictione & sanctificatione eum donauit.

DE HOMINIS CREATIONE quantùm ad principiũ effectiuum.

DISTINCT. Decimæsextæ

CAP. Primum.

In creatione hominis vna & æqualis substãtia & operatio ostẽditur trium personarum.

De productione creaturæ cõpositæ ex spirituali & corporali.

IN Gen. legitur, Faciam⁹ hominẽ ad imaginem & similitudinẽ nostrã. In eo quod dicit faciamus, vna operatio trium personarũ ostenditur: in eo verò quod dicit ad imaginem nostram, vna & æqualis substantia earundem monstratur. ex persona Patris hoc dicitur ad Filiũ, & Spiritũ sanctũ. non (vt quidã putant) Angelis, quia Dei & Angelorum non est eadẽ imago & similitudo.

aug. de gen. ad lib. 3. ca. 19.

CAP. 2. *Homo est imago, & factus ad imaginem & similitudinem Dei.*

TAmetsi quidam hoc in loco imaginem & similitudinem intellexerint increatam quæ Deus est (vt intellexisse videtur Beda) vel quæ Filius est (vt alij dicunt) qui propriè imago Patris dicitur, & Spiritus sanct⁹ similitudo. vnde adiectum est nostram, ad similitudinẽ tãtùm referentes: quia Spũs. S. est similitudo Patris & Filij. Ad imaginẽ verò subintelligendũ esse meã: cõgruẽtiùs tamen in ipso homine imago creata

& similitudo Dei quærēda est: ita vt imago pertineat ad formam, & similitudo ad naturam: quia immortalem & indissolubilem fecit eam Deus, vt dicit Augustin. in lib. de Quantita. animæ. imago autem Dei dicitur secundum alia. Et sic homo dicitur imago. quod quidam negauerunt, aduersantes Apostolo dicenti, Vir quidem est imago & gloria Dei. & ad imaginem, quia nō omnino æqualis fuerat illa imago, nec ab illo nata, sed ab eo creata. Ideo ita imago dicitur, quod & ad imaginem: quia non æquatur parilitate, sed accedit quadam similitudine, vt dicit Aug. Filius autem est imago, sed nō ad imaginem, cum enim sit natus, & nō creatus, æqualis est Patri. Porrò in corpore quādam proprietatem habet homo, quæ hanc similitudinem indicat, quia est erecta statura, secundum quam corpus animę rationali congruit: quia in cælum erectum est.

Cap. 2.

1. cor. 10.

Filius dicitur imago, sed non ad imaginem.

Aug. 7. de. tri. c 6 et li. 6. gen. c. 12. de gen. cō. manic. ca. 17. To. 1.

Homo dicitur similis Deo secundū corpus.

DE CREATIONE Animæ humanæ.

DISTINCT. Decimæseptimæ

CAP. Primum.

Deus De nihilo formauit animam hominis.

De productione hominis quātū ad principia cōstitutiua. scil. corpus & animam.

SIcut hominis formatio describitur secundum corpus, cùm dicitur, ~~Formauit Deus hominem de limo terræ.~~ ita eius-

dem secundum animam factura describitur, cùm subditur, Et inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ. Secundum aliam lit. flauit vel sufflauit, non faucibus: (Sicut nec manibus corporis Deum formasse hominem putandum est: Deus enim Spiritus est) sed volẽdo verbo suo iussit vt ita fieret, & inspirauit in faciem eius spiraculũ vitæ, id est ~~substãtiam animæ quæ viueret, creauit: non de materia~~ aliqua corporali vel spirituali, nempe substantia Dei (vt quidam per flatum intellexerunt) ~~sed de nihilo~~. Vnde illi animam esse partem Dei putarunt. Quod si ita esset, anima indeceptibilis, impeccabilis, impassibilis, immutabilis denique esset.

Aug. li. 7. de gen. ad lit. c. 2.

anima non est de substãtia Dei.

CAP. *Secundum. Animæ simul cum corpore creantur.*

QVãuis Ang. sup. Gen. tradat animã cũ angelis sine corpore fuisse creatam: deinde naturaliter, nõ coactè, ad corpus accessisse: Aliis dicentibus animam primi hominis in corpore fuisse creatam, dum inspirauit in faciẽ eius spiraculum vitæ: Quicquid tamen de anima primi hominis existimetur, de aliis certissimé sentiedum, ~~quòd in corpore creentur. Creãdo enim eas infundit Deus, & infundendo creat.~~ Dicendum est etiam animam illam non sic esse creatam, vt præscia esset operis futuri iusti vel iniusti.

Aug. li. 7. c. 25. & 27.

Anima nõ fuit præscia operis futuri.

CAP. *Tertium. Adam in perfecta ætate productus est.*

AVgustinus super Gene. dicit, quòd Adam in virili ætate continuò factus est, & hoc secundum superiores & non inferiores causas, id est, secundum voluntatem & potentiam Dei, quam naturæ generibus non alligauit. qualiter & ipsa virga Mosis conuersa est in draconem. Nec talia contra naturam fiunt: nisi nobis, quibus alter naturæ cursus innotuit. Deo autem natura est quod facit. Non ergo contra dispositionem suam fecit illud Deus. Et sic factus est Adam, non secundum inferiores causas (quia non erat in rerum causis seminalibus vt ita fieret) sed secundum superiores non contra naturam operantes, quia in rerum causis naturalibus erat vt ita posset fieri. *Lib. 6. de gen. ad lit. cap. 11. & 15. exo. 7.*

CAP. *Quartum. Homo extra Paradisum creatus, in paradisum translatus est.*

HOminem autem ita formatum tulit Deus (vt Scriptura docet) & posuit in paradiso voluptatis, quem plantauerat à principio. Quibus verbis apertè Moses insinuat, quòd homo extra paradisum creatus, postmodùm in paradiso sit positus. Quod ideo factum esse dicitur, vel quia non

erat in eo permansurus, vel vt non naturæ, sed gratiæ hoc assignaretur.

CAP. *Quintum. Paradisus, locus corporalis, typum gerebat Ecclesiæ.*

SVnt qui dicunt Paradisum aut locum corporalem tantùm, aut spiritualem tantùm, aut vtrunque: tertiam opinionem mihi placere fateor: vt homo in corporali paradiso sit positus, qui ab illo principio plantatus accipi potest. Qui etsi præsentis Ecclesiæ vel futuræ typum tenet, ad literam tamen intelligendum est esse locum fructuosis arboribus amœnissimum, magnum, & magno fonte fœcundum. Vnde volunt, secundum antiquam translationem, in orientali parte esse situm, loco interiacente spatio vel maris vel terræ, à regionibus quas incolunt homines secretum, & alto loco situm, vsque ad lunarem circulum pertingentē. vnde nec aquæ diluuij illuc peruenerūt.

aug. li. 8. de gen. ca. 1.

Quid lignum vitæ, quid lignum scientiæ boni & mali.

In hoc autem Paradiso erant ligna diuersi generis: inter quæ vnum erat vocatum Lignum Vitæ, quia diuinitus accepe-
Super rat hanc vim (vt dicunt Beda & Strabus)
glo. ge. vt qui ex eius fructu comederet, corpus eius stabili sanitate atq; perpetua soliditate

lignū vitæ virtute diuinitus acceperat.

firmaretur, nec vlla infirmitate vel ætatis imbecillitate in deterius vel occasum labe-
Lignũ scie- retur. Alterum verò lignum scientiæ boni
tiæ boni et & mali, non à natura, sed ab occasione rei
mali nõ na postea seqnutæ nomen accepit. quia post
tura nec prohibitionem erat in illa transgressio fu-
virtute di tura: qua homo experiendo disceret, quid *Aug.*
uina specia esset inter obedientiæ bonum, & inobe- *li.8.su*
li, sed ab dientiæ malum. Non ergo de fructu qui *per ge.*
euentu di- nasceretur inde, positum est illud nomen, *cap.13.*
ctum. sed de re transgressionem sequuta. Si verò
collige quã primi parentes obedientes fuissent, nec
tũ malũ in contra præceptum peccassent: non ideo ta-
obedientia men minus diceretur lignum scientiæ boni
sit, etiã si & mali, quia hoc ex eius actu accideret, si
fiat in his vsurparetur.
quæ de se
sunt licita.

DE PRODVCTIONE Mulieris.

DISTINCT. Decimæoctauæ

CAP. Primum.

Posterius homine formata est Eua ex homine tanquam principio.

IN eodem quoque paradiso ~~mulierem formauit Deus, de substantia viri:~~ sicut post plantatum paradisum subnectit scriptura, Immisit Deus soporem in Adam: cúmque obdormisset, tulit vnam de costis eius, &

formauit eam in mulierem. Sic autem voluit Deus hominem prius formare, vt homo esset humani generis principium: quatenus in hoc & superbia Diaboli confunderetur atque retunderetur, quoniam homo in munere accepit, quod Diabolus peruersè rapere voluit. Concupierat enim se esse aliud à Deo principium, sed obtinere nõ potuit. Et vt per hoc etiam hominis humilitas Dei similitudine sublimaretur. Nam sicut Deus omnibus rebus existit principiũ creationis: ita homo omnibus hominibus principium generationis. Ideoque etiam ex vno homine omnes esse voluit Deus, vt cùm cognoscerent se ab vno esse, omnes se quasi vnum amarent.

cur decuit hominẽ primum esse principiũ generis humani.

Cur de latere viri eiusdemque dormientis producta est.

Quia igitur viro nec domina nec ancilla parabatur, sed socia: nec de capite, nec de pedibus, sed de latere fuerat producenda: vt iuxta se ponendam cognosceret quam de suo latere sumptam didicisset. Atque eidem dormienti detracta est costa: vt & nullam in eo sensisse pœnam monstraretur, cùm nec eum à quiete soporis excitauit: & sacramentum Christi & Ecclesiæ figuraretur. quia sicut mulier de latere viri dormiẽtis formata est: ita Ecclesia ex sacramentis,

Aug. li. 9. de gen. ad lit. c. 15

quæ de latere Christi in Cruce dormientis profluxere, scil. sanguine & aqua, quibus redimimur à pœnis, & abluimur à culpis. *Ephe. 5*

CAP. *Secundum. De illa costa, sine additamẽto alterius materiæ, formata est.*

DE sola ipsius costæ substantia, sine omni extrinseco additamento, per diuinã potentiam in semetipsa multiplicata mulieris corpus factum dicendum est, eo sanè miraculo, quo postea de quinque panibus à Domino Iesu benedictione cælesti multiplicatis, quinque milia hominum satiata sunt. *Ioh. 6.* Cæterùm si Deus aliquid addidisset, minꝰ illud esset quàm ipsa costa, ideoque potiùs de illo addito, quàm de ipsa costa mulier facta deberet dici, de quo plures accepissent substantiæ partes. *Aug. li. 9. de gen. ad lit. c. 15* Illud etiam scire oportet, quòd cùm angelorum ministerio facta sit mulieris formatio, non est eis tamen tribuenda creationis potentia. Angeli enim nullam possunt creare naturam: ergo nec formare costam in mulierem, nec carnis supplementum in loco costæ. Non quòd nihil agãt vt aliquid creetur, sed nõ ideo creatores sunt, sicut nec agricolæ segetum vel arborũ. Solus Deus, id est Trini. est creator. *Aug. li. 9. de gen. c. 15.* Facta esset ergo fœmina à Deo, etiam si co-

Creatura creaturam non creat.

sta ministrata sit per Angelos.

CAP. *Tertium. In costa Adæ, ratio seminalis id non habebat, vt ex ea ita fieret mulier: sed tantùm, vt ita fieri posset.*

AD quod sciendum est omnium rerum causas inde ab æterno esse, quas primordiales dicimus: quia istas aliæ nõ præcedunt, sed istæ alias: quæ sunt causæ causarum. & sic dicit Aug. causas primordiales omnium rerum in Deo esse, quas pluraliter dicit propter diuersos effectus. Nam vnum sunt, diuina prouidentia, dispositio, siue voluntas. In creaturis autem quarundam rerũ sunt causæ, quibus (vt ait August.) inseruit Deus seminales rationes, secundũ quas alia ex aliis proueniunt. Et hę primordiales quoque causę dici possunt: quia in prima rerum conditione rebus insitæ sunt à Deo. Et sicut creaturæ mutabiles sunt, ita & eæ causæ mutari possunt. quæ autẽ in immutabili Deo causa est, non mutari potest. Vnde illa quæ fiunt secundum causas, quæ tantùm sunt in Deo, dicuntur fieri mirabiliter & præter naturam: cuiusmodi fuit (ait August.) mulieris factura de costa viri. Non habuit enim prima rerum conditio, vt fœmina sic fieret, sed vt fieri posset. Et illa quidem quæ secundum

Costa Adæ erat in potentia obedientiali et nõ naturali ad corpꝰ Euæ.

aug. li. 9. in gen. c. 18.

causam seminalem fiunt, dicuntur naturaliter fieri: quia ita cursus naturæ hominibus innotuit, supra quem creator habet apud se posse de omnibus facere aliud quàm naturalis ratio habeat: vt scil. virga arida repente floreat, & fructum gignat: & in iuuentute sterilis fœmina in senectute pariat, & huiusmodi. *Aug. vbi su. Ca. 18. nu. 17. Luc. 1.*

CAP. *Quartum. Deus animam Euæ condidit de nihilo, & non de anima Adæ.*

QVemadmodũ mulieris corpus de viri corpore traductum fuit, ita putauerunt aliqui ipsius animam de viri anima propagatam, & omnes animas præter primam ex traduce esse, sicut corpora. Alij autem putauerunt simul animas ab initio creatas. Catholica autem Ecclesia (vt dicit August.) animas hominum nec ab initio inter creaturas intellectuales (vt Origenes fingit) nec simul ex traduce factas esse, nec in corporibus per coitum seminari docet, vt Luciferiani & Cyrillus. Sed dicimus animam coagulato in vulua corpore, compacto ac formato, creari atque infundi. Hiero. etiam anathematis vinculo illos condemnat, qui animas ex traduce dicunt: inducens authoritatẽ Prophetæ, Qui finxit sigillatim corda eorum. *Aug. de eccl. dog. 1. ca. 14. to. 3. Ps. 32. To. 8.*

DE STATV HOMINIS in natura integra.

DISTINCT. decimænonæ CAP. Primum.

Corpus hominis ante peccatum, mortale & immortale fuit.

1.

PRimus homo in primo ſtatu habuit poſſe mori, & poſſe non mori. Differunt enim hæc. Nam corpus habebat animale, id eſt egens alimoniis ciborum. vnde & homo factus dicitur in animam viuentem, id eſt vitam corpori dantem per ſuſtentamenta ciborum. Et ſic habebat tunc corpus animale, mortale, & immortale: ſed non ſpirituale, in quod mutãdus erat Adam, niſi mortem corporis animalis peccando meruiſſet, vt dicit Auguſt. ſuper Gene. In ſecundo verò ſtatu poſt peccatum habuit poſſe mori, & non poſſe non mori: quia in hoc ſtatu eſt moriẽdi neceſsitas. vt dicit Auguſt. ſuper Gene. Tunc enim factum eſt corpus
1.co.15 mortuũ, ſicut dicit Apoſtolus, Corpus propter peccatum mortuum eſt, id eſt neceſsitatem moriendi in ſe habe. Non autem dixit corpus mortale eſt propter peccatum, ſed mortuum. ante peccatum enim mortale erat & immortale. vnde Beda ſuper Gen. Nõ eſt credendum ante peccatum ita fuiſſe mortua

De conſeruatione naturæ humanæ per nutrimenti ſumptionẽ.

2

corpora, ſicut modo: ait enim Apoſtolus, Corpus propter peccatum mortuum eſt. ſed licet fuiſſent animalia nondum ſpiritualia, non tamen mortua, quæ ſcil. neceſſe eſſet mori. In tertio ſtatu habebit poſſe non mori, & nō poſſe mori: quia ad illum ſtatum pertinet moriendi impoſsibilitas. quod ex gratia erit, non ex natura. vnde Aug. ſuper Gen. oſtēdit quàm differēter homo erat immortalis ante peccatū, & futurus immortalis per reſurrectionem. Alia eſt immortalitas carnis quam in Adam accepimus: alia, quam in reſurrectione ſperamus per Chriſtū. Ille factus eſt homo immortalis, vt non poſſet mori ſi non peccaret: moreretur autem ſi peccaret. Filij verò reſurrectionis non poterunt vltrà peccare nec mori. Caro noſtra non tūc egebit refectione ciborū: quia nulla poterit eſſe defectio. Caro Adæ ante peccatū ita immortalis creata eſt, vt per alimoniam adiuta, eſſet mortis & doloris expers. Sic patet quòd poſſe mori ante peccatum habebat homo in natura corporis: poſſe verò non mori erat ei ex ligno vitæ. i. dono gratiæ. Vnde Aug. ſuper Gen. Quodāmodo creatus eſt homo immortalis, quod erat ei de ligno vitæ, non de conditione naturæ. Mortalis erat de conditione corporis animalis, immortalis beneficio conditoris, &c.

lib. 3. cap. 2.

lib. 6. cap. 25

CAP. *Secundum. Si Adam non vsus fuisset ligno vitæ, mortuus fuisset.*

PRopter hoc aliqui dicunt, quòd nisi illo ligno vitæ vteretur, non semper viueret, quia peccaret, cùm præceptum erat ei vt comederet de omni ligno paradisi, nisi de ligno scientiæ boni & mali. Si ergo peccauit comedendo quod erat prohibitum, ita etiam peccaret si non comederet quod erat iussum.

Vnde aliqui dicunt, quod si non fuisset ei præceptum vesci illo ligno & aliis, & non illo vesceretur, viueret semper. Aliis autem videtur, quòd ex ligno vitæ erat ei posse non mori, non ex natura. ideo enim dicitur posse non mori, quia poterat vti illo ligno, de quo edens non moreretur.

DE STATV NATVRAE per Adam ante peccatum propagandæ.

DISTINCT. Vigesimæ

CAP. Primum.

Ante peccatum, sine concupiscentia commixtio carnalis fuisset.

De conseruatione naturæ humanæ per naturalem generationem in natura integra.

QVidam putarunt ad gignendos filios, primos homines in paradiso misceri nequaquàm potuisse, nisi post peccatum: dicentes concubitum sine

corruptione vel macula non posse fieri. Sed dicendum quòd si non peccassent primi homines, sine omni peccato & macula in paradiso, carnali copula conueniissent. vnde Augusſt. Cur non credamus primos homines ante peccatum genitalibus membris ad procreationem imperare potuisse, sicut cæteris in quolibet opere sine voluptatis pruritu vtimur? &c. Emissi quidem de paradiso, conuenerunt & genuerunt, sed potuerunt in paradiso eis esse nuptiæ honorabiles, & thorus immaculatus, sine ardore libidinis, sine labore pariendi.

Super gene. lib. 8. cap. 10.

lib. 13. cap. 3.

Quæstio, Cur in paradiso non coierunt?

Quia creata muliere mox transgressio facta est, & electi sunt de paradiso: vel quia nondum Deus iusserat vt coirent. & poterat diuina expectari authoritas, vbi concupiscentia non angebat. Deus verò iusserat: quia casum eorum præsciebat, de quibus homo propagandus erat.

Aug. cap. 4.

fol. 74. a.

CAP. *Secundum. Incertum ex scriptura an natis filiis mox parentes ad cælestem vitam, an simul cum filiis impleto numero transissent.*

DE termino verò temporis quo transferrentur parentes ad spiritualem cæleſtémque vitam, certum aliquid scri-

lib.9. cap.6. ptura non tradit. de quo Auguſt. ambiguè diſſerit ſuper Gen. ita inquiens : Potuerunt primi homines in paradiſo filios gignere: non vt morientibus patribus ſuccederent filij, ſed in aliquo ferme ſtatu manentibus, & de ligno ~~vitæ vigorem ſumentibus~~, & filij ad eundem perducerentur ſtatum, donec impleto numero ſine morte animalium corpora in aliam qualitatem tranſirent, in qua omnino regenti ſpiritui deſeruirent, & ſolo ſpiritu viuificantes ſine corporeis alimentis viuerent. Vel potuerunt parentes filiis cedere, vt per ſucceſsionem numerus impleretur, qui genitis filiis perfectáque humani officij iuſtitia, ad meliora transferrẽtur, non per mortem, ſed per aliquam mutationem.

fol. 114. a

CAP. *Tertium. Filij mox nati, corpore parui, & membrorum impotentes, & alimento indigentes fuiſſent.*

de bap. parvulorum. cap. 33. SVper hoc Auguſt. ambiguè loquitur, Mouet nos (ait) ſi primi homines non peccaſſent, vtrum tales filios eſſent habituri, qui nec lingua, nec manibus, nec pedibus vterentur. Nam propter vteri neceſſitatem fortè neceſſe erat paruulos naſci. ſed quamuis exigua pars corporis ſit coſta, non tamen propter hoc paruulam viro cõiugem fecit. Vnde & eius filios poterat omnipo-

tentia creatoris mox natos grandes facere? sed (vt hoc omittam) poterat rectè eis præstare, quod multis animalibus præstitit, quorum pulli quamuis sint paruuli, tamen mox vt nascuntur, & currunt, & matrem sequuntur. Contrà, homini nato nec ad incessum pedes idonei sunt, nec manus saltē ad scalpendum habiles, & iuxta se mammis positis nascētes, magis possunt esuriētes flere, quàm suggere, propriēque infirmitati mentis congruit hęc infirmitas carnis. sed cùm August. sub assertione de his nihil tradat, non irrationabiliter quibusdam placuit primorum parētum filios nascituros, paruos, ac deinde per interualla temporum, eadem lege qua & nunc, natiuitatem humanam cernimus, staturæ incremētum & membrorum vsum recepturos: vt in illis expectaretur ætas ad ambulandum & loquendum, sicut modo in nobis. quod vtique non esset vitio imputandum, sed conditioni naturæ. sicut à cibo penitus abstinere non valebant, nec tamen illud erat ex vitio, sed ex natura conditionis.

CAP. *Quartum. Erat illis cibis vtendum ad alimoniam corporis, aliàs peccassent.*

PVtant quidam eos cibis non indiguisse ante peccatū, quia non poterant esurire si non peccassent. Ad quod dici potest,

quòd fames verè defectus est, & pœna peccati. Est enim immoderatus appetitus edẽdi, cui non subiacuisset homo, si non peccasset: sed proculdubio peccaret, nisi hunc defectum cibo prẽueniret. Habebat enim naturalem appetitum & moderatum, cui ita satisfaciendum erat, ne defectum famis sentiret. Sicut ergo non ex vitio, sed ex naturæ conditione erat, quòd ante peccatum homo cibis indigebat: ita non ex vitio esset, sed de natura, si hominis conditio in principio suo, id est in primo parente, à perfecto inchoata, in subsequenti propagatione à modico ad maiora proficeret: vt scil. per interualla temporis staturæ corporeæ incrementa vsumq; membrorum susciperet.

CAP. *Quintum. Filij mox nati, vt corpore paruuli erant, ita sensu & intelligentia imperfecti.*

ILli qui sentiunt paruulos natos in statura corporis & vsu membrorum, per accessum temporis profecturos, non diffitentur eosdem in exordio natiuitatis sensu imperfectos existere, & per interuallum temporis in sensu & cognitione proficere, vsque ad perfectum. Ad quod quidam opponunt, ita proponentes: Si mox vt ipsi nati sunt, non haberent perfectionem sensus, quoque intelligentiæ ignorantia in

eis esset: Ignorantia autem peccati est pœna. Sed qui hoc dicunt, non satis diligenter considerãt, quia non omnis qui aliquid nescit, vel minus perfectè aliquid scit, statim in ignorantia esse dicendus est: quia ignorantia non dicitur, nisi cùm id quod sciri & non ignorari debet, nescitur. Talisque ignorantia pœna peccati est, cùm mens vitio obscuratur, ne cognoscere valeat ea quæ scire deberet.

Quid ignorantia.

CAP. *Sextum. Ad meliorem statum deinde transisset primus homo cum vniuersa posteritate.*

DE hoc autem statu transferendus erat cum vniuersa posteritate sua ad meliorem dignioremque statum, vbi cælesti & æterno bono in cælo sibi parato frueretur. Sicut enim ex duplici natura compactus est homo: ita illi duo bona conditor à principio præparauit. Vnum temporale, alterum æternum: Vnum visibile, alterum inuisibile: Vnum carni, alterum spiritui. Et quia primum est quod est animale, deinde quod est spirituale: temporale ac visibile bonum prius dedit, inuisibile autẽ & æternum promisit, & meritis quærendum proposuit. Ad illius autem custodiam quod dederat, & ad aliud promerendum quod promiserat, naturali ratione in creatione animæ homi- 1. Co. 15

nis inditæ, qua poterat inter bonum & malum discernere, præceptum addidit obedientiæ: per cuius obseruantiam datum non perderet, & promissum obtineret, vt per meritum veniret ad præmium.

DE LAPSV PRIMI Hominis.

DISTINCT. Vigesimæprimæ CAP. Primum.

Dæmon prius Euam tentauit solitariam.

VIdens igitur Diabolus hominem per obedientiæ humilitatem posse ascendere, vnde ipse per superbiam corruerat, inuidit ei. & quoniã prius per superbiam Diabolus fuerat, id est deorsum lapsus, & zelo inuidiæ factus est Sathan, id est aduersarius. Vnde & mulierem tentauit, in qua minus quàm in viro, rationem vigere nouit. Eius enim malitia ad tentandam virtutem timida, humanam naturam in ea parte vbi debilior videbatur, aggressa est: vt si fortè illic aliquatenus præualeret, postmodùm fiducialiùs ad alteram quæ robustior fuit, pulsandam, vel potius subuertendam, accederet. Primùm ergo solitariam fœminam explorauit, vt in ea primùm omnem suę tentationis vim experiretur.

CAP. *Secundum. Diabolus ad supplantandum hominem formam mutandam duxit, sed non eam quam voluit accepit.*

QVia illi per violentiam nocere nõ poterat, ad fraudem se cõuertit, vt dolo hominem supplãtaret, quẽ virtute superare nequiret. Ne autẽ fraus illius nimis manifestaretur, in sua specie nõ venit, ne apertè cognoscereturᵣ & ita repelleretur. Iterũm ne nimis occulta foret fraus eius. quam præcauere homo nõ posset, in aliena quidẽ forma venire permissus est Diabolus, sed in tali, in qua eius malitia facilè posset deprehẽdi. Vt ergo in propria forma nõ veniret, volũtate sua propria factũ est. vt autem in forma suæ malitiæ cõgruenti veniret, diuinitus factũ est. Venit ergo ad hominem in serpẽte, qui fortè, si permitteretur, in colũbæ specie venire maluisset. Sed nõ erat dignũ, vt spiritus malignᵘ illã formã homini odiosam faceret, in qua Spir. sanctus appariturus erat. Vnde Aug. super Gen. Nõ est putandũ, quòd Diabolus serpẽtem per quẽ tẽtaret elegerit: sed cùm decipere cuperet, nõ potuit, nisi per quod animal posse ꝑmissus est. Nocẽdi enim volũtas ineſt cuiq; à se, sed potestas à Deo.

Matth. 7.

lib. II. cap. 3.

fol 74.

CAP. *Tertium. Serpens non est factus rationalis astutiæ.*

lib.11. ca.27. & 29.

SIc aũt loq̃batur Diabol⁹ p̃ serpẽtẽ ignorãtẽ, sicut p̃ energũmenos vel phanaticos loqtur. serpẽte enĩ velut organo vsus est, nec verba intelligebat serpẽs, nec ratiõalis fa ct⁹ est. Callidissim⁹ tamẽ est dict⁹ ꝓpter astutiã Diaboli. Locut⁹ est aũt sicut asina Balaã: sed hoc Diabolicũ, illud Angelicũ fuit: Boni enim & mali Angeli similiter operãtur. Porrò mulier cũ serpentẽ nouerit creatũ esse, ipsum etiã officiũ loquẽdi à Deo accepisse putauit.

CAP. *Quartum. Astutiùs processit Diabolus, priùs quærendo quàm persuadendo.*

STans corã fœmina hostis superbus, non audet in verba p̃suasionis exire, metuẽs deprehẽdi: sed sub interrogatione eam aggreditur, vt ex respõsione colligeret qualiter in malitia procedere posset. Cur (inquit) p̃cepit vobis Deus vt nõ comederetis de omni ligno paradisi? cui respõdit mulier:

Gene. cap.3. De fructu lignorũ quæ sunt in paradiso vescimur: de fructu verò ligni, quod est in medio paradisi, p̃cepit nobis Deus ne comederemus, ne fortè moriamur. In quo verbo dedit locũ tẽtãti, cùm dixit, ~~ne fortè moriamur~~. Vnde mox diabol⁹ dixit ad eã, ~~Nequaq̃~~ moriemini. Hic ꝓgressus est humanę perditiõis. Primò De⁹ dixerat, Quacũq; die comederitis, morte moriemini. Deinde mulier dixit, ne fortè moriamur. Nouissimè serpens dixit, Nequaquã moriemini. De⁹ affirmauit,

mulier quasi ambigẽdo illud dixit, Diabolus negat. quę ergo dubitauit, ab affirmante recessit, & negãti appropinquauit. Qui ad suã persuasionem pleniter suffulciendam, & malum quod mulier timuit, negando remouit, & promissionem addidit, in qua duo propo suit: Similitudinem scil. Dei, & scientiam boni & mali.

CAP. *Quintum. Tribus modis tentauit hominem Sathan.*

GVla (quę est immoderata cibi auiditas) tentauit in persuasione cibi, dum dixit, In quacunque die comederitis: Inani gloria (quæ est amor propriæ excellentiæ) in promissione deitatis, cùm dixit, Eritis sicut dij. Auaritia (quæ est immoderata habendi cupiditas) in promissione scientiæ, cùm dixit, Scientes bonum & malum.

CAP. *Sextum. Homo qui sola exteriore tentatione pulsatus cecidit, tantò grauiùs plectendus erat, quantò leuiori impulsu fuerat prostratus.*

POrrò sciendum est duas species tẽtationis: exteriorem. s. quando nobis extrinsecus malũ visibiliter suggeritur verbo vel signo aliquo: & interiorẽ, quãdo inuisibiliter malũ nobis intrinsecus suggeritur, quæ aliquando à Sathana, aliquando à carne fit.

Quæ autem à carne (cùm sit motus illicitus ex corruptione carnis subortus) non fit sine peccato. Quę verò ab hoste, nisi cõsentiatur, peccatũ nõ est, sed materia virtutis exercẽdę. Tentatio autẽ carnis interior difficiliùs vincitur, quia interiùs oppugnãs de nostro contra nos roboratur. Vnde colligitur, ꝙ homo grauiùs plectendus est, qui sola exteriore tentatione pulsatus cecidit, &c.

CAP. *Septimum. Decuit hominem lapsum reparari ac redimi, non autem Diabolum.*

ET tamen quia aliquã, licet modicã, cadendi occasionem habuit: idcirco per gratiã iuuari potuit ad veniam. vt qui per alium ceciderat, per aliũ erigeretur. Qui ergo incitatorem habuit ad malum, non iniustè reparatorem habuit ad bonum. Diabolus, quia sine alicuius tẽtatione peccauit, per aliũ vt surgeret iuuari non debuit, nec per se potuit: & ideo irremediabile eius peccatum extitit. Peccatũ verò hominis sicut per aliũ habuit initium, ita per aliũ non incõgruè habuit remedium. Præterea Angelica natura, quoniã nõ tota perierat, sed ex parte perstiterat, nõ est redẽpta: humana verò tota perierat. & ideo ne penitus perderetur, ex parte est redempta. vt inde ruina suppleretur Angelica, vt dicit Aug. in Enchiridio, &c.

Diaboli peccatum irremediabile duplici ratiõe.

CAP. Octauum. *Præceptum de non edendo ligno scientiæ vtrique parenti factum est.*

IPsa mulier testatur sibi etiã esse mãdatũ, dicẽs: Præcepit nobis Deus &c. Cùm autem suprà legitur, ante productam mulierem Deũ dixisse viro, De ligno sciẽtiæ boni & mali ne comedas: id fortè sic præcepit, vt per virũ ad mulierem p erueniret mãdatum: quia mulier, quæ subiecta viro fuit, non nisi mediante viro diuinũ debuit accipere præceptum. Vnde si quid discere mulieres voluerint, domi viros suos interrogent. Sed quæritur, Quomodo vir potuit mulieri loqui, & mulier loquentem virum intelligere, qui non didicerãt inter loquẽtes crescendo, vel magisterio? Dicimus, quia Deus eos tales fecerat, qui possent loqui, & discere ab aliis si essent. *Aug. super gen. 8. cap. 16 gen. 2.*

DE GENERE PECCATI primi, quo homo tentatus lapsus est.

DISTINCT. 22. CAP. Primum.

Elatio fuit radix & origo transgrediendi præceptum in vtroque parente.

QVidam putant quandam elationem in animo hominis præcessisse, ex qua Diaboli suggestioni cõsensit. Quod videtur Aug. innuere, dicẽs: Nõ est putãdũ q̃ homo *in gen. ad lit. lib. 11. cap. 30*

deiiceretur, nisi præcessisset in eo quædam elatio comprimēda, vt per humilitatem peccati sciret quàm falsò de se præsumpserit. fol. 142. b. l. 9. — 131. b. l. 4

Quòd si obiicias, non ergo alterius suggestione priùs peccauit, cùm authoritas tradat ideo peccatum Diaboli incurabile esse, quia non suggestione, sed propria superbia cecidit: Hominis verò curabile, quia non per se, sed per alium cecidit, & ideo per alium resurgere potuit. Quocirca prædicta verba Augustini pium ac diligentem lectorem efflagitant: quæ sic intelligere sanè quimus: Non deiiceretur homo in actum illius peccati, vt scil. lignum vetitum ederet, & in has miserias per tentationem Diaboli, nisi elatio comprimenda præcessisset, non vtique tentationem, sed opus peccati. Talis enim fuit ordinis processus: Diabolus tentando dixit, Si comederitis, eritis sicut dij, scientes bonum & malum. quo audito statim menti mulieris surrepsit elatio quædam & amor propriæ potestatis: ex quo placuit ei facere quod Diabolus suadebat, & vtique fecit. Suggestione igitur peccauit, quia tentatio præcessit, ex qua in mente eius orta est elatio, quam peccatum operis sequutum est & pœna peccati.

CAP. *Secundum. In viro & muliere diuersa fuit elatio.*

ET talis quidē elatio in mente mulieris fuit pro certo, qua credidit & voluit habere similitudinem Dei cum æqualitate quadam, putās esse verum quod Diabolus dicebat. Et ideo mulierem specialiter commemorat Augustin. inquiens: Quomodo crederet mulier Diabolo, nisi esset in mente eius de se superba præsumptio? Nec tamen talis elatio & amor propriæ potestatis in viro fuit, sicut in muliere. Non enim putauit esse verum vir quod Diabolus suggerebat. In eo tamen fuisse seductum credi potest, quòd cōmissum veniale putauerit, quod peremptorium erat. Sed nec prior seductus fuit: nec in eo in quo mulier vt crederet Deum illud lignum ideo tangere prohibuisse, quoniā si tangerent, fierent sicut Dij. Verūtamen præuaricator fuit, vt Apostolus testatur. Poterat enim aliqua elatio menti eius inesse illicò post tētationem, ex qua voluit lignū vetitū experiri, cùm mulierem nō videt mortuā esca illa percepta. Vnde Apostolus (vt refert Aug. super Ge.) virū seductū negat, nō autē mulierē. Vnde & interrogatus nō ait, mulier seduxit me, sicut illa de serpente dixit. Hanc autem seductionem propriè vocauit Apostolus, per quam id quod suadebatur, cùm falsum esset, verum putatum est, scil. quòd Deus lignum illud ideo tangere prohibuerit, quia sciebat eos, si

Rom. 5.

lib. 11. cap. 42.

1. Tim. 2.

tetigissent, sicut deos futuros, tanquam eis diuinitatem inuideret, qui eos homines fecerat.

CAP. *Tertium. Grauiùs peccauit Eua quàm Adam, triplici ratione.*

EX quo manifestè aïaduerti potest, ꝙ corũ plus peccauerit Eua q̃ Adam: quę voluit vsurpare diuinitatis æqualitatẽ: & nimia præsumptione elata crediderit ita esse futurũ. Adam verò nec illud credidit, & de pœnitentia & Dei misericordia cogitauit, dum vxori morem gerẽs, eius persuasioni consensit, nolens eam contristare, & à se alienam relinquere ne periret, arbitrans illud esse veniale, non mortale delictum. Minus ergo peccauit, qui de pœnitentia & Dei misericordia cogitauit. Tamen quodammodo ipse deceptus est, nõ in eo in quo melior, vt. s. illud crederet esse verũ, Eritis sicut dij: sed in eo quòd diuinæ seueritatis inexpertꝰ, veniale crederet esse cõmissum. Sed dolo illo serpentino, quo mulier seducta est, nullo modo arbitror illum potuisse seduci. Ex his datur intelligi, quòd mulier plus peccauerit, in qua maioris tumoris præsumptio fuit. Quæ etiam in se, & in proximũ, & in Deum peccauit. Vir autem tantùm in se & in Deũ. Inde etiam colligitur, quòd mulier plus peccauerit, quia grauiùs punita est, cui dictum

Ex motiuo

Ex offensæ extẽsione.

Ex grauio ri pœna.

Dilutio.

fuit, in dolore paries filios, &c. Quodverò dixit Auguſt. ſup. Gen. parem cum viro faſtum mulierem habuiſſe, intelligendum eſt in excuſatione peccati, & eſu ligni vetiti, in quo pares fuerunt: ſed diſpares in peccato, quoniam mulier multó grauiùs peccauit, in eo ꝙ credidit & voluit eſſe vt Deus: non autem vir. Si quis autem afferat quod Auguſt. dicit ſuper locum illum Pſalmiſtæ. Quæ non rapui tunc exoluebam, Rapuit Adam, & Eua, præſumentes vt diabolus de diuinitate: rapere voluerunt diuinitatem, & perdiderunt felicitatem: dicendum (vt quibuſdam videtur) quòd etiam Adam ambierit eſſe ſicut Deus: non tamen crediderit id fieri poſſe. Aliis autem videtur ideo dictum eſſe, quòd Adam illud voluerit, quia mulier de eo ſumpta, illud voluit. Sicut peccatũ dicitur per vnum hominem intraſſe in mundum, quum tamen mulier ante virum peccauerit: quia per mulierem intrauerit de viro factam. *Pſ. 68*

Obiectio contra id quod dictum eſt, Virum minus peccaſſe.

Peccatum quum tribus modis geratur (vt ait Iſidor.) ſcilicet ignorantia, infirmitate, & induſtria: & Eua ignorantia peccauerit, quia ſeducta fecit: Adam verò induſtria, quia non fuit ſeductus: videtur quòd hic *Lib. 2. de Sũ. bon.*

grauiùs peccauerit, quàm illa. Ad quod dicimus, quòd licet Eua per ignorantiam deliquerit, putans verum esse quod diabolus suadebat: non tamen in hoc quin nouerit illud Dei esse mandatum, & peccatum esse contrà agere. Et ideo per ignorantiam à peccato excusari non potuit: nec talis ignorantia inuincibilis erat, quæ à peccato excusat, quum tamen pœna peccati sit: non autem ignorantia vincibilis (quæ est eorum qui scire nolunt cùm possunt) à peccato excusat, quia & ipsa peccatum est, vt dicit Augustinus ad Valentinum.

Lib. de nat. et gra et li. de li. arb. cap. 3.

Vnde processerit consensus illius peccati, quum natura hominis esset incorrupta & sine vitio.

Ad quod responderi potest, quòd ex libero arbitrio propriæ voluntatis fuit. In ipso enim & in alio causa extitit vt fieret deterior: in alio, quia in diabolo qui suasit: in ipso, quia voluntate liberi arbitrij consensit. ~~Et cùm liberum arbitrium sit bonum, ex re vtique bona malus ille consensus prouenit, & ita ex bono malum manauit.~~ Et voluntas actum præcesit, quæ hominis arbitrio mala prodiit, qua iusticiam deseruit.

DE DEI PERMISSIONE, in actu tentandi, & scientia Adæ ante lapsum.

DISTINCT. Vigesimætertiæ
CAP. Primum.

Non incongruum si Deus hominem quem creauit, peccare permiserit: aut quem futurũ malum præsciuerit, creauerit.

NOn esset, inquit August. laudabile homini, si ideo bene viuere posset, quia nemo malè viuere suaderet, quũ in natura posse, & in potestate haberet velle non cõsentire suadẽti, deo iuuãte: & ~~est gloriosi non consentire q̃ tentari non posse~~. Mouentur etiã quidam dicentes, Cur creauit Deus quos futuros malos præsciebat? Quia præuidit de malis eorũ quid boni esset facturus. Sic enim eos fecit, vt relinqueret eis vnde aliquid facerẽt. & si culpabiliter aliquid facerent, illum de se laudabiliter operantẽ inuenirent. ~~A se habent voluntatem malam, ab illo naturam bonam, & iustam pœnam~~. Frustra ergo dicitur, Non deberet Deus creare quos malos futuros præsciebat. Sciebat enĩ bonis profuturos, & iustè pro mala voluntate puniendos. Addunt etiam Deum debere talem facere hominem, qui nollet omnino peccare. Concedimus quidem melio-

l. 11. sup. ge. c. 4

3. q. li. eo. c. 9

Cap. 7

rem naturam esse, quæ omnino peccare nol let: concedant & ipsi non esse malam, quæ ta lis facta est, vt posset non peccare si vellet, & iustè punitam, quæ voluntate, non necessita te peccauit. Nam secundum animam ratio- nalis fuit homo, habens discretionem boni ac mali, sciẽtiam quoque rerum creatarum, & cognitionem veritatis.

CAP. *Secundum. Mox conditus homo tri- plicem cognitionem (in qua per tempo- rum interualla non profecit) infusam accepit.*

HOmo mox conditus triplicem habuit cognitionem, scil. rerum propter se fa ctarum, & creatoris, & sui. Et ad illam non studio vel disciplina aliqua per tempo- ris interualla profecit. Rerum quippe cogni tionẽ accepit, quũ nõ ipse creator, vel angel⁹ aliquis, sed homo omnibus animantibus no- mina indiderit: vt ostenderetur quòd singu- lorum notitiam homo ipse habuerit. Quæ enim propter illum creata erant, & ab illo regenda & disponenda erant. Horum om- nium & scientiam illi Deus tribuit, & proui dentiam curamque reliquit: quia (vt ait Apost.) non est Deo cura de bobus. Cogni tionem quoque creatoris primus homo ha- buisse creditur. Nam cognouit à quo crea- tus fuerat, non eo modo cognoscendi quo

Adã vnì uersorũ he res.

ex auditu percipitur, quo modo absens à credentibus quæritur: sed quadam interiori inspiratione, qua Dei præsentiam contẽplabatur: non tamen ita excellenter, sicut post hãc vitam Sancti visuri sunt: neque ita in ænigmate, qualiter in hac vita videmus. Porrò sui cognitionem talẽ accepit, vt & quid deberet superiori, & quid æquali & inferiori, non ignoraret: Cõditionẽ quoque suam & ordinẽ, scil. qualis facta esset, & quãliter incedere deberet, quid agere, & quid cauere, intellexit. Si horum noticiam nõ habuisset, non esset reus prẽuaricationis. Accepit enim scientiam & prẽceptum eorum quæ facienda erant: sed non habuit præscientiam eorum quæ futura erant. Non fuit ergo præscius sui casus, sicut & de Angelis diximus, secundum August. sup. Gen.

Adã diuinã essentiã videbat.

Homo non præsciuit casum suũ.

1. Cor. 13

Lib. 11. cap. 18.

DE ADIVTORIO PERQVOD homo ante lapsum stare potuit.

DISTINCT. Vigesimæquartæ

CAP. Primum.

Per potentiam naturalem homo ante lapsum potuit peccatum vitare.

SCiendũ est igitur quòd homini in creatione (sicut de Angelis diximus) datum est per gratiam auxilium, quod vtique fuit libertas arbitrij incorrupta, & volunta-

tis atque omnium potentiarũ naturalium animæ ſincera rectitudo, & collata potentia, per quam poterat ſtare, id eſt non declinare ab eo quod acceperat: ſed ~~non poterat in tantùm proficere, vt per gratiam creationis ſine alia ſalutem mereri valeret. Poterat quidem per illud auxilium gratiæ creationis reſiſtere malo, ſed non perficere bonum.~~ Poterat quidem per illud bene viuere quodàm modo, quia poterat viuere ſine peccato: ſed non poterat ſine alio gratiæ adiutorio ſpiritualiter viuere quo vitã mereretur æternã. Vnde Auguſt. ait: Si hoc adiutorium vel angelo vel homini, quàm primùm facti ſunt, defuiſſet: quoniam ſi talis natura facta erat, vt ſine auxilio poſſet manere ſi vellet, non vtique ſua culpa cecidiſſet. Defuiſſet quippe adiutorium, ſine quo manere non poſſet. Rectam itaque & bonã voluntatem habuit: quia nec aliquid mali ea tunc volebat: & ad tempus ſtare voluit, licet non perſeueranter.

Lib. de na. & gra. c. 11.

Obiectio contra illud quod dictum eſt, hominem non potuiſſe proficere.

Si dicas, Per illud auxilium creationis potuit reſiſtere ſuggeſtionibus malis: Reſiſtere autem talibus meritum eſt: Per gratiã ergo creationis potuit ad meritũ proficere ſine alio gratiæ auxilio. Ad quod dicimus, q̃ reſiſtere malo, & nõ cõſentire tentationi, non

Stetisse angelis non fuit meritum.

fuisset illi meritum, etiam si nõ consensisset, quia nihil in eo erat quod ad malum impelleret. Sicut angelis qui non ceciderunt, nec fuit meritum quòd steterunt, id est quòd nõ corruerunt. Vbi enim non interuenit causa ad malum nos impellens, non meremur si ab eo declinamus. Declinare enim à malo semper vitat pœnam, sed non semper meretur palmam.

CAP. *Secundum. Quid liberum Arbitrium.*

Liberum arbitrium est facultas rationis & voluntatis, qua bonum eligitur, gratia assistente, vel malum, eadem desistente. Et dicitur liberum quantùm ad voluntatem, quæ ad vtrumlibet flecti potest. Arbitrium verò quantùm ad rationem, cuius est discernere inter bonũ & malũ. Quo patet q̃ bruta non habent liberũ arbitrium, quia ratione carent: habent tamẽ sensum & appetitum sensualitatis. Etiam hinc collige, quòd in anima rationali licet sit volũtas naturalis ad bonum, tenuiter quidem & exiliter, idem tamen efficaciter velle non potest, nisi gratia Dei sit adiuta. Sed per se malum efficaciter potest.

CAP. *Tertium. Quid sensualitas, quid ratio, & quotuplex.*

SEnsualitas quædam vis est animæ inferior, ex qua est motus qui intenditur in corporis sensus, atque appetitus rerum ad corpus pertinentium. Ratio verò vis est animæ superior, quæ (vt ita dicamus) duas habet partes vel differentias, superiorem scilicet & inferiorem. Secundum superiorem supernis conspiciendis vel consulendis intendit. Secundum inferiorem (quæ in scripturis sæpe nomine sensualitatis intelligitur) ad temporalium dispositionem conspicit. Vnde Aug. Videmus vbi sit quasi quoddam hominis exterioris interioríque confinium. Quicquid enim habemus in animo commune cum pecore, rectè dicitur ad exteriorem hominem pertinere. Non enim solum corpus exterior homo deputabitur: sed de adiuncta quadam vita sua, qua per compages corporis & sensus instructus est ad exteriora sentienda. Ascendentibus ergo introrsum quibusdã gradibus considerationis per animæ partes, vbi incipit aliquid occurrere quod nobis non sit commune cum bestiis, ibi incipit ratio, vbi homo interior iam possit agnosci.

12. de Trini. cap. 1.

Quid homo interior et exterior.

CAP. *Quartum. Peccatum multipliciter fit, scil. in sensualitate & in ratione, & quodam ordine consummatur.*

1 Si ergo in motu sensualitatũ peccati illecebra teneatur, veniale ac leuissimũ est peccatum. Si verò pars inferior rationi consenserit, ita vt sola cogitationis delectatione sine volũtate perficiendi teneatur, id-
3 que si non diu, veniale peccatum est: si diu
4 verò, mortale. & si adsit plena voluntas perficiendi, tunc damnabile & graue peccatum consummatur. Nam sicut serpens suasit mu-
Analogia lieri, & mulier viro: ita & in nobis sensualis motus cũ illecebrã peccati conceperit, quasi serpẽs suggerit mulieri, scil. inferiori parti rationis, id est rationi scientiæ, quæ si cõsenserit illecebrę, mulier edit cibũ vetitum. Pòst de eodem dat viro, cùm superiori parti rationis, id est, rationi sapientiæ, eandẽ illecebram suggerit. Quæ si consentit, tunc vir etiam cũ fœmina cibum vetitũ gustat. Hæc Aug. ita tradit: Sicut in illo cõiugio primorũ hominũ serpens manducandũ persuasit, mulier autẽ sola non manducauit, sed viro suo dedit, & simul manducauerũt: Ita & in quodam secreto coniugio, quod in vno homine geritur & dignoscitur, cùm rationi scientiæ, quæ in rebus temporalibus agendis ratioci nãdi viuacitate versatur, animalis sensus ingerit quandam illecebram, tunc velut serpẽs alloquitur fœminam. Huic autem illecebræ consentire, est de ligno vetito edere. Sed si iste consensus sola cogitationis delectatio-

Lib. 12 de tri. cap. 12

ne contentus est, superiori verò authoritate ita retineantur membra, vt non exhibeantur arma iniquitatis peccato: sic habendū existimo, velut lignū vetitū mulier sola comederit. Si autem in consensu illo ita decernitur quodq; peccatū, vt si sit potestas, ī opere cōpleatur, intelligenda est mulier dedisse viro suo simul edendū illicitū cibū. Neq; enim potest peccatū non solùm cogitandū suauiter, verùm etiā perpetrandum efficaciter mente decerni: nisi & illa mentis intentio, penes quam summa potestas est, membra in opus mouēdi, vel ab opere cohibēdi, malæ actioni cedat, &c.

DE CONDITIONIBVS Liberi Arbitrij.

DISTINCT. Vigesimæquintæ
CAP. Primum.

Liberum Arbitriū ad præsens vel præteritū non refertur, sed ad futura contingentia, sed non ad omnia.

QVod enim in præsenti est, determinatum est, nec in potestate nostra est, vt tunc sit vel non sit quando est: potest enim nō esse vel aliud esse postea, sed nō potest non esse dū est, vel aliud esse dum est, id est quod est: sed in futuro an hoc sit vel illud, ad potestatē liberi arbitrij spectat. Nec tamē oīa futura sub potestate liberi arbitrij

veniunt, sed ea tantùm quæ per liberum arbitrium possunt fieri vel non fieri. Si quis enim tale quid velit ac disponat facere quòd in eius nullatenus sit potestate, vel quòd sine ipsius dispositione æquè fieret, in hoc ipse liberum non habet arbitrium.

CAP. *Secundum. In Deo est liberum arbitrium.*

ET quidem secundum prædictam assignationem in Deo non est liberum arbitrium, secũdum quòd in his tantùm esse videtur, in quorum videl. potestate est eligere bonum vel malum. Et sic Hieron. negat in Deo liberum arbitrium, in quadam hom. de fil. prod. dicens: Solus Deus est, in quem peccatũ non cadit, nec cadere potest. Cætera quum sint liberi arbitrij, in vtranque partem flecti possunt. Sed in eo dicitur esse lib. arb. quia liberæ voluntatis arbitrio, & nõ necessitatis obsequio, omnia operatur: iuxta illud Apost. Omnia operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens singulis prout vult. Ideo Aug. ait: Certè Deus ipse nũquid quoniam peccare non potest, ideo liberum arb. habere negandus est? Libertas autem ad malum nõ est ipsius arbitrij libertas (quoniã hæc bonum naturale quoddam est) sed pronitas quædam est peccandi & curuitas, quæ ex peccato est, & malum est.

in 15. c. Luc. to. 3.

1. co. 12

Lib. 22 de ciu. de. ca. vlt.

CAP. Tertium. *In angelis & beatis est liberum arbitrium.*

ANgeli verò & beati qui iam cũ domino feliciter viuunt, atq; ita gratia beatitudinis cõfirmati sunt vt ad malum flecti nec velint, nec possint, libero non carent arbitrio. Vnde Aug. Sicut primà immortalitas fuit, quam peccando Adã perdidit, posse nõ mori: ita primum lib. arb. posse nõ peccare, nouissimum nõ posse peccare. Idẽ in Enchi. Sic oportebat priùs hominem fieri, vt bene velle posset, & malè: postea verò sic erit, vt malè velle nõ possit: nec ideo libero carebit arb. ~~multò quippe liberius est arb. quod omnino non poterit seruire peccato~~. Neq; aut voluntas non est, aut libera dicẽda non est, qua beati sic esse volumus, vt esse miseri non solùm nolimus, sed nequaquã prorsus velle possim⁹. Sicut ergo aĩa nostra nũc habet nolle infelicitatẽ: ita nolle iniquitatẽ semp habitura est. Sed ordo seruandus fuit, quo Deus voluit ostẽdere q̃ bonũ sit animal rationale, quod etiam peccare possit: quanuis melius sit quòd peccare non possit.

Lib. 22 de ciu. ca. 30.

ca. 105

Ex prædictis perspicuum fit, quòd maior fuit libertas arbitrij prima, quàm secũda, & tertia multò maior quàm secunda vel prima. Prima enim libertas arb. fuit, in qua poterat peccare & non peccare. Vltima verò erit in

Corrolariũ

qua poterit non peccare,& non poterit peccare. Media verò, in qua potest peccare, & non potest non peccare, ante reparationem etiam mortaliter post reparationem verò saltem venialiter.

f. 186. b. CAP. 4. *Quatuor status lib. arb. in homine.*

PRimus: Antè peccatū enim ad bonum nil impediebat, ad malū nil impellebat.

Secundus, Post peccatū verò ante reparationem gratiæ habet infirmitatē in malo, & deficientē gratiā in bono. & ideo potest peccare,& non potest non peccare. Tertius, Post reparationē verò ante confirmationē habet quidē infirmitatē in malo, sed gratiā in bono, vt possit peccare propter libertatē & infirmitatē: & possit nō peccare ad mortem propter libertatem & gratiā adiuuantē: nondū tamen habet posse omnino nō peccare, vel nō posse peccare, propter ~~infirmitatē nondū perfectè absorptā, & propter gratiā nondū plenè cōsummatā.~~ Quartus, Post cō firmationē, ~~infirmitate penitus consumpta, & gratia consummata~~, nec vinci poterit nec premi. & tunc habebit non posse peccare.

CAP. *Quintum. Per peccatum liberum hominis arbitrium corruptum est & infirmatum.*

PEr illud nanque peccatum naturalia bona, vt ingenium, memoria, intellectus, & alia, in ipso homine corrupta sunt, &

Lu.10 gratuita detracta. Hic est enim ille, qui à latronibus vulnerat⁹ est, in naturalibus bonis, & spoliatus est, gratuitis. Vnde August. in
Ca.30 Enchi. Libero arbitrio malè vtens homo, & se perdidit, & ipsum. Cùm enim libero arb. peccaretur, victore peccato amissum est & liberũ arb. A quo enim quis deuictus est, huic
2.pe.2 seruus addictus est. Ecce lib. arb. dicit hominem amisisse: non quia post peccatũ non habuerit lib. arb. sed quia libertatem arbitrij perdidit: ~~non quidẽ omnem, sed libertatem à miseria & peccato~~.

f. 146. a.

CAP. 6. *Triplex libertas.*

1.

EST nãque triplex libertas, scil. à necessitate, à pẽccato, & à miseria. Prima à necessitate, & ante peccatũ & post æquè liberum est arbitriũ. Sicut enim tunc cogi non poterat, ita nec nũc. ~~Vbi enim necessitas, ibi non est libertas; nec volũtas, & ideo nec meritũ.~~ Et hæc libertas in omnibus est, tam malis quàm bonis. Secũnda à pecca-
2.co.3 to, de qua dicit Apost. Vbi Spiritus domini,
Ioh.8. ibi libertas. & in Euãg. Si Filius vos liberauerit, verè liberi eritis. Ideoq; dicit Augu. q̃ homo malè vtens lib. arb. & se perdidit, & ipsum: quia perdita est per peccatum libertas, non à necessitate, sed à peccato. Qui enim facit peccatũ, seruus est peccato. Istã libertatem illi soli nunc habẽt, quos Filius per gratiã liberat. Quæ arbitrij libertas est & illa,

qua quis liber est ad malũ, & illa qua quis liber est ad bonũ faciendum. Tertia à miseria, de qua Apost. ait. Et ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatẽ glorię filiorũ Dei. Hanc libertatem habuit homo ante peccatũ, quia omnino carebat miseria. & plenius habebit in futura beatitudine, vbi miser esse non poterit. Liberum ergo arb. cùm semper & in singulis sit liberũ, non est tamẽ pariter liberũ in bonis & in malis, & ad bona & mala. Liberius est enim in bonis vbi liberatũ est, q̃ in malis vbi nõ est liberatum: & liberius ad malum quod per se potest, quàm ad bonum quod, nisi gratia liberetur & adiuuetur, non potest.

CAP. 7. *Duplex est libertas, scil. à gratia & à natura.*

LIbertas ergo à pcto̅ & miseria p̣ gratiã est: libertas verò à necessitate per naturã. Vtrãq; libertatẽ naturę. s. & gratiæ, notat Apost. cùm ex persona hoīs nõ redẽpti ait, Velle adiacet mihi, perficere autẽ nõ inuenio. quasi dicat, Habeo libertatẽ naturæ, sed nõ gratiæ. ideo apud me nõ est perfectio boni. Nam voluntas hominis, quã naturaliter habet, non valet erigi ad bonũ efficaciter volendũ, vel opere implẽdum, nisi per gratiã liberetur vt velit, & adiuuetur vt perficiat, quia (vt ait Apost.) Non est volentis velle, neque currentis currere, &c. Ro. 7. Ro. 9

DE AVXILIO LIBERI ARbitrij, scilicet gratia.

DISTINCT. Vigesimæsextæ CAP. Primum.

Duplici gratia adiuuatur voluntas, scil. gratia operante, & cooperante.

Super illud, non est volentis.

AVgust. contra Iulianum hæreticum (qui bonam voluntatem ex libero arbitrio tãtùm esse dicebat, atque hominem per libr. arbit. posse bonum velle & operari sine gratia, asserebat) ait: Apertam de commendatione gratiæ sententiam Apost. protulit, cùm ait, Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis. Hæc si attenderes Iuliane, non extenderes contra gratiam merita voluntatis humanæ. Non enim ideo miseretur Deus alicuius, quia voluit & cucurrit: sed ideo voluit & cucurrit, quia misertus est Deus. Paratur enim voluntas hominis à Deo, & à Domino gressus hominis diriguntur. Ideoque congruè ait, Non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei: Non quia hoc sine voluntate nostra agatur, sed quia voluntas nostra nil boni agit, nisi diuinitus adiuuetur. Vnde alibi Apost. ait, Non autem ego, sed gratia Dei mecum. Nõ ideo dicit, quia nihil boni agebat: sed quia nihil boni ageret, si illa non adiuuaret. Ex

quibus verbis satis aperitur quæ sit operans gratia, & cooperans. Operans enim gratia siue præueniens est, quæ præuenit voluntatem bonam: ea enim liberatur & præparatur hominis voluntas, vt sit bona, bonúmque velit efficaciter. Cooperatus verò siue subsequens, voluntatem iam bonam sequitur adiuuando. Cooperando enim Deus in nobis perficit, quod operando incipit, vt dicit Augustin. libr. de grat. & libe. arbitr. Voluntas ergo (quæ animi motus est, cogente nullo ad aliquid admittendum vel adipiscendum (vt dicit Augustin.) vt non admittat malum, & adipiscatur bonum, præuenitur & præparatur Dei gratia. Quam duplicem gratiam, præuenientem scil. & subsequentem, commendat Apost. dicens: Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. quasi dicat, Non sufficit voluntas hominis, si non sit etiam misericordia Dei: vt sic totum quod bonitatis est, Deo tribuatur, qui bonam hominis voluntatem præuenit & præparat adiuuandam, & adiuuat præparatam. Nolentem præuenit, vt velit: volentem subsequitur, ne frustra velit.

Gratia operãs & cooperãs quæ sit.

ad Valent. cap. 17

lib. de duab. anima. cap. 10

Ro. 9.

CAP. *Secundum. Ordo quidam est gratiæ ad voluntatem, & voluntatis ad gratiam.*

BOna voluntas comitatur gratiam, non gratia voluntatem: ita quòd gratia præuenit bonæ voluntatis meritum, & ipsa voluntas pedissequa est gratiæ, non præuia. Quod Augustᵘˢ ad Bonifacium pap. scribens epist. 100. contra Pelagianos, iis verbis adfirmat: Cùm fides, inquit, impetrat iustificationem, sicut vnicuique Deus partitus est mensuram fidei, non gratiam Dei aliquid meriti præcedit humani, sed ipsa meretur augeri, vt aucta mereatur & perfici, voluntate comitante, non ducente: pedissequa, non præuia. Huiusmodi autem gratia voluntatem præueniens & præparans, est fides cum dilectione, vt dicit Augustᵘˢ. loco præfato. Ipsa tamen eadem voluntas quædam gratiæ dona præuenit. Vnde Augustᵘˢ in Enchir. Præcedit bona voluntas hominis, multa Dei dona, sed non omnia. Quæ autem non præcedit, ipsa in eis est, & ipsa iuuat. Nam vtrunq; legitur in sacris eloquiis: Et misericordia eius prȩueniet me: &, Misericordia Dei subsequetur me. Nolentem quippe prȩuenit vt velit, volentem subsequitur ne frustra velit. Cur enim admonemur orare pro inimicis nostris nolentibus piè viuere, nisi vt Deus operetur in eis & velle? Itē: Cur admonemur petere vt accipiamᵘˢ, nisi vt ab illo fiat quod volumus, à quo factum est vt velimus? Inde Apostᵘˢ. ait: Non est volentis neque currentis, sed Dei mi-

ca. 32. Psᵃˡ. 58. Psᵃˡ. 22. matt. 5 Luc. 11 Rom. 9

ſerentis. Ex quibus apparet, quòd bona hominis voluntas, quædam Dei dona præuenit: quia eam comitatur gratia adiuuans: & quibuſdam præuenitur, quia eam præuenit gratia operans, ſcil. fides cum charitate.

Obiectio. Quòd ſi opponas quod Auguſt ſup. Ioh. dicit, exponens illud Apoſtoli, Corde creditur ad iuſtitiam: ideo non ſimpliciter ait Apoſt. Creditur: ſed, Corde creditur. quia cætera poteſt homo nolens, credere non niſi volens. Similiter & illud quod idem Aug. lib. de Prædeſtin. Sanct. magis vrgere videtur, dum ait: Commendans Apoſt. iſtam gratiam, quæ non datur ſecundum aliqua merita, ſed efficit omnia bona merita, inquit: Non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid boni, ſcil. ex nobis. Quis autem non videat prius eſſe cogitare, quàm credere? Nullus quippe credit aliquid, niſi priùs cogitauerit eſſe credendum. Quibus verbis videtur inſinuare quòd cogitatio bona præcedat fidem: & ita bona voluntas præueniat fidem, non præueniatur. quod prædictis aduerſari videtur. Ad quorũ primum reſpondentes, dicimus hæc non ita eſſe accipienda, vt ex volũtate hominis fides intelligatur prouenire, quum ipſa propriè ſit Dei donum, vt ait Apoſt. & ex ea bona hominis merita incipiant. Sed potiùs hæc ideo dicta ſunt, quia non eſt fides, niſi in eo qui vult crede-

Ro. 10 Aug. ho. 26. Cap. 2.

2. cor. 3

Ep. 8.

re, cuius bonam voluntatem fides præuenit, non tempore, sed causa & natura. Ad secundum autem dicimus, quòd aliquando cogitatio bona siue voluntas prę̃uenit fidem: sed non est illa bona voluntas vel cogitatio qua rectè viuitur. Illa enim sine fide & charitate non est, vt apertiùs ostendit Augustinus ad Anastasium.

epist. 144.

CAP. *Tertium. Vna eademq̃ue est gratia, quæ dicitur operans & cooperans.*

QVibusdã non irrationabiliter videtur, quòd vna & eadem sit gratia, idem donum, eadem virtus, quæ operatur & cooperatur: sed propter diuersos eius effectus dicitur operans & cooperans, vt ex definitionibus superiùs datis manifestum est.

Quomodo ipsa gratia præueniens meretur augeri & perfici, quum nullum meritum sit absque lib. arb. & quid est ipsa gratia, an virtus, an non. & si virtus, an actus, vel non. Quæstio.

cap. 9. & 2. de lib. arbitr. cap. 19.

Huic quæstioni vt respõdere valeas, prænotãdum est tria esse genera bonorum. Alia nanq; sunt magna, alia minima, alia media. vt Augustinus ait libr. 1. Retracta. Virtutes,

inquit, quibus rectè viuitur, magna bona sunt. Species autem quorumlibet corporum, sine quibus rectè viui potest, minima bona sunt. Potentiæ verò animi, sine quibus rectè viui non potest, media bona sunt. Item, Virtutibus nemo malè vtitur. Cæteris autem bonis, id est mediis & minimis, non solùm bene, sed etiam malè quisque vti potest. & ideo virtute nemo malè vtitur, quia opus virtutis est bonus vsus istorum, quibus etiam non bene vti possumus. Nemo autem bene vtendo, malè vtitur. Non solùm autem magna, sed etiam media & minima bona esse præstitit bonitas. Ecce habes tria genera bonorum distincta.

CAP. *Quartum. Liberum arbitrium in mediis bonis continetur.*

QVæritur autem in quibus bonis contineatur lib. arbitr. De hoc Augustinus lib. Retract. ait ita: In mediis quidem bonis inuenitur liberum voluntatis arbitrium: quia & malè illo vti possumus. Sed tamen tale est, vt sine eo rectè viuere nequeamus: Bonus autem vsus eius iam virtus est, quæ in magnis reperitur bonis, quibus malè vti nemo potest. Et quia magna, & media, & minima bona ex Deo sunt, sequitur vt ex Deo sit etiam bonus vsus liberæ voluntatis, qui virtus est, & in magnis nume- *cap. 9.*

ratur bonis. Attende diligenter quæ dicta sunt, & confer in vnum. Sic enim aperietur quod superiùs quærebatur. Dixit equidem opus virtutis esse bonum vsum illorum bonorum, quibus etiam non bene vti possumus, id est mediorum, in quibus posuit lib. arbitr. cuius quoque bonum vsum dixit esse virtutem. Quod si est, non est opus virtutis quod suprà dixit: quia aliud est virtus, & aliud opus virtutis.

DE VIRTVTE EIVSque actibus.

DISTINCT. Vigesimæseptimæ
CAP. Primum.

Definitio Virtutis.

lib. 3 dist. 27. a
lib. 4 dist. 3. qq. 1. b.
Virtus.

HIc videndum est quid sit Virtus, & quid sit actus vel opus eius. Virtus est (vt ait Aug.) bona qualitas mentis, qua rectè viuitur, & qua nullus malè vtitur, quã Deus solus in homine operatur. Ideoq; opus Dei tãtùm est, sicut de virtute iustitię Aug. docet
Psal. 118 super illũ locum Psal. Feci iudicium & iustitiam: ita dicens, Iustitia magna virtus animi est, quam non facit in homine nisi Deus. Ideoque cùm ait Proph. ex persona Ecclesię, Feci iustitiam: nõ ipsam virtutem, quam non facit homo, sed opus eius intelligi voluit. Ecce apertè insinuatur hic, quòd ipsa iustitia

Iustitia.

in homine non est opus hominis, sed Dei: quod & de aliis virtutibus itidem intelligendum est. Vnde Apost. Ephe. scribens, fidem non ex homine, sed ex Deo tantùm esse asserit, inquiens: Gratia estis saluati per fidem: & hoc non ex vobis, Dei enim donum est. quod à sanctis ita exponitur: Hæc scil. fides, non est ex vi naturæ nostrę, quia donum Dei purè est. Propterea quidam non inerudite tradunt virtutem esse bonam mentis qualitatem siue formã, quæ animã informat: nec ipsa est motus vel affectus animi: sed ea liberum arbitr. iuuatur vt ad bonum moueatur & erigatur. & ita ex virtute & libero arbitrio nascitur bonus motꝰ vel affectꝰ animi, ex quo bonũ opus procedit exteriùs: sicut terra rigatur pluuia, vt germinet & fructum faciat: nec pluuia est terra, germẽ, nec fructus: nec terra germen vel fructus, nec germẽ fructus: Ita gratis terrę mentis nostræ, id est arbitrio voluntatis, infunditur pluuia diuinæ benedictionis, id est inspiratur gratia, quod solus Deus facit, non homo cum eo, qua rigatur voluntas hominis vt germinet & fructificet, id est sanatur & præparatur vt bonum velit, secundum quod dicitur operans: & iuuatur vt bonum faciat, secundum quod dicitur cooperans. Et illa gratia non incongruè virtus nominatur, quia voluntatem hominis infirmam sanat & adiuuat.

CAP. *Secundum. Gratia est principalis causa merendi.*

CVi quidem gratiæ in bonis merendis causæ principalitas attribuitur: quia principalis causa bonorum meritorum est ipsa gratia, qua excitatur lib. arbitr. & sanatur atq; iuuatur voluntas hominis, vt sit bona: quæ etiam Dei donum est & gratia. Vnde August. ad Sixtum presbyterum: Quid est meritum hominis ante gratiam, cùm omne bonum nostrum meritum non in
ipi.10. nobis facit nisi gratia? ~~Ex gratia enim~~ (vt dictum est) ~~quæ præuenit & sanat arbitrium hominis, & ex ipso arbitr. procreatur in anima hominis bonus affectus, siue bonus mentis motus:~~ & hoc est primum bonum hominis meritum. Sicut ex fidei virtute & hominis arbitrio generatur in mente motus quidam bonus & remunerabilis, scil. ipsum credere: ita ex charitate & libero arbitr. alius quidam motus bonus prouenit, scil. diligere. Sic de cæteris virtutibus intelligendum est. Et isti boni motus vel affectus merita sunt, & dona Dei, quibus meremur & ipsorum augmentationem, & alia consequenter, quæ hic & in futuro nobis apponuntur.

f. 133. b.

Gratia

Fides
Arbitrio

CAP. *Tertium. Meritum non est virtutibus tribuendum, sed actibus virtutum.*

EX muneribus itaque virtutum boni sumus,& iustè viuimus,& ex gratia,quæ non est meritum,sed facit. Non tamen sine lib. arbit. proueniunt merita nostra, scil. boni affectus, eorumque progressus, atque bona opera, quæ Deus in nobis remunerat: & hæc ipsa sunt Dei dona. Vnde Aug. epist. 103. & in ps. 98. & ps. 102. August. ad Sixt. presb. ~~Cùm coronat Deus merita nostra, nil aliud coronat quàm munera sua~~. Vnde vita æterna, quæ in fine à Deo meritis præcedentibus redditur, quia & eadem merita quibus redditur, ~~à nobis sunt, sed in nobis facta sunt per gratiam~~, rectè & ipsa vita gratia nuncupatur: quia gratis datur. Nec ideo gratis, quia non meritis datur, sed quia data sunt per gratiam & ipsa merita, & quibus datur. Et sic fides dicitur mereri iustificationem ea ratione, quia per actum fidei illam meretur: aliàs fides haberet originem ex lib. arbitr. quod quia non est, sic dicitur esse meritum, quia actus eius est meritum. Ex quo colligitur quòd vsus bonus ex virtute est & ex libr. arbitr. sed ex virtute principaliter. Meritum autem ex purissima gratia prouenit. quod Apost. notauit, dicens, ~~Gratia Dei sum id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit~~. In quem locum ait August. Rectè gratiam nominat. Primùm enim solam gratiam dat Deus, & non nisi gratiam, cùm non præcedant meri-

ta,sed pòst per gratiam incipiunt merita. Vt ostenderet etiam lib. arbitrium, addit: Et gratia eius in me vacua non fuit. Et ne voluntas sine gratia Dei putetur aliquid boni esse,subdit: ~~Non autem ego solus~~, scil. sine gratia, sed ~~gratia Dei mecum~~, id est cum lib. arbitr. Quia si ad confirmandam sententiam eorum qui dicunt virtutes esse bonos vsus, mentisque motus, adferatur quod
c.10. dicit Augustin. sup. Iohan. Quid est fides? Credere quod non vides. Credere autem motus est mentis. Respondendum, verba Aug. sic intelligenda, fides est credere quod nõ vides,id est, est virtus qua creditur quod non videtur.

EXCLVSIO ERRORVM Pelagianorum & Manichæorum circa gratiam & liberum arbitrium.

DISTINCT. 28. CAP. Primum.

Liberum arbitrium sine gratia non sufficit ad merendum.

ID verò incõcussè & incũctãter tenẽdum, liberum arbitriũ sine gratia præuenien-te & adiuuante,non sufficere ad salutem & iustitiam obtinendam, nec meritis præcedentibus gratiam Dei aduocari: sicut
cap.9. Pelagiana hæresis tradidit. Nam (vt ait

Auguſt.lib.1.Retract.) Noui hæretici Pelagiani liberum ſic aſſerunt voluntatis arbitrium,vt gratiæ Dei non relinquant locum, quam ſecundum merita noſtra dari aſſerunt. Pelagianorum hæreſis recentiſsima à Pelagio monacho exorta eſt. Hi Dei gratię, qua prædeſtinati ſumus, & qua meruimus de poteſtate tenebrarum erui,intantum inimici ſunt,vt ſine hac credant hominem poſſe implere omnia diuina mandata, gratiámque hominibus dari:vt quæ facere per lib.arbitr. iubentur, faciliùs poſsint per eam implere. Deſtruunt etiam orationes, quas facit Eccleſia ſiue pro infidelibus & hæreticis vt conuertantur ad Deum,ſiue pro fidelibus, vt augeatur Dei fides, & perſeuerent in ea. Hæc quippe non ab ipſo accipere, ſed à ſeipſis homines habere contendunt, gratiam Dei qua liberamur ab impietate dicentes ſecundum merita noſtra dari. Paruulos etiam ſine vllo peccati originalis vinculo aſſerunt naſci.

lib. de hæret. ſib.ar. ti. 88.

Pelagiana hæreſis.

Hũc autẽ errorem huiuſmodi inductionibus muniũt. Si,inquiũt,non poteſt ea homo facere quæ iubentur,non eſt ei imputandum ad mortem. Sicut tu ipſe Auguſtine in lib. de lib.arbitr.aſſeris. Quis(inquis)peccat in eo quod nullo modo caueri poteſt ? Peccatur autem:caueri ergo poteſt. Hoc teſtimonio Auguſtini Pelagius vſus eſt, diſputans

lib.3. capit

aduersus eum, imò aduersus gratiam. Quibus respondet idem August. lib. Retracta. dicens, In iis itaque verbis meis, quia gratia Dei commemorata non est, de qua tunc non agebatur, putant Pelagiani suam nos tenuisse sententiã: sed frustra hoc putant. Voluntas quippe est qua peccatur, & rectè viuitur: sed ipsa nisi Dei gratia liberetur, & vt vitia super & adiuuetur, rectè à mortalib⁹ viui nõ potest. Ecce apertè determinat ex quo sensu illa dixerit, inimicos gratiæ refellens.

Testimonio Hieronymi astruit quid tenendum sit de gratia & lib. arb. vbi triplex hæresis inducitur, scil. Iouiniani, Manichæi, & Pelagij.

Id ergo de gratia & libero arbitr. indubitanter teneamus, quod Hierony. in explanatio. fid. cathol. ad Damas. pap. Iouiniani, Manichæi, & Pelagij errores collidens, docet, Liberũ, inquit, sic confitemur arbitrium, vt dicamus nos semper Dei indigere auxilio: & tãm illos errare, qui cum Manichæo dicunt hominem peccatum vitare non posse, quàm illos qui cum Iouiniano asserunt hominem non posse peccare. Vterque tollit arbitrij libertatem. Nos verò dicimus hominem semper & peccare, & non peccare posse, vt semper nos liberi confiteamur esse

arbitrij. Hæc est fides quam in Catholica Ecclesia didicimus, & quam semper tenuimus.

DE POTESTATE LIBERI Arbitrij ante lapsum.

DISTINCT. Vigesimænonæ CAP. Primum.

Liberum hominis arbitrium ante lapsum indigebat non solùm gratia cooperante, sed & operante, sed non sec. omnem operandi modum gratiæ operantis.

EGebat enim ea, non vt liberaret voluntatem suam, quæ peccati serua non fuerat: sed vt præpararet ad volendum efficaciter bonum, quod per se non poterat. Non enim poterat sine gratia mereri bonum, vt August. in Enchirid. tradit, Illam (inquit) immortalitatem, in qua poterat non mori, natura humana perdidit per liberum arbitr. hanc verò, in qua non poterat mori, acceptura est per gratiam, quam fuerat, si non peccasset, acceptura per meritum, quamuis sine gratia. Nec tunc vllum meritum esse potuisset. quia etsi peccatum in solo erat arbitrio constitutum, non tamen iustitiæ habendæ vel retinendæ sufficiebat

liberum arbitrium, nisi diuinum præberetur adiutorium. Ecce his verbis satis ostenditur, quòd ante peccatũ homo indigebat gratia operante & cooperante. Non enim habebat quo pedem mouere posset sine gratiæ operantis & cooperantis auxilio: habuit tamen quo poterat stare.

CAP. *Secundum. Homo ante lapsum virtutibus erat ornatus.*

HOc multis Sanctorum testimoniis comprobatur. Ait enim August. in quadam hom. Adam perdita charitate malus inuentus est. item: Princeps vitiorum dum vicit Adam de limo terræ ad imaginem Dei factum, pudicitia ornatum, temperantia compositum, charitate splendidum, primos parẽtes illis donis ac tantis bonis expoliauit, paritérque peremit. De hoc eod. Ambro. ad Sabbinum ait: Quando Adam solus erat, non est præuaricatus, quia eius mens Deo adhærebat. Et super Psalmos dicit, quòd homo ante peccatum beatissimus auram carpebat æthereã. Sed quomodo sine virtute beatissimus erat? August. quoque super Gen. dicit Adam ante peccatum spirituali mente præditum fuisse.

epi. 41 lib. 11. ca. 42.

CAP. *Tertium. Per peccatum ligno vitæ priuatus homo morti addictus est.*

NVnc ergo ne fortè mittat manũ ſuam, & ſumat de ligno vitæ, & comedat, & viuat inæternum, in peccati ſui pœnam de paradiſo eiectus legitur Gen. 3. Quę verba ſic accipi poſſunt, Deus modo irati loquens, de homine ſuperbo ait: Videte ne fortè mittat manum ſuam, id eſt cauete vos Angeli, ne comedat de ligno vitæ, quo indignus eſt. ideoq; ne attingeret, emiſit eum de paradiſo: & ne ad illud rediret, collocauit Deus ante paradiſum Cherubin & flammeum gladium atque verſatilem, ad cuſtodiendam viam ligni vitæ. Quod iuxta literam de Angelica igneáque cuſtodia intelligi poteſt. *Aug. ſuper Gen. lib. 4.*

CAP. *Quartum. Homo ante peccatum vſus eſt ligno vitæ.*

AVguſt. libr. de bapt. paruul. hoc affirmat, dicens: Rectè profectò intelliguntur primi parentes ante malignam illam Diaboli perſuaſionem abſtinuiſſe à cibo vetito, atque vſi fuiſſe conceſsis. Quare ergo perpetua ſoliditate & beata immortalitate non ſteterunt, ſi ligno immortalis vitæ vſi ſunt? Hanc enim virtutem naturaliter illud lignum habuiſſe dicitur. Sed fortè hocipſum non conferebat, niſi ſæpe de illo ligno ſuperetur. Potuit ergo fieri vt de illo ſumeret ſemel, & non ſæpius,

qui per aliquam moram in paradiso fuisse intelligitur: quum scriptura dicat eum ibi soporatum fuisse, quando costa de latere eius assumpta est, & inde formata mulier: & animalia ante eum ducta, quibus nomina imposuit.

DE PECCATO ORIGINIS & transitu eiusdem in posteros.

DISTINCT. Trigesimæ

CAP. Primum.

Peccatum simul ac pœna per primum hominem in posteros transiit.

Ro. 5. QVod Apost. ostendit inquiens: Sicut per vnum hominem peccatum in hũc mundum intrauit: ita & in omnes homines mors pertransiit. Hoc autem quidam dicunt intrasse in mundum, non traductione originis, sed similitudine præuaricationis: omnésque in illo vno peccasse dicunt, quia omnibus ille vnus peccandi exẽplum extitit. Hoc malum senserunt quidam hæretici, Pelagiani dicti, de quibus Augu. in lib. de bapt. paruul. cõmemorat dicens, Sciẽ-

c. 9. de pecca. mer. et rẽ. cõ. Pelag. dum est, inquit, hæreticos quosdam, qui Pelagiani nominati sunt, dixisse peccatum primæ transgressionis in alios homines non propagatione, sed imitatione, transiisse. Vnde etiam in paruulis nolunt credere per ba-

ptiſmum ſolùm originale peccatum, quod in naſcentibus nullum eſſe omnino contendunt. Sed eis dicitur, quòd ſi Apoſt. peccatũ imitationis non propagationis intelligi voluiſſet, eius principem non Adam, ſed diabolũ diceret. De quo in lib. Sap. dicitur, Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarũ. Cap. 2 Et quia non vult intelligi hoc eſſe factum propagatione, ſed imitatione, continuò ſubiunxit ſcriptura, Imitãtur autẽ eum qui ſunt ex parte ipſius. Imitantur quidẽ Adã quotquot per inobedientiã tranſgrediuntur mandatũ Dei. Sed aliud eſt quod exemplũ eſt voluntate peccãtibus, aliud quod origo eſt cũ peccato naſcentibus. Non eſt igitur accipiẽdum, peccatũ Adę tranſiiſſe in oẽs, imitationis tantũ exẽplo, ſed ꝓpagationis & originis vitio. Et eſt illud peccatũ originale (vt apertè teſtatur Aug.) quod per Adam tranſiuit in oẽs, per eius carnẽ vitiatã cõcupiſcentialiter generatos. Vnde & rectè ait Apoſt. In quo oẽs peccauerũt. In Adã enĩ oẽs peccauerũt, vt in materia, nõ ſolũ eius exemplo, vt dicũt Pelagiani: oẽs enim ille vnus homo fuerãt, ac in eo, velut in maſſa, peccaſſe dicuntur, ac cõſtituti peccatores per illius inobedientiã, vt dicit Apoſt. tanq̃ per peccatũ eius actuale, ex quo proceſsit ad nos originale.

CAP. 2. *Quid ſit Originale peccatum, multiplex fuit Doctorum opinio.*

QVidã enim putant Originale peccatũ esse reatum pœnæ pro peccato primi hominis, id est debitum vel obligationem ad pœnam temporalẽ & æternã, pro primi hominis actuali peccato. Et sic originale peccatũ, iuxta istorum sententiã, nec culpa, nec pœna esse poterit. Culpam nõ esse ipsi fatentur. Pœnã quoque secundũ eos esse non potest: quia si debitum pœnæ originale peccatũ est, quum debitũ pœnæ non sit pœna, nec originale peccatum est pœna.

CAP. *Tertium. Originale peccatum est culpa.*

HOc plurib⁹ sanctorũ testimoniis edocetur. Super Exod. vbi dicitur, Primogenitum asini mutabis oue, Greg. ait: Omnes in peccatis nati sumus, & ex carnis delectatione concepti, culpam originalem nobiscum traximus: vnde & voluntate nostra peccatis implicamur. Idem affirmat Au-
Ca. 4. gustin. lib. de natu. & grat. Peccatum enim primi hominis, ait, non solum ipsum, sed omne necauit genus humanũ, quia ex eo damnationem simul & culpam suscepimus. Vnde lib. de Eccles. dogm. scriptum est: Firmissimè tene, & nullatenus dubites, omnem hominem, qui per cõcubitum viri & mulieris concipitur, cum originali peccato nasci, impietati subditum mortíque subiectum, &

ob hoc natura iræ nasci filium, à qua nullus liberatur, nisi per fidem mediatoris Dei & hominum.

CAP. 4. *Peccatum Originale in nobis non est actuale, sed concupiscibilitas.*

NVnc superest videre quid sit ipsum Originale peccatum: quod cùm non sit actuale, non est actus siue motus animæ vel corporis. Si enim actus est animę vel corporis, actuale vtique peccatum est: sed actuale vtique nō est, non est ergo actus vel motus. Quid ergo orig. peccatum dicitur? Fomes peccati, scil. concupiscentia. vel cōcupiscibilitas, quæ dicitur lex membrorum, siue languor naturæ, siue tyrannus, qui est in mēbris nostris, siue lex carnis. Vnde Aug. lib. de baptis. paruul. Est in nobis concupiscētia, quæ non est permittenda regnare. Sunt & eius desideria, quæ sunt actuales concupiscentiæ, quæ sunt arma diaboli, quæ veniunt ex languore naturæ. Languor autem iste tyrānus est, qui mouet mala desideria. Si ergo vis esse victor tyranni, atque inermem inimicum inuenire, non obedias concupiscētiæ malæ. His verbis satis ostēditur fomitem peccati esse concupiscentiam, Nomine autē concupiscentiæ non actum concupiscendi, sed vitium primum significauit, cùm eam di

xit legem carnis. Vitium verò illud vtique est, quod paruulum habilem concupiscere facit, adultum etiam concupiscentem reddit. Sicut enim in oculo cæci in nocte vitium cę citatis est, sed nõ apparet: nec discernitur inter videntẽ & cæcũ nisi luce veniente: sic in puero vitium esse non apparet, donec tempus ætatis prouectioris occurrat.

CAP. *Quintum. Peccatum Originale in Adam fuit, & in nobis est.*

QVærit enim Iulianus per quod peccatum inuenitur in paruulo, ita inquiens: Noñ peccat iste qui nascitur: nõ peccat ille qui genuit: noñ peccat ille qui condidit: per quas igitur rimas ĩter tot præsidia innocẽtiæ peccatũ fingis ingressum? Et respondet ei sacra pagina: Per vnum hominẽ peccatum intrauit in mundum per vnius inobedientiã, ait Apost. Quid quærit amplius? quid quærit apertius? Item inquit Iulianus: Si per hominem vnum peccatum in mundum intrauit, peccatum vel ex voluntate, vel ex natura est. Si ex voluntate est, mala est voluntas quæ facit peccatum. Si ex natura est, mala est natura. Cui respondeo, ex voluntate peccatum est. Quærit fortè vtrum originale peccatum ex voluntate sit. Respondeo, prorsus & originale peccatum ex voluntate esse, quia hoc ex volantate primi homi-

nis seminatum est vt in illo esset, & in omnes transiret.

DE PECCATO ORIGINALI, quomodo transeat à patribus in posteros.

DISTINCT. Trigesimæprimæ
CAP. Primum.

Peccatum originale trahitur à parentibus, non secundum animā, vt quidam ex traduce eam esse ponentes, arbitrati sunt, sed secundū carnē solū.

NAm supra diximus peccatum Originale esse cōcupiscentiam, non actum, sed vitium. Vnde Aug. Ipsa concupiscentia est lex membrorum vel carnis, quæ est morbidus quidam affectus, vel languor, qui cōmouet illicitum desiderium, id est carnalem concupiscentiam, quæ lex peccati dicitur. Quæ dicitur manere in carne, non quin in anima sit: sed quia per corruptionē carnis in anima sit. Caro enim propter peccatum corrupta in Adam, in concupiscentia & libidine concipitur in corpus prolis formanda. Vnde caro ipsa quæ concipitur in vitiosa concupiscentia, corrumpitur & polluitur: ex cuius contactu anima cū infunditur, maculā trahit qua polluitur & fit rea. i. vitiū cōcupiscentiæ, quod est peccatū originale.

Ideo ipsum peccatum dicitur manere in carne, non quòd caro culpam habeat, vel actum culpæ, sed causam. Vnde Ambro. de

To.4. in c.7. ad Ro. Verb. Apoſt. ſic ait: Quomodo habitat peccatum in carne, quum ~~non ſit ſubſtantia~~, ſed ~~priuatio boni~~? Ad quod reſpondet, quòd per id quòd cauſa facti manet, inhabitare dicitur peccatum in carne. & hęc eſt lex carnis, ~~quæ vitium & corruptio in carne ante conIunctionem animæ comperitur~~: quoniã ~~cùm anima infunditur, hæc ex corruptione carnis maculatur.~~ Sicut in vaſe dignoſcitur vitium eſſe, cùm vinum infuſum aceſsit.

CAP. 2. *Non abſurdè dictum eſt filios trahere peccatum à parentibus, etiam per baptiſmum purificatis.*

ID enim poſſe fieri inſinuat diuerſarum ſimilitudinum inductione Aug. lib. de bap. paruul. inquiens: Quomodo præputium per circunciſionẽ aufertur, manet tamen in eo quem genuerunt circuncidi: Quomodo etiam palea quæ opere humano tanta diligentia ſeparatur, manet tamen in fructu quĩ de purgato naſcitur tritico: Ita peccatum quod in parentibus per baptiſmum mundatur, manet in eis quos genuerunt: ex hoc enim gignunt quod adhuc vetuſtum trahũt, non ex hoc quòd lex in nouitate promouit eos inter filios Dei. Non enim genuerant ~~parentes filios ſecundum illã generationẽ, qua denuo nati ſunt: ſed potius ſecundũ illã, qua carnaliter & ipſi primũ ſunt~~ generati.

Corrolariũ Ex quibus etiam innoteſcit quare dicatur Originale ~~peccatum~~ : ideo ſcil. quòd ex vitioſa lege originis noſtræ in qua concipimur, ſcil. carnis libidinoſa concupiſcẽtia, traducitur, vt ſuprà dictum eſt. Nõn enim quia ex carne tracta ab Adam concepti ſumus, ideo peccatum traximus : quia & Chriſti corpus ex eadem carne formatum eſt, quæ ab Adam deſcendit: ſed eius cõceptus eſt celebratus, non lege peccati, id eſt concupiſcẽtia carnis, vnde & caro eius peccatrix non fuit: imò operatione Spiritus ſancti. Noſter verò conceptus non fit ſine libidine: & ideo non eſt ſine peccato Quod euidenter Aug. oſtendit lib. de fid. ad Petrum. *Cap. 2.*

Quæſtio. *An caro ante infuſam animam originale peccatum contrahat.*

Quomodo peccatum in carnem tranſmittitur, quum peccatum eſſe non poſsit vbi anima non eſt? Ad quod dici poteſt, quòd in illo conceptu dicitur peccatum tranſmitti: nõ quia peccatum originale ibi ſit: ſed quia caro ibi contrahit id ex quo peccatum ~~fit in anima cùm infunditur~~. Et vtrunque vocatur conceptus, ſcil. cùm & caro propagatur, formamq; corporis humani recipit, & cùm anima infunditur. quod aliquando etiam dicitur natiuitas. Vnde dicitur, quod natum eſt in ea. Propriè autem natiuitas dicitur in lucem editio.

Reſponſio.

DE ABLVTIONE PECCATI originalis per baptismum.

DISTINCT. Trigesimæsecundæ
CAP. Primum.

Originale peccatum duobus modis dimittitur, scil. extenuatione sui, & solutione reatus.

SVpereſt inueſtigare quomodo originale peccatū in baptiſmo dimittatur, cùm etiam poſt baptiſmum remaneat concupiſcentia, quæ antè fuerat. Vnde videtur vel peccatum originale non eſſe cōcupiſcentiā, vel ipſum non remitti per baptiſmum. Dicendū ergo ipſum duplici ratione dimitti in baptiſmo: quia per gratiam baptiſmi vitium concupiſcentiæ ~~debilitatur atque extenuatur: ita vt iam non regnet, niſi conſenſu redditur ei vires~~: & quia reatus ipſius ſoluitur. Vnde Aug. lib. de bapt. paruul. Gratia per baptiſmum id agitur, vt vetus homo crucifigatur, & corpus peccati deſtruatur. nō vt in ipſa viuente carne, concupiſcentia reſperſa & innata repente abſumatur & non ſit: ſed ne obſit mortuo quæ inerat nato. Nā ſi poſt baptiſmum vixerit in carne, habet concupiſcentiam cum qua puguet, eamque, adiuuante deo, ſuperet: ſi tamen non in vacuum gratiam eius ſuſcepit. Non vtiq; hoc præſtatur in baptiſmo, niſi fortè miraculo ineffabili

creatoris: vt lex peccati, quæ est in mẽbris nostris, prorsus extinguatur & non sit, sed vt quicquid mali ab homine factũ cogitatúmque est, totum aboleatur, ac velut factum nõ fuerit habeatur. Ipsa verò concupiscentia, soluto reatus vinculo, quo per illam diabolus animam retinebat, & à suo creatore separabat, maneat in certamine. Ecce hic apertè ostendit ea ratione dimitti in baptismo, nõ quia non remaneat post baptismũ, sed quia reatus in bapt. aboletur. Deinde ipse ostẽdit eo modo etiã dimitti, quia per baptismi gratiam concupiscẽtia ipsa mitigatur & minuitur, in eod. lib. ita dicens: Lex carnis, quam Apost. appellat peccatũ, cùm ait, Nõ regnet peccatum in vestro mortali corpore, non sic mànet in membris eorũ qui ex aqua & spiritu renati sunt, tãquam non sit eis facta remissio, vbi omnino plena fit remissio peccatorum: sed manet in vetustate carnis tanquã superatum & peremptũ, nisi illicito cõsensu quodammodo reuiuiscat, & in regnũ propriũ dominationẽque reuocetur. Hic apertè insinuatur in baptismo cõcupiscentiã debilitari, ex quo & dicitur dimitti, non solùm ideo q̃ reatus ibi absoluitur. Quẽ remissionis modum aliis etiam pluribus testimoniis scriptura edocet.

Quæstio. *An fœditas quam caro ex libidine coitus contraxit, per baptismum diluatur.*

Quibusdam videtur q̄ sicut anima à reatu purificatur, ita & caro ab illa pollutione purgetur: vt sicut duobus completur ministeriū baptismi, scil. aqua & spiritu: ita hi duo purgentur, anima scil. à reatu, & caro ab illa contagione. quod quidem probabile est. Alij verò putant tantùm animam ibi mundari: carnem verò ab illa fœditate non purgari. Si verò remanet illa fœditas vsque ad procreationem filiorū, quæ fit in concupiscētia carnis, videtur natura carnis magis ac magis corrūpi: & magis videtur corrupta caro prolis quàm parētis: quia de carne pollutionem quam habuit à conceptu, retinēte polluta trahitur, & in concupiscētia cōcipitur, vnde & polluitur. Et ita ex duplici causa cōtaminatur. Vnde maior videtur pollutio carnis in prole, quàm fuerit in parente. Ad quod illi dicunt, quòd licet caro prolis ex carne fœda seminetur, & in concupiscentia concipiatur: non tamen fœditatem maiorem trahit, quàm caro vnde seminatur habuit. Quanuis etiā si fœdior atq; immundior sit caro prolis, & ideo magis corrupta quàm caro parentis: nō tamen inde (vt aiūt) fit præiudicium veritatis: quia nec absurdū esse dicunt, si carnis natura magis in posteriorib⁹ corrupta trahatur, neq; ex ipsa magis corrupta, anima magis inficiatur.

Quæstio. *An concupiscentia, quæ post baptismũ remanet, & tantùm pœnalis est, ante baptismum verò pœna erat & culpa, sit vel à Deo authore, vel ab alio.*

Ad quod breuiter respondẽtes, dicimus q̃ in quantum pœna est, Deum habet authorẽ: inquantum verò culpa est, diabolum, siue hominem habet authorem.

Quæstio.

CAP. 2. *Qua iustitia animæ in mundicia creatæ culpa originalis imputetur, quum non possit vitare.*

HVic quæstioni rectiùs responderi potest illi imputari animę illud peccatũ, quòd ex corruptione corporis inevitabiliter trahit: quia (vt ait Aug. lib. de Ciuit. Dei) non fuit corporis corruptio quæ aggrauat animã, causa primi peccati, sed pœna. Nec caro corruptibilis animã peccatricem fecit, sed peccatrix anima carnem corruptibilem fecit. Deus autem, qui animã ipsam sine macula fecit, altitudine iudiciorum suorum corpori corrupto coniunxit, ex quo maculam peccati contrahendam præsciuit. nec tamẽ iniustè id fecit. Ipse enim non incõgruè humanæ conditionis modum quem à principio instituit (licet hominum peccata interceſſerint) sine immutatione continuè seruat. Vnde patet peccatum originale posse rectè dici & necessarium & volũtarium.

Necessarium quidem, quia vitari nō potest: Voluntariū autem, quia prima hominis mala voluntate contractum: quod factū est tandem posteris quodam modo hæreditarium, Ca. 15. vt dicit Aug. lib. 1. Retractatio.

CAP. 3. *An anima talis sit ante baptismum, qualis à deo creatur.* Quæstio.

AD hoc dici potest, quòd nō omnino talis est, qualem eam Deus fecit, quoniā ~~bonitatem naturalē ei sine corruptione indidit, quam propter peccatum penitus non amisit~~, sed vitiatam habuit. Sicut enim quis pollutas habens manus, non tale habuit pomum, quale ego dedi mundis manibus: ego enim dedi mundum.

An omnes animæ ex creatione æquales sint, an aliæ aliis excellentiores. Quæstio.

Pluribus non irrationabiliter videtur, q̄ ex ipsa creatione aliæ aliis excellātiores sint in naturalibus donis, vt in essentia: Alia aliis sit subtilior, & ad intelligendum memorandumque habilior, vtpote acutiori ingenio & perspicaciori intellectu prædita. Quod non improbabiliter dicitur, quum in angelis ita fuisse constet. & licet naturalibus donis aliæ præ aliis polleant, tamen ~~ante baptismum à corpore discedentes~~, parem pœnam, & post baptismum statim æqualem coronam sortiuntur. Quia ingenij acumen

vel tarditas, præmium vel pœnam in futuro non collocat.

DE PECCATO ORIGINALI quantùm ad numerum.

DISTINCT. Trigesimætertiæ

CAP. Primum.

Vno tantùm peccato primi parentis, & non pluribus peccatis parentum ordine subsequentium paruuli obligati sunt.

SVperioribus adiiciendum videtur, an peccata patrum præcedentium ad paruulos transeant. Sicut illud primi hominis delictum in omnes carnaliter genitos diximus redundasse. Nam August. in Enchi. ca. 47. videtur approbare peccata parentum præcedentium imputari paruulis: non omnium tamen qui fuerunt ab Adam (ne importabili æternæ pœnæ sarcina grauarentur paruuli) sed tamen eorum parentum, qui eos à quarta generatione præcesserunt, iuxta illud, Ego sum Deus visitans iniquitates patrum vsque in tertiam & quartam generationem. exo. 20 Quæ Augustin. dixit non asserendo, sed diuersorum opiniones referendo: alioqui ipse sibiipsi contradicere osten-

deretur, qui in eod. lib. omnium mitissimam dicit esse pœnam paruulorum, qui originali tantùm tenentur peccato, his verbis: Mitissima sanè pœna eorum erit, qui præter peccatum, quod originale traxerunt, nullum insuper addiderunt: & cæteris qui addiderunt, tantò quisque ibi tolerabiliorem habebit damnationem, quantò hic minorem habuit iniquitatem. Ecce apertè dicit paruulorum pœnam omnium aliarum pœnarum esse leuissimam. Quod si est, non igitur peccatis patrum præcedentium obligantur, nisi Adæ. Si enim pro peccatis actualibus parentum æternaliter punirentur, & pro suo originali, non iam minùs, sed fortè magis q̃ ipsorũ parentes punirentur. Non igitur pro peccatis parentum actualibus, nec etiam pro actualibus primi parentis, sed pro originali, quod à parentibus trahitur, paruuli damnabuntur, pro eo nullam aliam materialis ignis, vel conscientiæ vermis pœnam sensuri, nisi quòd Dei visione carebunt in perpetuum. Vno igitur & non pluribus peccatis paruuli obligati sunt. Vnde etiam ea quibus illa opinio muniri videtur, scilicet quòd peccata & iniquitates in paruulis aliquando scriptura esse significat, vtens plurali numero, ita determinat Augustinus in eodem libro, quia in scriptura per singularem numerum pluralis nu-

merus sæpe significari solet, vt ibi: Ora ergo ad Deum vt auferat à nobis serpentem. Num.21
Non ait serpentes, quos patiebatur populus.
Et è conuerso per pluralem numerũ notatur singularis, vt in Euãg. Mortui sunt enim Mat.
qui quærebant animam pueri. Non ait, mortuus est, quũ loqueretur de Herode. In Exodo, fecerunt deos aureos, quum vnum fecerint vitulum, de quo dixerunt, Isti sunt dij tui Israel. Ita & illud originale vnum plurali numero significatur, cùm dicimus ~~parvulos in peccatorum remissionem baptizari, & in peccatis vel iniquitatibus concipi:~~ quum tamen in actuali peccato Adæ plura notari valeant peccata, vt August. in Enchi. insinuat. Possunt, inquit, plura in vna transgressione Adæ, si in sua quasi membra diuidatur. Nam etiam superbia est illic: quia homo in sua potiùs quàm Dei potestate esse dilexit: & sacrilegium, quia Deo non credidit: & homicidium, quia se in mortem tradidit: & fornicatio spiritualis, quia integritas mentis humanæ serpẽtina persuasione corrupta est: & furtum, quia cibus prohibitus vsurpatus est: & auaritia, quia plus quàm sufficere illi debuit appetiuit, & siquid aliud in hoc vno inueniri potest.

Ca.3.

ca.45.

CAP. *Secundum. Peccatum Adæ non fuit omnium grauissimum.*

QVibusdam ita esse videtur, quia illud peccatum totam humanam naturam mutauit. támque magnum fuit, vt ca. 48. Aug. in Enchir. dicit. vt in homine vno originaliter & radicaliter totum genus humanum damnaretur. Quod etiam ratione ostendere laborant hoc modo: Magis nocuit illud peccatum, quàm aliquod aliorum: quia totum genus humanum vitiauit, mortique subdidit: quod nullo alio peccato factum est. maiorem ergo effectum habuit, quàm aliud quodcunque. Ad quod dici potest, quòd licet illud peccatum humanam naturam mutauerit in necessitatem mortis, & in totum genus humanum reatum diffuderit: non est tamen putandum grauius fuisse peccato in Spiritum sanctum, quod mat. 12 neque hic, neque in futuro (vt Veritas ait) dimittitur. Quòd verò totam humanam naturam corrupit, non ideo est quòd grauius fuerit cunctis aliis peccatis: sed quia ab homine commissum est, quando in vno homine tota natura humana consistebat: & ideo tota in eo corrupta est, maiorémque effectum mali intulit quantùm ad multiplices defectus, qui ex eo manauerunt, sed non quantùm ad pœnam æternã, quam quidem grauiorem non meruit, quàmplures postea meruerunt per alia peccata: imó grauiorem

f. 148. b.

alios promeruisse credimus iram, quàm Adam meruerit.

CAP. *Tertium. Primi parentes de commisso illo peccato per pœnitentiam veniam consequuti sunt.*

HOcipsum Aug. in lib. de bapt. paruul. asserit, dicens: Sicut illi primi parentes postea iustè viuendo creduntur per Domini sanguinem ab extremo liberati supplicio: non tamen in illa vita meruerunt ad paradisum reuocari: Sic & caro peccati, etiam remissis peccatis, si homo in ea iustè vixerit, non continuò meretur eam mortem non perpeti, quam traxit de propagine peccati. *lib. 2. ca. 44*

CAP. *Quartum. Peccata parentum in posteris nonnunquam puniri.*

IN Exodo ad Mosem hoc ait Dominus, Ego sum Deus fortis, zelotes, visitans iniquitates patrum in filios vsque in tert. & quart. generationem, his qui oderunt me. His verbis apertè insinuatur, quòd Deus reddit peccata patrum super filios tertios & quartos. Huic autem aduersari videtur quod Dominus ait apud Ezech. Quid *cap. 26* *cap. 18.*

est quòd inter vos parabolam vertitis in prouerbium istud, dicentes, Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt? Viuo ego, dicit Dominus, si erit vobis vltrà parabola hęc in prouerbium in Israel. Ecce omnes animæ meæ sunt: vt anima patris, ita anima filij mea est. & anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filij. Iustitia iusti super eum erit, & impietas impij super eum erit. His verbis videtur Deus corrigere per Proph. quod malè dixerit in lege. Si enim peccata parẽtum reddit in tertiam & quartam generationẽ, iniustitia videtur Dei esse, vt alius peccet, & alius puniatur. Quomodo enim iustum est aliũ peccare, & alium peccata luere? Sed (vt ait Hierony.) Ne lex & Prophetæ, id est Exodus & Ezechiel, imò ipse Deus, qui & hic & ibi loquutus est, in sententia discrepare videantur, attendamus finem illius authoritatis Exod. Dicto enim, Reddo iniquitates patrum in filios, addit, His qui oderunt me. Per quod euidenter ostendit, non ideo puniri filios, quia peccauerunt patres: sed quia eis similes quodam hæreditario malo Deum oderunt. Illud ergo quod in Exod. Dominus ait, sicut Hierony. tradit, non id sonat quod multi existimant: nec est simile

to. 5. in explanat. in 16. ca. Ezech.

huic proculdubio, Patres comederunt vuam acerbam, &c. Illud enim Exod. Hierony. super illud Ezech. & Auguſt. ſup. Pſal. Deus laudem meam ne tacueris, de filiis peccata patrum imitantibus accipiendum cenſent, ſuper quos dicitur Deus reddere peccata patrum: non quia punit eos eò quòd imitentur peccata patrum, non quia patres peccauerunt. Non itaque corrigit Deus in Prophe. quod antè dixerat in lege: ſed quomodo intelligendum ſit aperit. Vnde & illos qui praue intelligebant arguit, qui dicebant, Patres comederunt, &c. Pſ. 108

Quare dixerat in tertiam & quartam generationem, & quare patres tantùm commemorauit.

Quæſtio. Veruntamen ſi de imitatoribus malorum illud accipitur, quare tertiam & quartam generationem tãtùm commemorauit, quum in qualibet generatione rei teneantur, qui peccata patrum imitantur? Et quare patres commemorauit, quum & illi omnes mali ſint, qui quorũlibet malorum peccata imitantur? *Solutio.* Sed ideo patres ſpecialiter nominauit, quia maximè patres ſolent filij imitari, quos præcipuè diligunt. Et tertiam & quartam generationem idcirco commemorauit, quia ſolent parentes interdum tandiu viuere, donec filios tertios & quartos habeant,

qui patrum iniquitates videntes, eorum impietatis hæredes per imitationem efficiuntur. Secundum hunc modum rectè intelligitur ad literam, quod in Exod. dicitur.

DE PECCATO ACTVALI, & eius causa.

DISTINCT. Trigesimæquartæ CAP. Primum.

Ex bono ortum habuit malum.

CAusa & origo prima peccati res bona extitit: quia ante primum peccatum non erat aliquid mali vnde oriretur. Cùm enim originem & causam habuit, aut ex bono, aut ex malo habuit. sed malum antè non erat, ex bono ergo ortum est. Prius enim in Angelo ortum est peccatũ, & postea in homine. Et quid erat Angelus, nisi bona Dei natura? Non ex Deo ortum est malum quod fuit in Angelo, non ex alio quàm ex Angelo, ex bono ergo ortum est. Vnde Augustin. in responsio. cont. Iulia. hæret. qui dixerat, Si ex natura peccatum est, tunc mala est natura: ait, Quæso vt, si potest, respondeat. Manifestum est ex voluntate mala, tanquam ex arbore mala, fieri omnia opera mala, tãquàm fructus malos. Sed ipsam malam voluntatem vnde dicit exortam, nisi ex bono? Si enim ex Angelo, quid est Ange-

lus, nisi opus Dei bonum? Si ex homine, quid erat ipse homo, nisi bonum Dei opus? Imò quid erant hæc duo antequàm oriretur in eis mala voluntas, nisi bonum Dei opus? & bona laudandáque natura? Ergo ex bono oritur malum: nec fuit vnde oriri posset, nisi ex bono. Dico ergo, quia voluntatem malam nullum malum præcessit, sed ex bono originem habuit. Hic aperte dicitur primã causam & originẽ mali bonã fuisse naturam. Et nihilominùs ostenditur cuius peccati fuerit causa, scil. malę voluntatis.

CAP. *Secundum. Mala voluntas est secundaria causa malorum.*

AVgust. in Enchirid. Nequaquàm dubitare debemus, rerum bonarum quæ ad nos pertinent, causam non esse nisi bonitatem Dei: Malorum verò ab immutabili bono deficientem boni mutabilis voluntatem ipsius Angeli, postea hominis. Hoc primum est creaturæ rationalis malum, id est prima priuatio boni. Ecce habes primam voluntatem boni mutabilis, id est Angeli & hominis deficientem ab immutabili bono, id est à Deo, causam esse malarum rerum ad nos pertinentium: quia causa est tam peccatorum, quàm pœnarum quibus premitur humana natura. Prima ergo origo & causa

peccati bonum fuit: & secunda, malum quod ortum est ex bono. Et sic qui rectè acutéque sapit, in bono malum esse intelligit, id est in natura bona. ~~Malum enim est corruptio vel priuatio boni.~~ Peccatum ergo ~~non~~ potest esse, nisi in re bona, vt ait Augustin. cap. 11. Enchirid. Ex quo colligitur nil aliud significari dum dicitur homo malus, nisi bonum malum. Ideoque in his contrariis, quæ bona & mala vocantur, illa Dialecticorum regula deficit, qua dicunt ~~nulli rei duo simul inesse contraria~~: nullus enim cibus aut potus simul dulcis & amarus. Ex bonis itaque mala orta sunt, & nisi in bonis non sunt. nec fuit prorsus vnde oriretur vlla mali natura, nisi ex Angeli & hominis natura bona, vnde primitus orta est mala voluntas. Quòd si opponas, Si bonum dicimus esse malum, incidimus in illam sententiam Propheticam Esa. 5. Væ his qui dicunt bonum malum, & malum bonum. Ad hoc Augustin. in eodem libr. respondet, dicens: Id quod dictum est in Prophetia, intelligendum est de ~~ipsis rebus quibus homines mali sunt, non de hominibus~~. Vnde qui adulteriũ dicit bonum, vel qui dicit hominem, quatenus homo est, malum esse, in eum cadit illa Prophetica detestatio.

EPITOME

DE PECCATO ACTVALI quoad quidditatem eius, & substantiam, & causam.

DISTINCT. Trigesimæquintæ

CAP. Primum.

Peccatum rectè definitum est à sacris doctoribus.

1. PEccatum (vt ait August.) est omne dictum, vel factum, vel concupitum, quod fit contra legem Dei. Idem in lib. de duab. animab. Peccatum est voluntas retinendi vel consequendi quod iustitia vetat. In vtraque assignatione de actuali peccato agitur, & mortali, non veniali. Ex prima descriptione ostenditur peccatum esse voluntas mala, siue loquutio & operatio praua, id est actus prauus & malus, tam interior quàm exterior: ex altera verò tantùm ostenditur esse actus interior. Voluntas enim (vt in superioribus dictum est) motus animi est, actus ergo interior est. Ambr. quoque in lib. de parad. ait: Quid est peccatum, nisi legis diuinæ præuaricatio, & cælestium inobedientia præceptorum? Ergo in præuaricante peccatum est, sed in mandante culpa non est. Ecce præuaricationem legis & inobedientiam definit Ambr. esse peccatum. Et sic sanè dici potest, & liberè tradi debet, pecca-

li. cō. Faust. man. 22. ca. 27.

cap. 8. to. 4.

tum esse actum malum, interiorem & exteriorem, præcipuè autem in voluntate consistere, ex qua velut arbore mala, procedunt opera mala, tanquam fructus mali.

CAP. *Secundum. Substantia actus bona & Deo authore facta.*

Aug. l. Avgust. sup. Iohan. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, id est peccatum, quod nihil est, & nihil fiunt homines cùm peccant. Quæ verba quidam diligenter attendentes, non indoctè tradunt voluntatem malam & actus malos, inquantùm sunt, vel inquantùm actu sunt, bona esse, & Deo authore esse. Inquantùm verò inordinatè & contra legem Dei fiunt, & fine debito carent, peccata esse, & ita inquantùm peccata sunt, nihil sunt. *Prima opinio de causa actus peccati.*

Quòd autem voluntas omnis & actio bonum sit, inquantùm est, ex eo probant quod
q. 21. ait Augustin. illis lib. 83. Quæst. Deus boni tantummodo causa est: quocirca mali author non est, quia omnium quæ sunt author est, quæ inquantùm sunt, intantùm bo-
ibi. na sunt. Idem probans nihil casu fieri in
q. 24. mundo, ait in eod. Quicquid casu fit, temerè fit: quicquid temerè fit, non fit prouidentia: Si ergo casu aliqua fiunt in mundo, non prouidentia vniuersus mundus administratur. Si non prouidentia vniuersus

mundus administratur, aliquá natura vel substantia est, quę ad opus prouidentiæ non pertinet. Omne autem quod est, inquantùm est, bonum est. Summum enim est illud bonum, cuius participatione sunt cætera bona: & omne quod mutabile est, non per se, sed boni illius participatione, inquantùm est, bonum est: quod diuinam etiam prouidentiam vocamus. Nihil ergo casu fit in mundo. His testimoniis innituntur, ad ostendendum omne quod est, inquantùm est, bonum esse. Vnde idem August. libr. 1. de Doctr. Christ. ait: Ille summè ac primitus est, qui omnino incommutabilis est: & cætera quæ sunt, nisi ab illo esse non possunt: & intantùm bona sunt, inquantùm acceperunt vt sint. Sed his opponitur: Si omnia quæ sunt, inquantùm sunt, bona sunt, & naturæ sunt: ergo adulterium, & homicidium, & similia, inquantùm sunt, bona sunt. Dicendum equidem adulterium, homicidium, & huiusmodi, non simpliciter actus denotare, sed actuum vitia. Actusque ipsos adulterij & homicidij, inquantùm sunt actus, à Deo esse, & bonas naturas esse, sed non inquantùm adulterium sunt & homicidium. Rursus aliter opponitur, Si aliquid nõ est malum, quod non sit natura vel res bona. quomodo ergo peccata sunt, nõ credere in Deũ, non ire ad Ecclesiam, & huiusmodi: quum ista non sint

Impia f. 150. a.

cap. 16

obiectio 1a

Solutio.

2a

naturæ, imò omnino non sint? Ad quod dicendum, his atque huiusmodi dictionibus, quæ videntur priuationes simpliciter notare, & nihil ponere, quòd per negationem dicuntur verè aliqua poni, actusque per eas significari. Non credere enim in Christum, incredulitatem dicit: & nomine incredulitatis malus mentis actus significatur. Ita etiam cùm dicitur, non ire ad Ecclesiam malum est, non euntis contemptus significatur, id est voluntas mala. Quia sicut declinatio à malo aliquid ponit, scil. voluntatem vitandi malum (non enim potest bonum, quod omnino nihil est.) Ita declinatio à bono aliquid quod est significat, scil. voluntatem mali. Et secundum hoc vera & generalis est illa peccati mortalis descriptio, quam suprà posuit August. scil. Peccatum est dictum, vel factum, &c.

DE EFFECTV PECCATI.

DISTINCT. Trigesimæsextæ
CAP. Primum.

Peccatum aliquando non solùm peccatum est, sed & causa peccati, & pœna peccati est.

GReg. super Ezech. ait: Cõtemnenti, quí nõ vult pœnitere, ponit Deꝰ offendiculum, vt. s. grauiùs impingat. Peccatum

enim quod per pœnitentiam citiùs non deletur, aut peccatum est & causa peccati, aut peccatum & pœna peccati, aut peccatum simul & causa & pœna peccati. Vnde Moses, Nondum sunt cõpleta peccata Amorrhæorum. & Paulus quoque ait: Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ, &c. & Iohanni per Angelum dictum est, Qui in sordibus est, sordescat adhuc. Et sic colligitur, peccatum aliquod & peccatum esse, & pœnam peccati, & causam esse. gen. 15 Ro. 1. Ro. 1. apoc. 22

Quomodo peccatum pœna peccati fit.

Peccatum autem dicitur pœna peccati, quia peccatum in quod merito præcedentis peccati homo labitur, deserente Deo, corrumpitur bona natura, & imminuitur bonum naturæ: & est ipsa imminutio & boni corruptio, passio & pœna, & non essentialiter ipsum peccatũ, per quod fit. De quibus Aug. lib. 1. Retract. ait quædam necessitate fieri ab homine, quæ mala sunt & eadem pœna peccati sunt. De quibus Apost. Non quod volo bonum facio, sed quod odi malum hoc ago. & illud, Caro concupiscit, &c. cap. 8. & 11. Ro. 7. gal. 5.

fol 154. b. l. 17. ad 159. a. f. 161. b. l. 8. 202. b.

CAP. *Secundum.* *Peccatum vt causa est peccati, non est à Deo, sed vt pœna.*

QVod videtur August. notasse cùm ait lib. de Prædest. Sanctorum: Prædestinatione ea Deus præsciuit quæ cap. 10

fuerat ipse facturus. Sed præsciuit Deus etiam quæ non est ipse facturus, id est omnia mala: quia etsi sunt quædam quæ ita peccata sint, vt etiam pœnæ sint peccati,
Ro. 1. secundum illud Apost. Tradidit illos Deus in pasiones ignominiæ: non tamen peccatum Dei est, sed iudicium, scil. pœna. In scriptura enim sæpe nomine iudicij pœna intelligitur. Hic diligenter intendentibus insinuare videtur ea quæ peccata sunt, & pœnæ peccati, ~~non, inquantùm peccata sunt,~~ ~~sed inquantùm pœnæ, Dei esse.~~

CAP. *Tertium. Non omne peccatum mortale est pœna peccata licet possit esse.*

POena enim peccati (vt prædictum est) est illud cuius causa est aliud præcedens peccatum. Nam peccatū sic dicitur pœna peccati respectu præcedentis, sicūt dicitur causa peccati respectu sequentis. Quo fit vt idē peccatum & causa sit & pœna peccati, sed alterius peccati pœna, & alterius causa. Vt enim Grego. in Mora. ait, ~~Peccatum quod pœnitentia non diluitur, suo pondere mox ad aliud trahit~~, ex illa quippe culpa sequens oritur. Quod si pœnitentia diluatur præcedens, non oritur sequens. Ex quibus fit perspicuum quòd peccatum illud dicitur pœna, quod causam præcedētem ha-

Peccatum, pœna peccati, & causa peccati definitur.

bet peccatũ. Illud autem dicitur causa peccati, quod est meritum sequentis culpæ.

CAP. *Quartum. Quædam peccata sunt quæ necessariò sunt pœnæ.*

PRæterea nulla tenus ambigendum est quædam peccata absque vllo scrupulo pœnas esse: vt inuidia, quæ est dolor alieni boni. & ità de cupiditate, & timore, & aliis huiusmodi sentiendum est. vnde Augustlib.83.quæstionum ait: Omnis perturbatio passio: omnis cupiditas perturbatio: omnis ergo cupiditas passio: omnis verò passio cùm est in nobis, ipsa passione patimur. omni ergo cupiditate (quæ in nobis est) patimur. 9.77.

Obiectio aduersus dictum Aug. to.4.ad Dam.

fol. 154. b. l. 19.

1. Hierony. in explanatione fidei ait: Tam illos errare dicimus qui cum Manichæo dicunt hominem peccatum vitare non posse: 2. quàm illos, qui cum Iouiniano asserunt hominem non posse peccare. Quod pugnat cum dicto Augustin. dicentis quædam mala sic necessitate fieri, vt illa vitare sit impossibile. *Dilutio.* Ad quod dici potest, quòd quia Aug. secundum statum huius miseriæ (ad quam partem pertinet ignorantia & difficultas, vt idem ait in lib.de lib.arb. quę ex iusta dam-

natione descenderunt) illud tradidit, vbi & venialia peccata inclusit. Hieronymus verò tantùm de mortalibus peccatis loquitur, quæ vnusquisque gratia illuminatus vitare valet.

DE CAVSA PECCATI secundum quorundam opinionem superioribus contrariam.

DISTINCT. Trigesimæseptimæ

CAP. Primum.

Quidam dicunt nec substantiam actus à Deo esse.

Post intercœptæ quæstionis de effectu peccati decisionẽ, persequitur alteram de causa peccati opinionem.

SIne eo nanque (ait Euangelista) factum est nihil, id est peccatum, quod dicitur esse nihil, non quia non sit actio vel voluntas mala, quæ aliquid est: sed quia à vero esse separat homines, & ad non esse deducit. Qui enim à summi boni participatione recedunt (quod solum verè ac propriè est) merito non esse dicuntur. Ad id autem quod dicit Augustinus supra, Omne quod est, inquantùm est, bonum esse, & Deum ipsum habere authorem, de naturis & substantiis rerum ipsarum tantùm accipiendum esse tradunt, negantes bonos vel malos actus

naturas esse. & sic concedunt aliquas res esse, quibus homines mali sunt, & eas à Deo non esse: quia id quo homo fit deterior, à Deo non est, dicente Augustin. lib. 83. quæstionum, deo authore nemo fit deterior. Sed ad hæc aduertendū, quòd cùm dicitur Deus esse author omnium quæ sunt, bonorū subintelligendum est: bona autē illa esse dicūt, quæ naturaliter sunt, nō solùm quæ substantiæ sunt vel concreta substantiis, sed & omnia quę naturam non priuāt bono. Substantiam autem sic accipi testatur Augustin. super illum locum Psal. Non est substantia, dicēs: Substātia intelligitur illud quod sum², quicquid simus. Nam quòd nulla est substantia, nihil omnino est: substantia ergo est aliquid esse. Deus enim fecit hominem substantiam, sed per iniquitatem lapsus est homo à substantia, in qua factus est, &c.

quæst. 83

Reprobatio

Subba.

Substantia multipliciter accipitur.

Ps. 68.

CAP. *Secundum. Deus est author mali pœnæ, & non culpæ.*

POenarum enim Deus author est, sicut ipse per Prophetam ait: Non est malum in ciuitate quod dominus non fecerit. & alibi, Ego sum Deus creans malum, & faciens bonum. vbi ~~mali nomine pœna intelligitur, non peccatum~~, sicut è conuerso, cùm dicitur Deus nō esse author malorum, nomine mali peccata intelligun-

Am. 3

esa. 47

tur. ideoque Auguſt. qui dixerat lib. 83. q. 5. 1. quæſt. quòd Deus author mali non ſit, in. 1. li. 1. ca. 26. lib. Retractationum, quo modo intelligendum ſit aperit, dicens: Videndum eſt ne malè intelligatur quod dixi, Deus author mali non eſt, qui & omnium quæ ſunt author eſt: quia inquantùm ſunt, intantùm bona ſunt: & ne hinc putetur non ab illo pœnam eſſe malorum, quæ vtique malum eſt his qui puniuntur. ſed hoc dixi, ſicut dictũ eſt, Deus Sap. 1. mortem non fecit, cùm alibi ſcriptũ ſit, Mors Eccl. 11 & vita à domino eſt, &c.

DE ACTIBVS QVANTVM ad potentias à quibus producuntur.

DISTINCT. Trigeſimæoctauæ

CAP. Primum.

Voluntas accipit ſpeciem moris à fine.

de tri. lib. 11. cap. 6. SCiendum igitur eſt, quòd ex fine ſuo (vt ait Auguſt.) ~~volũtas~~ cognoſcitur. Finis autem bonæ voluntatis ~~beatitudo eſt~~, vita æterna, ipſe Deus. Malæ verò finis eſt aliud. ſ. mala delectatio, vel aliquid aliud, in quo voluntas uõ debet quieſcere. Finẽ verò Pſ. 118 bonũ inſinuat Propheta dicens: Omnis conſummationis vidi finem, ſcil. charitatem.

De cauſis actus interioris. Bonaventura.

Vnde Aug. in Ench. Omnia præcepta diuina referũtur ad charitatẽ. De qua dicit Apoſt. Finis præcepti eſt charitas de corde puro. Qui autem charitatem ſibi ponit finẽ, Deum ſibi ponit finem. vnde & Chriſtum finem legis ad iuſticiã dicit Apoſt. eſſe omni credẽti. 1. Ti. 1. ca. 121.

CAP. 2. *Voluntas quandoque habet plures fines, & ſpeciem accipit ab vltimo.* Ro. 10

AVgu. lib. 11. de Tri. ait: Aliæ atq; aliæ voluntates ſuos proprios fines habẽt, qui tamen referuntur ad finem illius volũtatis, qua volumus beatè viuere, & ad eam peruenire vitam, quæ nõ referatur ad aliud, ſed amanti per ſeipſam ſufficiat: ſicut voluntas videndi, finem habet viſionem: & voluntas videndi feneſtrã, finẽ habet feneſtræ viſionẽ. Altera verò eſt volũtas per feneſtrã vidẽdi tranſeũtes, cuius idẽ finis eſt viſio trãſeuntiũ, ad quod etiã prędictæ referuntur voluntates. Item rectę ſunt volũtates, & oẽs ſibimet religãtur, ſi bona eſt illa, ad quã cũctæ referuntur. Si autẽ praua eſt, prauæ ſunt oẽs. & ideo rectarũ connexio volũtatum iter eſt aſcẽdentiũ ad beatitudinẽ, quod certis velut paſsibus agitur. Prauarũ aũt & diſtortarũ voluntatũ implicatio vinculũ eſt, quo alligabitur qui hoc agit, vt proiiciatur in tenebras exteriores. Nec iis repugnãt verba Aug. prohibentis ne duos fines nobis cõſtituam⁹, Ca. 6. Matth. 22.

sed omnia propter regnũ tãtùm operemur: quia fines in diuersa tendentes intelligi voluit.i.quorũ alter ad alterum non referatur.

CAP.3. *Differunt voluntas, intentio, & finis.*

VOluntas est qua volumus aliquid: finis verò volũtatis est, vel illud quod volumus, per quod impletur ipsa voluntas, vel potius aliud, propter quod aliud volum⁹. Intentio verò interdum pro volũtate, interdum pro fine voluntatis accipitur.

CAP. 4. *Quibusdam videtur quòd eodẽ actu voluntas vult finem, & media, aliis autem contrà.*

SIcut ergo altera est voluntas videndi fenestras (vt ex August. didicimus) altera quæ ex ista nectitur, voluntas scil. videndi per fenestras transeuntes: ita nonnullis alia videtur esse voluntas eleemosynas dandi pauperi, alia voluntas habendi vitam. Alij autem putant quòd vna sit voluntas & hic & ibi, sed propter subiectorũ multiplicitatem diuersitas memoratur voluntatum. Cæterùm quodlibet horum verum sit, illud nulli in ambiguum venit, quòd ~~voluntas ex suo fine pẽficitur~~, vtrum recta sit an prava, peccatum an gratia, & quin nomine intentionis aliquando finis, aliquando voluntas intelligatur.

DE SVBIECTIVA potentia actus.

DISTINCT. Trigesimænonæ

CAP. Primum.

In voluntate est peccatum.

PEr voluntatem quandoq; intelligimus potentiam volendi, aliquãdo actũ eiusdem potentiæ. Potentia autem naturaliter animæ insita nũquam peccatum est, sicut nec vis memorandi vel intelligendi, sed actus huius potentiæ, qui & voluntas dicitur. tunc peccatũ est, quãdo inordinatus est.

CAP. *Secundum. Peccatum non est in aliis potentiis.*

ET si voluntatis actus quandoque peccatum sit, non tamen actus aliarum potentiarum, scil. intellectus & memoriæ peccata sunt: quia alterius generis est actus voluntatis, quàm actus memoriæ & intellectus. hic enim actus est ad aliquid adipiscendum, vel non admittendum, qui non potest esse de malis, quin sit malus. velle enim mala malum est: sed intelligere vel memorare mala malum non est. Quanuis eorum quidam etiam hos actus malos esse interdum non improbè asserãt. Memorat enim interdum malum quis, vt faciat: & quærit intelligere verum, vt sciat impugnare.

CAP. *Tertium. Eadem est voluntas quæ naturaliter vult bonum, & repugnat bono.*

Rom. 7. QVomodo intelligendū sit illud, quod Ambrosius ait exponēs illud verbum Apost. Non enim quod volo illud ago, sed quod nolo illud facio. Dicit enim quòd homo subiectus peccato, facit quod non vult: quia naturaliter vult bonum. an ergo eadem sit voluntas, siue idem motus, quo libenter peccato seruit, & quo naturaliter vult bonū? Quæ quæstio profunda, est & à diuersis variè determinata. Alij enī dicūt duos esse motus: vnū, quo vult bonum naturaliter, quia in sua prima cōditione rectus creatus est (vt dicit Augustinus de fide ad Petrum cap. 25) Aliū autem dicunt motum esse, quo mens relicta superiorum lege, subiicit se peccatis, eísque oblectatur. Vterque tamen ex libero arbitrio. Veniente ergo gratia malus elidit-tur, & alter naturaliter bonus liberatur, & adiuuatur vt efficaciter bonum velit. Ante gratiam verò licet naturaliter velit homo bonum, non tamen absolutè cōcedi oportet bonam habere voluntatem, sed potiùs malam. Alij autem dicunt vnam esse voluntatem, id est vnum motum, quo naturaliter vult homo bonum, & vitio vult malum, eoque delectatur: & inquantùm vult bonum, natura-

liter, bonus est & iniquitatum malum vulē, malus est.

DE ACTIBVS EXterioribus.

DISTINCT. Quadragesimæ
CAP. Primum.

Actus exteriores ex voluntate bona vel mala speciem accipiunt.

De causis actus exterioris.

LIcet secundum quosdam omnes actus boni sint, inquantùm naturaliter sunt, non tamen absolutè dicendi sunt omnes boni: quoniam & quidam sunt simpliciter mali. Nam simpliciter sunt boni actus illi, qui bonam habent causam & intentionem. i. voluntatem bonam comitantur, & ad bonum finem tendunt. Mali verò simpliciter dicuntur, qui peruersam habent causam & intentionem. Vnde Ambr. ait: ~~Affectus tuus operi tuo nomen, imponit.~~ & Christus in Euang. Non potest arbor bona fructus malos facere, &c. Nomine autem arboris voluntas intelligitur, quę si bona vel mala fuerit, bonos vel malos fructus facit. *Lib. 1. offic. c. 30. mat. 7.*

CAP. *Secundum. Non omnes actus sunt indifferentes ad bonitatem vel malitiam, sed quidam sunt per se mali.*

QVibusdam ita videtur esse, qui dicunt omnes actus esse indifferentes, vt nec boni nec mali per se sint, sed ex intentione bona bonus, & ex mala malus sit omnis actus. Aliis autem videtur, quòd quidam actus in se mali sint, ita vt non possint esse nisi peccata, etiam si bonam habeãt causam: & quidam in se boni, ita vt etsi malam habeant causam, non tamen boni esse desinant. Quod testimonio Augustini confirmant, qui dicit bonum aliquando non bene fieri. Quod enim quis inuitus vel necessitate facit, non bene facit: quia non bona intentione facit, vt ait Augustinus super Ioh. & sic tract. 9 tripartitam edunt isti differentiam actuum.

Sed Augustinus euidentissimè docet in lib. contra mendacium, omnes actus secundum intentionem & causam iudicandos bonos vel malos, præter quosdam, qui ita sunt mali, vt nunquam possint esse boni, etiã si bonam videantur habere causam: quia quæ mala sunt, nulla bona intentione facienda sunt. Illa autem quæ per se non sunt peccata, possunt esse bona vel mala, si bonas vel malas habeant causas. Ideoque cùm ex effectu dicitur nomen imponi operi, in bonis operibus generaliter vera est hæc regula: sed in malis excipiuntur illa, quæ per se mala sunt.

DE ACTIBVS Infidelium.

24. DISTINCT. Quadrageſimæprimæ CAP. Primum.

Non omnia opera ſine fide facta, ſunt mala.

QVidã dicũt omnes actiones & volũtates hominis ſine fide malas eſſe, quæ fide habita bonæ exiſtunt. Vnde Ro.14
Apoſt. ait: Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt. quod exponens Auguſt. ait: Omnis infidelium vita peccatum eſt. & Iacobus Iac. 2.
in epiſtola: Qui offendit in vno, ſcil. charitate, factus eſt omninm reus. Qui ergo fidem & charitatem non habet, omnis eius actio peccatum eſt: quia ad charitatem non refertur. Impoſsibile eſt enim (vt ait Apoſt. He.11.
ſine fide placere Deo. Quod cùm illis obiicitur dictum Augu. in Pſal. 83. Turtur inuenit ſibi nidũ, vbi reponat pullos ſuos. quòd Iudæi, hæretici, & pagani opera bona faciunt, quia veſtiunt nudos, & paſcũt paupe-
res, & huiuſmodi: ſed non in nido Eccleſiæ, id eſt in fide. Idcirco conculcantur pulli eorum, Reſpondent dicentes bona opera appellari huiuſmodi, quæ ſine charitate fiunt, non quia bona ſint quãdo ſic fiunt, ſed quia bona eſſent, ſi aliter fierent, quæ ex ſuo genere ſunt bona, ſed exaffectu ſunt mala.

Alij verò, qui tripharíam distinctionem actuum faciunt, opera cũcta quæ ad naturæ subsidium fiunt, semper bona esse astruunt: sed q̃ Augu. mala esse dicit, si malas habeãt causas, non ita accipiendũ est quasi ipsa mala sint, sed quia peccant & mali sunt qui ea malo fine agũt. Item illud aliud, scil. bonum opus intentio facit, & intentionem fides dirigit, determinant dicẽtes ibi bonum vocatum quod remunerabile est ad vitam: non quòd illud sit summũ bonum opus, imò etiã alia plura, licet non ea ratione qua illud, sint bona. Bonũ enim multipliciter accipitur, sci. pro vtili, pro remunerabili, pro signo boni, pro specie boni, pro licito, & aliis fortè modis. Solaque illa intentio remunerabilis est ad vitam, quam fides dirigit: sed non sola illa bona est, vt aiunt. Nam si quis Iudæus vel malus Christianus necessitatem proximi releuauerit naturali pietate ductus, bonum fecit, & bona fuit voluntas qua illud fecit.

2.

in præ. in psa. 31.

Bonũ multipliciter dicitur.

CAP. *Secundum. Omne peccatum necessariò est voluntarium.*

ca. 14. POst hæc inuestigari oportet qualiter intelligendum sit quod August. lib. de Vera Relig. ait: Vsqueadeò peccatũ voluntarium malum est, vt nullo modo sit pec-

catum, si non sit voluntariũ. quod si diligẽter discutiatur, inuenitur esse verissimum. Nam illa quæ non voluntaria dicuntur, quia vel à nescientibus, vel à cõactis perpetrantur, non omni modo possunt sine voluntate cõmitti: quoniam & ille qui peccat ignorans, voluntate vtique facit, quod cùm faciendum non sit, putat esse faciẽdum. & ille qui concupiscente aduersus spiritum carne, non ea quæ vult facit, concupiscit quidem nolens, & in eo non facit quod vult: sed si vincitur, concupiscentiæ consentit volens, & in eo non facit nisi quod vult? & illud quod in paruulis est originale peccatum, ex prima hominis voluntate mala contractum est: non itaque falsum est quod dixi, vsqueadeò peccatum voluntarium est, &c.

f. 154. b. l. 19

DE ACTV PECCATI quo ad suas differentias, scil. quoad actum interiorem & exteriorem.

DISTINCT. Quadragesimæ secundæ
CAP. Primum.

Voluntas mala & actus malus non sunt duo peccata, sed vnum tantùm.

QVia vna præuaricatio vel inobedientia in vtroque admittitur, siue quãdo vult, siue quando agit: & vnus est ibi contemptus, sed minor cùm voluntate solùm peccatum continetur: maior verò cùm voluntati etiã operatio additur. & ideo maius fit peccatum, sed non plura, cùm voluntas operi mancipatur.

Sed quæstioni instant, dicentes hæc duo ideo diuersa esse peccata, quia diuersorũ legis mandatorũ præuaricationes sunt. Alio enim mandato legis prohibetur actio furti, Ex. 20 scil. non furaberis: alio furãdi voluntas, scil. non cõcupisces rem proximi tui. Ad quod illi respondent diuersã quidem esse mandata, quibus illa duo distinctim prohibentur, vt Aug. docet super Exod. quæst. 71 veruntamen in illis nõ obseruatis vna tantùm præuaricatio incurritur, vnumq; cõtrahitur peccatum, licet duo diuersa illis prohibeãtur: sicut è conuerso duo sunt mandata charitatis, quibus duo præcipiuntur diligi: vna tamen in eis commendatur charitas.

Obiectio.

Solutio

CAP. 2. *Peccatum etsi non maneat actu, manet tamen reatu.*

NOn est ignorandum peccatum duobus modis esse in aliquo, & transire, scilicet actu & reatu. Actu est in aliquo, dum ipsum quod peccatum est, vt actio

vel voluntas in peccante est. Reatu verò, cùm pro eo, siue transierit siue adsit, mens hominis polluta est & corrupta, totúsque homo suppliciis obligatur perpetuis: nec vnquam est in aliquo peccatum actu, præter originale, quin sit etiam reatu: sed est reatu intelligendum postquàm transiit actu.

CAP. *Tertium. Reatus & peccatum multipliciter dicitur.*

REatus aliquando pro culpa, aliquando pro pœna, aliquando pro obligatione pœnæ temporalis vel æternæ sumitur. Si enim mortale est, nos obligat pœnæ æternæ: si veniale, pœnæ temporali. Duo enim sunt genera peccatorum, mortalium scil. & venialium. Mortale, est per quod homo mortem æternam meretur. crimen enim (vt ait Aug.) est quod est dignum accusatione & damnatione. Veniale autem, quod pœnam meretur, sed facilè indulgetur.

CAP. *Quartum. Peccatum multipliciter diuiditur.*

PEccatum primò duobus modis dicitur committi, scil. cupiditate & timore: vt Aug. tradit super locum illum Psal. Incensa igni & suffossa. His enim duobus modis dicit omnia peccata mortalia includi: & incensa igni ea dicit, quæ ex cupiditate ma- Psal. 79

lè incendẽte oriuntur. Suffoſſa verò, quæ ex timore malè humiliãte proueniunt. quod eſt quãdo quis cupit non cupienda, vel timet nõ timenda. Alibi verò dicitur peccatum fieri tribus modis, ſcil. cogitatu, verbo, & opere. vnde Hier. ſuper Ezech. Tria generalia delicta ſunt, quibus humanum ſubiacet genus, Aut enĩ cogitatione, aut ſermone, aut opere peccamus. His aliquando etiã additur quartus modus, ſcil. conſuetudinis, quod in quatriduano Lazaro ſignificatum eſt. Dicitur quoque homo peccare in Deum, in ſe, & in proximum. In Deum, cùm de Deo malè ſentit, vt hæreticus: vel quæ Dei ſunt præſumit indignè vſurpare. In proximũ peccat, quãdo eũ iniuſtè lędit. In ſe verò, cùm ſibi & nõ alij nocet. Variam quoq; appellationem habet. Dicitur enim peccatum etiam delictum. Et delictũ fortaſſe eſt (vt ait Aug. in q. Leuit.) declinare à bono. Peccatũ eſt facere malum. Aliud eſt enim declinare à bono, & aliud eſt facere malum. Delictum enim eſt deſertio boni. Peccatum verò, perpetratio mali. Vel delictum eſt quod ignoranter fit: Peccatum, quod ſcienter committitur. Præterea ſciendum eſt ſeptem eſſe vitia capitalia, vel principalia, vt Greg. ſuper Exo. ait, ſcil. inanem gloriam, iram, inuidiam, accediam vel triſtitiam, auaritiam, gaſtrimargiam, & luxuriã, quæ (vt ait Io. Chryſoſt. ſignificata ſunt in

septem populis, qui terram promissionis Israel promissam tenebant. Et hæc dicuntur capitalia, quia ex his oriuntur omnia mala. Ex superbia tamen omnia mala oriuntur, dicente Greg. Radix cuncti mali est superbia. de qua dicitur, Initium omnis peccati est superbia: quæ est amor propriæ excellentiæ. eccl. 10

Obiectio. Quòd si dicas, quia Apost. ait: Radix omniũ malorum cupiditas. Sed vtrũque rectè dictũ intelligitur, si genera peccatorum singulorũ, non singula generum, vtraque loquutione includi intelligantur. Nullum quippe genus peccati est, quod interdum ex superbia non proueniat: nullum etiam, quod ex cupiditate aliquando non descendat. Sunt enim nõnulli hominũ, qui ex cupiditate fiunt superbi: & aliqui ex superbia fiunt cupidi. Nam homo (ait Aug.) vt excellat, cupit diuitias. tali homini ex superbia oboritur cupiditas. Et est aliquis, qui non amaret excellere, nisi putaret per hoc diuitias maiores habere; Ideo ergo excellere laborat, quia diuitias habere amat. huic innascitur superbia, id est amor excellentiæ, ex cupiditate. Patet ergo quòd ex superbia aliquando cupiditas, & ex cupiditate aliquãdo superbia oritur. & ideo de vtraque rectè dicitur, quòd sit radix omnis mali. 1. Ti. vlti.

CAP. *Quintum. Superbiæ quatuor sunt species.*

HOc testatur Grego. Prima est cùm bonum quod habet quis, sibi tribuit. Secunda, cùm credit à deo esse datum, sed tamen pro suis meritis: Tertia, cùm se iactat habere quod non habet: Quarta, cùm cæteris despectis singulariter vult videri.

DE GRAVISSIMO OMnium peccatorum, scilicet in Spiritum sanctum.

DISTINCT. Quadragesimætertiæ

CAP. Primum.

Peccatum in Spiritum sanctum est omnium grauissimum.

Luc.12 DE quo Veritas in Euang. ait: Qui peccauerit in Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque hic, neque in futu-

cap.5. ro. & Ioan. in Cano. Est peccatum ad mortem, non pro eo dico vt quis roget. Qui enim peccat in patrem, remittetur ei. & qui peccat in Filium, remittetur ei. Qui autem blasphemauerit in Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc seculo, neq; in futuro. Hoc autē peccatū in Spir. sanctū quidam dicunt esse peccatū desperationis

obstinatio vel obstinationis. Obstinatio est induratæ mentis in malitia pertinacia, per quam homo fit impœnitens. Desperatio verò est,

desperatio qua quis diffidit penitus de bonitate Dei,

æstimans suam malitiam diuinæ bonitatis magnitudinem excedere: sicut Cayn, qui dixit, Maior est iniquitas mea quàm vt veniã merear. Vtrunque verò dicitur peccatum in Spiritum sanctum, quia Spiritus sanctus est amor patris & Filij, & benignitas qua se inuicem & nos diligunt. quæ tanta est, vt eius finis non sit. Rectè ergo in Spiritum sanctũ delinquere dicuntur, qui sua malitia Dei bonitatem superare putant, & ideo pœnitentiam non assumunt: & qui iniquitati tam pertinaci mente inhærent, vt eam nunquam relinquere proponant. Illam autem solã desperationem vel obstinationem dicunt esse peccatum in Spiritum sanctum, quam comitatur impœnitentia. gen. 4

CAP. *Secundum. In hac vita pro singulis peccatoribus est orandum.*

AVgust. in lib. retra. commemorans definitionem de peccato ad mortem, quã dedit in lib. de sermo. Domi. in monte dicẽs: Peccatum ad mortem est, cùm post agnitionem Dei per gratiam Christi oppugnat aliquis fraternitatem: & aduersus ipsam gratiam qua reconciliatus est Deo, inuidiæ facibus agitatur. quod fortasse est peccare in Spiritum sanctum: dicit addendum fuisse, si in hac scelerata mentis peruersitate *Lib. 1. cap. 9. lib. 1.*

Quid peccatum in mortem.

finierit hanc vitam: quoniam de quocunque pessimo in hac vita constituto non est desperandum: nec pro illo imprudenter oratur, de quo nõ desperatur: vnde illud Ioan. Non pro eo dico vt quis oret, sic accipiendũ videtur, vt pro aliquo peccante ad mortem, vel in Spir. sanctum, postquàm finierit hanc vitam, non oremus. De nullo enim desperandum est, quandiu ad pœnitentiam patientia Dei adducit.

DE POTENTIA peccandi.

DISTINCT Quadragesimæquartæ
CAP. Vnicum.

Potentia peccandi à Deo est.

Ro.13. AIt enim Apost. Non est potestas nisi à Deo. Quod non de potestate boni tantùm (vt quidam dixerunt) sed & mali intelligi oportet: cùm Pilato etiam Veritas Ioã.19 dicat, Non haberes in me vllam potestatem, nisi datum esset tibi desuper. Malitia nempe hominum (vt ait August.) cupiditatem nocendi per se habet: potestatem autem si ille non dat, non habet. Ideoque Dia- Iob.1. bolus antequàm aliquid tolleret Iob, dicebat Domino: Mitte manum tuam, id est da potestatem. quia etiã nocentiũ potestas non Pro.8. est nisi à Deo. Sicut Sapientia ait, Per me

reges regnant, & tyranni per me terram tenent. Vnde Iob de Domino ait, Qui facit regnare hypocritam propter peccata populi. Et de populo Israel dicit Deus, Dedi eis regem in ira mea. Nocendi enim voluntas potest esse ab homine, potestas autem non est nisi à Deo. & hoc abdita aptáque iustitia. Nam per potestatem Diabolo datam iustos Deus facit suos. Sed dubitatur si potestas mali sit à Deo, & non erit resistendum, quia dicit Apost. Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Cùm ergo Diaboli sit potestas mali, Dei ordinatione, eius potestati non erit resistendum. Sed sciendum est Apost. ibi loqui de potestate seculari, scil. rege & principe & huiusmodi, quibus non est resistendum in his quæ iubet Deus ex his exhiberi: sicut in tributis. Si verò princeps vel Diabolus aliquid iusserit vel suaserit contra Deum, tunc resistendum erit. art. 4. 5.

Iob 34.

Osea. 13.

Ro. 13.

obiectio

Solutio

Explicit Epitome in secundum lib. Sentent. Mag. Petri Lombardi.

IN TERTIVM LIBRVM Sententiarum M. Petri. Lombardi Epitome.

DE INCARNATIONE VERBI, seu vnione naturarum ex parte assumentis personæ.

DISTINCT. Primæ CAP. Primum.

Filius congruo tempore carnem assumpsit.

In prioribus duobus li. 12. determinauit de rebus diuinis, sec. quòd à principio egreditur: nũc de rebus diuinis, sec. quòd in Deum volut in finem redeunt.

CVm venit igitur plenitudo temporis (vt ait Apostolus) misit Deus filium
Gal. 4. suum, factum de muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret. Tempus autem plenitudinis dicitur tempus gratiæ, quod ab aduentu Saluatoris exordiũ sumpsit. in quo tempore gratia (qua impletum est quod in lege præcipiebatur) & veritas (qua sponsio humanæ redemptionis
Ioh. 1. facta ab antiquo) perfectè per Iesum Christum facta est. Filij ergo missio est ipsa in-
Phi. 1. carnatio. Eo enim missus est, quòd in forma hominis mundo visibilis apparuit.

Quid est Filiũ missum esse.

CAP. *Secundum. Congruentiùs missus est Filius, quàm alia quæuis Personarum diuinarum.*

QVod vtique congruo ordine atque alto Dei Sapiẽtia fecit cõsilio, vt Deus, qui in sapientia sua mundum condiderat, sec. illud, Omnia in sapientia fecisti Domine, quæ in cælis sunt, & quæ in terris: eadem restauraret. Congruentiùs etiam mitti debebat qui est ab alio, quàm qui à nullo est. Filius autem à Patre est, Pater verò à nullo. Vt enim ait Aug. de Trinit. lib. 4. cap. 20 Sicut ergo Pater genuit, Filius verò genitus est: ita congruè Pater misit, Filius missus est. Ab illo enim conuenienter mittitur Dei verbum, cuius est verbum. Ideoque Pater missus non est, ne si mitteretur, ab alio esse putaretur. Neque etiam Spiritus sanctus in carne missus est. August. de Eccles. Dogmat. cap. 2. Non Pater carnem assumpsit, neque Spiritus san. sed Filius tantùm: vt qui erat in diuinitate Dei Filius, ipse fieret in homine hominis filius, ne filij nomen ad alterum transiret, qui non esset æterna natiuitate Filius, &c. Non ergo duos Christos, neque duos filios, sed Deum & hominem, vnum Filium ac vnigenitum dicimus, manentem in duabus substantiis, sicut ei naturæ veritas contulit, non confusis naturis neque immixtis (sicut Timothiani volunt) sed societate vnitis. Ecce habes quare Filius, non Pater, aut Spir. san. carnem assumpserit: quamuis vterque olim potuerit, & nunc possit homo fieri.

Ps. 103

Pater non est missus.

Spiritus san. non est missus ad incarnandum.

Potuit Pater & Spiritus san. incarnari.

CAP. *Tertium. Quamuis solus Filius sit incarnatus, tamen ipsam carnis assumptionem tota Trinitas operata est.*

SIcut ~~inseparabilis est & indiuisa vnitas substantiæ trium~~ (vt ait Augustin. lib. 1. de Trinita.) ~~ita & operatio.~~ Non tamen eandem Trinitatem natam de Virgine, crucifixam, & sepultam catholici tractatores docuerunt, sed tantùmmodo Filium. Nec eandem Trinita. in specie columbæ super Iesum descendisse, sed tantùm Spiritum san. nec eandem dixisse de cælo, Tu es Filius meus, sed tantùm Patris vocem ad Filium factam fuisse. cap. 4. 169. b. l. 7 *Ad filium solum est assumptio terminata.*

DE INCARNATIONE EX parte naturæ assumptæ.

DISTINCT. Secundæ
CAP. Primum.

Totam hominis naturam assumpsit Dei Filius.

ET quia in homine ~~tota humana natura vitio corrupta erat, totam~~ assumpsit, ~~id est animã & carnem, & horum proprietates siue accidentia~~, non carnem sine anima, nec animam sine ratione, vt hæretici voluerunt: sed ~~& carnem & animam~~

cum sensibus suis. Vnde Iohan. Damasc. ait: Omnia quæ in natura nostra plantauit Deus, verbum assumpsit, scil. corpus & animam intellectualem, & horum idiomata. Totus enim totum assumpsit me, vt toti mihi salutem gratificaret. Quod enim inassumptibile est, incurabile est. Quòd autem humanæ naturæ siue humanitatis vocabulo anima & caro intelligi debeant, apertè docet Hierony. in expositione fidei catholicæ, dicens: Sic confitemur in Christo vnam filij esse personam, vt dicamus duas perfectas & integras esse substantias, id est deitatis & humanitatis, quæ ex anima continetur & corpore. li. 3. de orth. fi. c. 60 ad Dama. to. 4.

CAP. *Secundum. Dei filius carnem assumpsit mediante anima.*

TAntæ enim subtilitatis atque simplicitatis est diuina essentia, vt corpori de limo terræ formato vniri non congruerit, nisi mediante rationali essentia.

CAP. *Tertium. Verbum simul carnem & animam assumpsit.*

VErissimè & absque vlla ambiguitate dicitur, quia ex quo Deus hominem assumpsit, totum assumpsit, sibique simul vniuit animam & carnem. nec ipsa caro priùs fuit concœpta, & postmodùm assum-

pta, sed in concœptione assumpta, & in assumptione concœpta. Vnde Augustlib.de fid.ad Petrum, Firmissimè tene, & nullatenus dubites, non carnem Christi sine diuinitate concœptam in vtero Virginis priùs quàm susciperetur à verbo: sed ipsum verbum Deum suæ carnis acceptione concœptum, ipsámque carnem Verbi incarnatione concœptam. Idē ait lib.1.de Trini.& Greg. in Moral. Angelo nunciante, & Spiritu aduenie~~nte, mox Verbum in vtero~~, mox intra vterum Verbum caro.

cap.18.

ead.vlt.

f. 180.b.l.25.
l. 1.

DE CONDITIONE NATURÆ ASSUMPTÆ.

DISTINCT. Tertiæ
CAP. Primum.

Verbum assumpsit naturam ab omni peccato immunem.

SAnè dici potest & credi oportet, iuxta Sanctorum attestationes, conuenientiam ipsam priùs peccato fuisse obnoxiam, sicut reliqua Virginis caro, sed Spiritus sancti operatione ita mundatam, vt ab omni peccati contagione immunis vniretur Verbo, pœna tãtùm non necessitate, sed voluntate assumentis remanente. Ita enim Angelus ad Virginem, Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei.

Luc.1.

f. 149.a.l.19
f. 142.a.l.25
f. 169.a.l.11
fol. 150.b.l.26.
1091

CAP. *Secundum. Mater Christi fuit præuenta ab omni peccato.*

AVgust.de Nat.& grat.ait: Excepta sancta Virgine Maria,de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cùm de peccatis agitur,haberi volo quęstionem. Inde enim scimus, quòd ei plus sit gratiæ collatum ad vincendum omni ex parte peccatũ,quòd cõcipere & parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum. Hac ergo Virgine excepta, si omnes sancti & sanctæ aggregari possent, & quæreretur ab eis an peccatum haberent,quid responderetur, nisi quod Iohan.ait,Si dixerimus quia peccatum non habemus,nosipsos seducimus. Illa autem ~~Virgo singulari gratia præuenta est atque repleta~~, vt ipsum ~~haberet ventris~~ sui ~~fructum,quem ex initio habuit vniuersitas Dominum~~: vt illud quod nascebatur ex propagine primi hominis,tantummodo ~~generis,non criminis,originem duceret~~.

cap.36

1.Io.1.

fol. 111. a
e. 19.
f. 177. l. 23.
180. b.

CAP. *Tertium. Christus non fuit decimatus in Abraham, sicut Leui.*

AVgust.su.gen.Sicut,inquit,in Adam peccante qui in lumbis eius erant peccauerunt: sic Abraham dante decimas, qui in lumbis eius erant decimati sunt. Sed hoc

lib.10 cap.2.

non sequitur in Christo, licet in lumbis Adæ & Abrahæ fuerit, quia non sec. concupiscentiam carnis inde descendit. Cùm ergo Leui & Christus sec. carnem essent in lumbis Abrahæ quando decimatus est, ideo pariter decimati non sunt: quia sec. aliquem modum non erat ibi Christus, quo Leui. Secundum rationem quippe illam seminalem ibi fuit Leui, qua ratione per concubitum venturus erat in matrem. Secundum quam rationem non erat ibi Christi caro: quamuis sec. ipsam ibi fuerit Mariæ caro. Quocirca primitias nostræ massæ rectè Christus assumpsisse dicitur: quia non carnem peccati, sed similitudinem carnis peccati accepit. Misit enim Deus filium suum (vt ait Apost.) in similitudinem carnis peccati. Assumpsit enim Verbum carnem peccatrici similem in pœna, & non in culpa. & ideo non peccatricem. Cætera verò hominum omnis caro peccati est. Sola illius non est peccati caro: quia non eum mater concupiscentia, sed gratia cõcœpit. Habet tamen similitudinem carnis peccati per passibilitatem & mortalitatem, quia esuriit, sitiit, &c.

Christus erat in lũbis Abrahæ sec. corpulentam substantiam, non autem sec. rationem seminalem, vt Leui.

DE AGENTE QVO FORmata est natura assumpta.

DISTINCT. Quartæ
CAP. Primum.

Incarnatio tribuitur Spiritui san. specialiùs, licet sit opus totius Trinitatis.

NOn ideo operatio incarnationis Spiritui san. sæpius tribuitur, quòd eam ipse solus sine Patre ac Filio fecerit (Neque enim separabilia sunt opera Trinitatis, vt ait Augustin. in Enchirid.) sed quia cap. 38
Spiritus san. est charitas ac donum Patris ac Filij, & ineffabili Dei charitate Verbum caro factum est, & ineffabili Dei dono filius Dei sibi vniuit formam serui. Non ergo frequens denominatio Spir. sancti ab illo opere Patrem vel Filium secludit: sed potiùs vno nominato tres intelliguntur: sicut sæpe fit in aliis operibus. Ioh. 1. Phi. 2.

Nō in operationibus essentialibus, sed tātùm notionalibus vna persona aliam excludit.

CAP. *Secundum. Etsi Christus dicatur concœptus & natus de Spiritu sancto, non tamen dicendus est Filius Spiritus sancti.*

PRoinde cùm fateamur Christum natum de Spiritu san. ex Maria virgine, quomodo non sit filius Spiritus sancti, & sit filius Virginis, quum & de illo & de illa sit natus, explicare difficile est. Proculdubio nō sic de illo, vt de Patre: Sic autem de illa, vt

de matre, natus est. Non est autem concedendum, ~~quicquid de aliqua re nascitur, continuò eiusdem rei filium nuncupandum~~. Vt enim omittã aliter de homine nasci filium, aliter capillum, aliter pediculum & lumbricum, quorum nihil est filius. Vt ergo hæc omittam, quoniam tantæ rei deformiter comparantur: certè qui nascuntur ex aqua & Spiritu sancto, non aquæ filios eos quispiam rectè dixerit: sed dicuntur Filij Dei patris, & matris Ecclesiæ. Sic ergo de Spiritu san. natus est Christus, nec tamen filius est Spiritus sancti. Sicut è conuerso, non omnes qui dicuntur alicuius filij, consequens est vt de illo etiam nati esse dicantur, vt illi qui adoptantur. Dicuntur etiam filij gehennæ, non ex illa nati, sed in illam præparati, &c. Modus ergo iste quo natus est Christus de Maria, sicut Filius, & de Spiritu san. non sicut Filius, insinuat nobis gratiam Dei, qua homo nullis præcedentibus meritis, in ipso naturæ suæ exordio quo cœpit esse, verbo Dei copularetur in tantam personæ vnitatem, vt ~~idem esset filius Dei, qui filius hominis: & filius hominis, qui filius~~ Dei. Et sic in naturæ humanæ susceptione fieret quodãmodo ipsa gratia illi homini naturalis, qua nullũ possit admittere peccatũ. Quæ gratia per Spi. san. ideo significata est, quia ipse propriè sic est Deꝰ, vt sit etiã

Dei donum. Dicitur etiam cõceptus & natus de Spiritu san. non quòd Spiritus san. fuerit Virgini pro semine (non enim de substantia Spiritus san. semen partus accepit) sed quia per gratiam Dei & operationem Spiritus san. de carne Virginis est assumptum quod Verbo est vnitum. Vnde Ambr. libr. 2. de Spiritu san. ait: Quod ex aliquo est, aut ex substantia, aut ex potestate eius est. Ex substantia, sicut Filius, qui à Patre, vel ex Patre: & Spiritus san. qui à Patre & Filio procedit. Ex potestate autem, sicut ex Deo omnia. Quomodo ergo in vtero habuit Maria ex Spiritu sancto? Si quasi ex substantia: ergo Spiritus san. in carnem & ossa conuersus est. non vtique. Si verò quasi ex operatione & potestate eius Virgo concepit, quis neget Spiritum san. Dominicæ incarnationis authorem? cap. 5. to. 2.

CAP. *Tertium. Christum factum esse & natum fatendum est.*

QVia enim non humano semine concreata est caro Domini in vtero Virginis, & corpus effecta, sed effectu & virtute Spiritus sancti: ideo Apost. dicit, factum, non natum. Aliud est enim semine admixto & sanguine coagulato generare: Aliud, non permixtione, sed virtute procreare. Possunt enim homines generare

filios, sed nõ facere. Ecce quare dixit Apost. factum, & non natum: ne eius scil. natiuitas, quæ fuit sine virili semine, nostræ similis putaretur, quæ conficitur seminum cõmixtione. Ideo autem cùm factum diceret Apost. addidit ex semine Dauid: quia etsi non interceſsit semen hominis in concœptione Virginis, tamen quia ex ea carne Christus formatus est, quæ constat ex semine, rectè dicitur quia factus est ex semine Dauid.

DE MODO VTRIVSque naturæ, scil. assumentis & assumptæ.

DISTINCT. Quintæ

CAP. Primum.

Persona naturam assumpsit.

De his quæ conueniunt naturæ Diuinæ ratione humanæ naturæ.

Aug. p. 2. AVgust. ait libr. de fid. ad Petr. Sic Deus humanam naturam in vnitatem personæ suscepit, quòd se humilians per misericordiam, incorruptæ Virginis vterum, ex ea nasciturus impleuit. Formam ergo serui, id est naturam serui, in suam accepit ille Deus personam.

CAP. *Secundum. Natura non assumpsit naturam.*

LEgitur in Conc. Toletano 8. sic traditum : Solum Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Et cùm tota Trinitas operata sit formationem susceptihominis (quoniam inseparabilia sunt opera Trinitatis) solus tamen Filius accepit hominem in singularitatẽ personæ, non in vnitatem diuinæ naturæ, id est quod est proprium Filij, non quod commune est Trinitati. Si autem quod commune est Trinitati, non accepit hominem: ergo non natura diuina, quæ communis est tribus personis.

Obiectio. Huic videtur obuiare quod ait Augustlibr. de fid. ad Petr. Nec diuinitas, inquit, Christi aliena est à natura Patris, sec. illud, In principio erat Verbum. Nec humanitas eius aliena est à natura Patris, sec. quod Verbum caro factum est. Illa enim natura, quæ semper genita manet ex Patre, naturam nostram sine peccato suscepit, vt nasceretur ex Virgine. Hac authoritate videtur tradi, quòd diuina natura humanam susceperit. quod & 1. libr. de Trinita. rursus affirmare videtur. & Hierony. in explanatione fidei, cùm tamen solum verbum naturam assumpsisse dicamus.

Dilutio. Nos autem omnis menda Dacij & contradictionis notam à sacris paginis secludere cupientes, orthodoxis patribus atque catholicis doctoribus nulla prauæ intelligentiæ suspitione notatis consen-

timus, dicentes & personam Filij assumpsisse naturam humanam, & naturam diuinam humanæ naturæ in Filio vnitam, eandémque sibi vniuisse vel assumpsisse. Vnde & verè incarnata dicitur. Quod verò dicitur solum Verbum assumpsisse naturam humanam, per hoc non excluditur ~~diuina natura ab acceptione seruilis formę~~, sed alię duæ personæ. Vnde quando dicimus ~~naturam Verbi incarnatam esse, sec. beatos~~ Athanasium & Cyrillum, ~~deitatem dicimus esse vnitam carni, & vnam naturam Dei Verbi incarnatam confitemur~~. Verbum enim & quod commune est substantiæ possidet: & quod proprietatis est habens hypostaseos, id est personæ. Ideo in humanatione Dei Verbi (vt dicit Iohan. Damasc.) aimus omnem & perfectam naturam deitatis in vnam eius hypostaseon incarnatam esse, id est vnitam humanæ naturæ, & non partem parti. Omni enim humanæ naturæ aimus esse vnitam omnem deitatis naturam vel substantiam.

Hac cõcedenda est, Diuinitas est incarnata. sed non ista, diuinitas est crucifixa, vt dicit S. Tho. 3. d. 5. q. 2. ar. 2. ad 4.

An Diuina natura debeat dici caro facta. *Quæstio.*

Si enim idẽ est incarnari, quod carnẽ fieri, videri potest ita debere dici, ꝙ sit caro facta, sicut dicitur incarnata. Quia illud subticuit *Responsio.*

Scripturæ ſacræ authoritas, atq; loquutionis modus, nimiã videretur haberet expreſſionẽ, ſi natura diuina diceretur caro facta. Melius ſilere hoc puto vel negare, quàm temere aſſerere: ne ſiſi illud dicatur, conuertibilitas naturæ in naturam ſignificari putetur. Similiter neque diuina natura dicetur homo facta: quia licet hominis formam ſibi vniuerit, non tamen in ſingularitatem & vnitatem ſui. Licet quidam concedant, & quòd diuina natura ſit homo, & quòd ſit facta homo.

Diuina natura non eſt homo facta.

CAP. *Tertium. Perſona non aſſumpſit perſonam hominis.*

NAm caro illa & anima illa non erant vnita in vnam perſonam quam aſſumpſerit, quia non ex illa conſtabat perſona, quando illis vnitum eſt Verbum. Nam ſibi inuicem vnita ſunt ſimul cum verbo. Alia tamen vnione vnita ſunt ſimul, & alia vnione vnita cum Verbo.

Obiectio, Quòd Verbum perſonam aſſumpſerit.

Perſona enim eſt ſubſtantia rationalis indiuiduę naturæ: hoc autem eſt anima: ergo ſi animam aſſumpſit, & perſonam. Aliter quoque, quia aſſumpſit hominem Ieſum

Christnm, ergo aliquem hominem. Quòd autem hominem Iesum Christum assumpserit, Augu. in expositio. symboli sub anathemate tradit, dicens: Si quis dixerit atque crediderit hominem Iesum Christum à Filio Dei assumptũ non fuisse, Anathema sit. Qui etiam in pluribus scripturæ locis huiusmodi vtitur loquutionibus. Vnde Proph. de Christo homine loquens, sic ait: Beatus quem elegisti & assumpsisti. Ad primum dicendũ, quòd anima non est persona, quando alij rei vnita est personaliter, sed quando per se est. Absoluta enim à corpore persona est, vt Angelus. Illa autem anima nunquam fuit quin esset alij rei coniuncta. Ad aliud, dicendum præmissas loquutiones eisque consimiles secun. hunc sensum accipiẽdas, vt homo Christus, vel homo ille dicatur assumptus à verbo. Non quia hominis persona sit assumpta: sed quia illa ~~anima & caro ita sunt assumpta, in quibus subsistit persona Dei & hominis~~, vt ad hominis naturam, non personam, respicias.

Ps. 64

Dilutio.

DE OPINIONIBVS ET LOquutionibus exprimentibus Verbi incarnationem.

DISTINCT. Sextæ

Quæstio. An sint istæ loquutiones veræ.

Deus factus est homo, & homo factus est Deus.

CAP. Primum.

Opinio multiplex est.

1. QVidam dicunt in ipsa Verbi incarnatione hominem quendam ex anima rationali & humana carne constitutum: Ex quibus duobus omnis verus homo constituitur. & ille homo cœpit esse Deus: & Deus cœpit esse homo ille. Et sic concedũt Deum factum esse hominem, vel esse hominem: quia Deus factus est, id est cœpit esse quædã substãtia ex anima rationali & huma na carne subsistens. Et illa substãtia facta est, id est cœpit esse Deus: non tamen demigratione naturæ in naturam: sed vtriusque naturę seruata proprietate factum est vt Deus esset illa substantia, & illa substantia esset Deus. Vnde verè dicitur, Deus factus est ho mo, & homo factus est Deus, & Deus est ho mo, & homo est Deus, &c. Neque tamen fatemur hominem illum ex duabus naturis esse compositum, nec illius partes duas esse naturas, diuinam scil. & humanam, sed animam tantùm & carnem. Quam sententiam pluribus muniũt testimoniis. Ait enim Augustin. in Enchirid. Quid natura humana in Christo homine meruit vt in vnitatem personæ vnici Filij Dei singulariter assum-

Opinio prima.

tract 78.

ca. 39.

pta esset ? Quæ bona voluntas ? Quæ bona opera præcesserunt, quibus mereretur iste homo fieri vna persona cum Deo? Nunquid antea fuit homo, & hoc ei singulare beneficium præstitum est, vt singulariter promeretur Deum ? Nempe ex quo homo cœpit esse, non aliud cœpit esse homo, quàm Filius Dei : & hic vnicus, & propterea Dei Verbum, quia est ab illo susceptа caro, facta est vtique Deus. vt quemadmodùm vna est persona quilibet homo, anima scil. & caro: ita sit Christus vna persona, Verbum & homo. Idem super Iohan. tract. 78.

Sunt autem & alij qui istis in parte consentiunt, sed dicunt hominem illum non ex anima rationali & carne tantùm, sed ex humana & diuina natura, id est ex tribus substantiis, diuinitate, carne, & anima constare. Et hunc Iesum Christum fatentur, & vnã personam tantùm esse, ante incarnationem verò solùmmodo simplicem, sed incarnatione factam compositam ex diuinitate & humanitate. Nec est ideo alia persona quàm prius: sed cùm priùs esset Dei persona tantùm, in incarnatione facta est etiam hominis persona : non vt duæ essent personæ, sed vt vna & eadem esset persona Dei & hominis . Persona ergo quæ priùs erat simplex, & in vna tantùm natura existens, in duabus & ex duabus subsistit naturis.

Sec. opinio

Hanc sentẽtiam probant ex Aug. in lib. Sentent. Prosperi: Modis omnibus approbare contendimus sacrificiũ Ecclesiæ duobus constare, duobus confici, visibili elementorum specie, & inuisibili domini nostri Iesu Christi carne & sanguine, sacramento & re sacramenti, id est corpore Christi. Sicut persona Christi constat & conficitur ex Deo & homine, quum & ipse Christus sit verus Deus & verus homo. Et Ioh. Damasc. hypostasin Verbi incarnati compositam ex duabus perfectis naturis appellat. li. 3. de ort. fi. cap. 5.

3 ter. opinio.

Sunt etiam alij, qui incarnatione Verbi non solùm personam ex naturis compositã negant, verùmetiam hominem aliquem siue etiam aliquam substantiam ibi ex anima & carne compositam vel factam diffitẽtur. Sed sic illa duo, scil. animam & carnẽ, verbi personæ vel naturæ vnita esse aiunt, vt non ex illis duobus, vel ex iis tribus aliqua natura vel persona fieret siue componeretur: sed ex illis duobus, velut indumento, Verbum Dei vestiretur, vt mortalium oculis congruenter appareret. Qui ideo dicitur verus factus homo, quia veritatem carnis & animæ accepit, &c. qui sec. habitũ Deum factum hominem dicunt. Accipiendo enim hominem dictus est Deus, factus est homo. & propter acceptum hominem dicitur Deus verè esse homo: & propter assumentem Deum dici-

tur homo esse Deus. Nã si essentialiter (inquiunt illi) Deus esse homo, vel homo esse Deus intelligeretur, tunc si Deus assumpsisset hominẽ in sexu muliebri, & mulier essen tialiter esset Deus, & è conuerso. At potuit Deus assumpsisse hominẽ in sexu muliebri: potuit ergo mulier esse Deus, & è cõuerso.

Hanc sententiã aliquot testimoniis con
ep. 120 ad Ho nora. firmant. Ait enim Aug. lib. de gra. no. testa. Sicut non augetur numerus personarũ cùm caro accidit animæ vt sit vnus homo: sic nõ augetur numerus personarũ cùm homo accedit verbo vt sit vnus homo Christus. Idem
Phi. 2. q. 37. quoque tractans illud verbum Apost. Habitu inuentus vt homo, manifestè ostẽdit Deũ dici factum esse hominem, vel esse hominem secundum habitum.

DETERMINATIO LOquutionum iuxta opiniones prædictas.

DISTINCT. Septimæ CAP. Primum.

Secundum primam opinionem dicitur Deus factus homo, & homo factus Deus.

QVia Deus cœpit esse quædam sub- 1.
stantia rationalis quæ antè non fuerat, & illa substantia cœpit esse

Deus, & hoc gratia, non natura vel meritis habuit. Vnde rectè dicitur Christus, inquantùm homo, prædestinatus Filius Dei. Et sic cõcedunt, quòd Deus est aliquid quod semper fuit, Origenis innitentes testimonio, qui ait: Factus est sine dubio id quod priùs non erat, sed addidit, secundum carnem: secundum Deum verò erat priùs, & non erat quando non erat. *in L. 6 ad Rom. to. 3.*

CAP. 2. *Secundũ opinionem secundam hæ duæ loquutiones differunt, Deus factus est homo, & Deus est homo.*

2. CVm dicitur, Deus factus est homo, intelligitur cœpisse esse subsistens ex duabus naturis vel tribus substantiis: & é conuerso, homo factus est Deus: quia subsistens in duabus naturis, cœpit esse Deus. Variatur autem intelligentia cùm dicitur, Deus est homo, & homo est Deus. Dicitur enim Deus esse persona subsistens in duabus & ex duabus naturis: & persona subsistens in duabus & ex duabus naturis, dicitur esse Deus, id est Verbum vel natura diuina. Potest enim prædicari persona simplex vel natura de persona composita. Et sic isti dicunt Christum esse prædestinatum, inquantùm est homo, id est inquantum est subsistens ex duabus substantiis, scilicet anima & carne.

CAP. 3. *Secundum tertiam opinionem duæ superiores loquutiones varium habent sensum.*

IN hac ergo sententia sic dicitur, Deus factus est homo, quia hominem accepit. Sic dicitur esse homo, quia hominem habet, vel quia est habens hominem. & homo factus Deus, quia assumptus est à Deo, & homo esse Deus, quia habens hominẽ est Deꝰ. Cùm ergo dicitur, Deus est homo, vel habitus prædicatur, vel persona, sed humanata. Et quòd persona humanata prædicetur, Cassiod. videtur ostendere dicens, Factus est (vt ita dixerim) humanatus Deus, qui etiam in assumptione carnis esse Deus non destitit. Quod tamen variè accipi potest, vt dicatur Deus factus humanatus, vel Christus factus Deus humanatus. vtrunque enim sanè dici potest. Cùm ergo dicitur, factus est Deꝰ homo, multiplex secundum istos fit intelligentia, vt naturam humanam accepisse, vel humanatum verbũ esse incœpisse intelligatur. Nec tamẽ si incœpit humanatum verbum, ideo sequitur ꝙ incœperit esse verbũ: si Deus factus est humanat verbũ, sequitur quòd factus sit verbum. sicut de aliquo dicitur, Hodie iste cœpit esse bonus homo, vel factus est bonus homo: nec tamen hodie cœpit esse homo, vel factus est homo.

CAP. *Quartum. Christus non debet dici homo dominicus.*

LIcet autē Christus dicatur homo Deꝰ, non tamen congruè dicitur homo dominicus. Vnde Aug. lib. Retracta. Non video vtrum rectè dicatur homo dominicus, qui est mediator Dei & hominū, Christus Iesus, quum sit vtique Dominus. Et hoc quidem vt dicerem apud quosdam legi Catholicos tractatores. Sed vbicunque hoc dixi, dixisse me nollem. *Lib. 1. ca. 19.*

Relinquit Lectori exactiùs quæstionem discutiendam.

Satis diligenter, iuxta diuersorum sententiam, suprà positam absque assertione & præiudicio tractauimus quæstionem. Verūtamen nolo in tanta re tamque ad cognoscendum difficili putare lectorem istam sibi debere sufficere nostram disputationem: sed legat & alia fortè meliùs considerata, & tractata discutiat.

DE CONSEQVENTIBVS Incarnationem.

DISTINCT. Octauæ

CAP. Primum.

Persona diuina dicitur nata de Virgine, & non natura.

VIdetur tamen posse probari quòd natura diuina nata sit de Virgine: quia si hoc est nasci Deum de Virgine, scilicet hominem assumere in vtero Virginis, quum natura diuina superiùs dicta sit hominem assumpsisse, videtur debere dici nata. De hoc Augusti. lib. de Fid. ad Petrum: Natura, ait, æterna atque diuina non posset temporaliter concipi & nasci ex natura humana, nisi secundum susceptionem veritatis humanæ, veram temporaliter cõcœptionem & natiuitatem ineffabilis in se diuinitas accepisset. Sic est Deus æternus veraciter secundum tempus & concœptus & natus ex Virgine. Ista authoritate videtur insinuari, quòd nata diuina sit natura & concœpta de Virgine. Sed si diligẽter notentur verba, potiùs de persona agi intelligetur, quæ sine dubitatione & de Patre & de matre nata esse dici debet. Nam natura nõ debet dici nata de Virgine, quum non sit nata de Patre. Quæ enim res non est de patre genita, non videtur de matre nata, ne res aliqua filiationis nomen habeat in humanitate, quæ illud non teneat in diuinitate.

CAP. *Secundum. Christus natiuitate gemina natus est.*

AVguſt.lib.de fid.ad Pet. Pater Deus de ſua natura genuit Filium Deũ ſibi coæqualem & coæternum. Idem quoque vnigenitus Deus ſecundò natus eſt ex patre ſemel,ex matre ſemel. Natus eſt enim de patre Dei verbum, natus eſt de matre verbum caro factum. ~~Vnus ergo atque idem Filius natus eſt ante ſecula, & natus eſt in ſeculo:~~ & vtraq; natiuitas vnius eſt Filij Dei.ſ. diuina & humana. Hoc idẽ teſtatur Io.Damaſ. cap.2. Li.3. cap.3.

DE IIS QVAE CONVENIVNT naturæ humanæ ratione naturæ diuinæ vnitæ.

DISTINCT. Nonæ
CAP. Primum.

Vna adoratione adoratur humanitas in Chriſto qua diuinitas.

QVibuſdam videtur quòd non illa adoratione,quæ ~~Latria~~ eſt,ſit Chriſti humana natura adoranda, ſed illa quæ eſt ~~Dulia~~: cuius duas ponũt ſpecies. Eſt enim cuiuſdã modi dulia,quæ creaturę cuilibet exhiberi poteſt: & eſt quædã ſoli humanitati Chriſti exhibenda, non alij creaturæ: quia Chriſti ~~humanitas~~ ſupra omnẽ creaturam eſt veneranda & diligẽda: non tamen adeò ~~vt cultus diuinitati debitus ei exhibeatur: qui in dilectione & ſacrificij~~ exhibi-

Latria dulia. Species dulię.

f.168.b.C.18.

tione & reuerẽtia consistit: qui Latinè dicitur Pietas, Græcè autẽ Theosebia. i. Dei cultus: vel Eusebia, id est bonus cult⁹. Hic enim cultus est soli creatori debitus.

Quibus colitur deus.

Aliis autem placet Christi humanitatẽ vna adoratione cum verbo esse adorãdam, non propter se, sed propter illum cuius scabellum est, cui est vnita. Nec qui hoc facit, Idololatriæ reus debet iudicari: quia nec soli creaturæ, nec propter ipsam, sed creatori cum humanitate & in humanitate sua seruit. De hoc Iohan. Damascen ait: Duæ sunt naturæ Christi ratione & modo differentes, vnitæ verò secundum hypostasin. Vnus ergo Christus est Deus perfect⁹, & homo perfectus, quem adoramus cum patre & Spiritu, vna adoratione cum incontaminata carne eius: non inadorabilem carnem dicentes. Adoratur enim in vna Verbi hypostasi: quæ hypostasis generata est: non creaturæ venerationem præbentes. Nõ ergo vt nudã carnem adoramus, sed vt vnitam deitati, in vnam hypostasin Dei Verbi duabus reductis naturis. Timeo carbonem tangere propter ligno copulatum ignem. Adoro Christi Dei mei simul vtranque naturam propter carni vnitam deitatem. Non enim quartam appono personam in Trinit. sed vnam personam confiteor verbi & carnis eius. Idem ait Aug. in quodam serm. dicens:

li. 3. de ort. fi. cap. 8.

hom. in Ioh. 14

DE IIS QVAE CONVENIVNT Christo ratione naturæ humanæ. Primò quæ conueniunt quò ad dignitatem, tum naturalem, tum gratiæ.

DISTINCT. Decimæ

CAP. Primum.

Christus secundum quòd homo, non est persona.

QVidam dicunt Christum secundũ hominem nõ esse personam, nec aliquid, nisi fortè, secũdum, sit expresiuũ vnitatis personæ. Secundum, enim multiplicem habet rationem: Aliquando enim exprimit conditionem vel proprietatẽ diuinæ naturæ vel humanæ: aliquando vnitatẽ personæ, aliquando notat habitũ, aliquando causam. Cuius distinctionis rationẽ diligenter lector animaduertat, atque in sinu memoriæ recondat, ne eius confundantur sensus, cùm de Christo sermo occurrerit. Istud autẽ affirmant, quia si sec. ℘ homo persona est, vel 3. in Trinit. vel alia. Sed, alia nõ ergo 3. in Tri. persona. At si sec. ℘ homo persona est 3. in Trin. ergo Deus. Nemo autẽ cõcedet quòd Christus secun. quòd homo sit Deus. Nec sequitur ℘ si Christus sec. ℘ homo, est substantia rationalis, sit persona. Nam & modo anima Christi est rationalis substãtia, nõ ta-

men persona: quia alij rei coniuncta. Nec illa personæ descriptio data est pro illis tribus personis. Neque etiã sequitur Christũ esse personam, quia est prædestinatꝰ vt sit Filius Dei: quia sec. hominẽ est prędestinatus vt sit Filius Dei: quia per gratiã hoc habet sec. hominẽ. Nec tamẽ sec. hominẽ est Filiꝰ dei, nisi fortè, secũdũ, vnitatis personę sit expresiuũ: vt sit sensus, Ipse qui est homo, est Dei Filius: vt autem ipse ens homo, sit Filius Dei, per gratiam habet. Sed si causa notetur, falsum est: non enim quo homo est, eo Dei Filius est.

Christus prædestinatus. f. 175. b. l. 16.

CAP. 2. *Christus non est adoptiuus Filius.*

QVia natura Christus Dei Filius est, nõ adoptionis gratia: nõ autem sic dicitur Filiꝰ natura, sicut dicitur Deus natura. Non enĩ eo Filius est, quo Deus est: quia proprietate natiuitatis Filius, natura diuinitatis Deus est. & tamẽ dicitur natura vel naturæ Filius, quia naturaliter est Filius, eãdem scil. habens naturam, quam ille qui genuit. Adoptiuus autem Filius non est, quia prius non fuit, & postmodùm adoptatus est in Filium. Christus enim nunquam fuit non Filius Dei: ideo nec est adoptiuus Filius. Vnde Hieron. in epi. ad Eph. ait: de Christo Iesu scriptum est, quia semper cùm patre fuit: & nunquam eum vt esset voluntas paterna

Filius naturã.

to. 9. Sup. illud, in charita te prædestinans.

præcesſit: & ille quidem natura Filius eſt, nos verò adoptione.

DE IIS QVAE CONVENIVNT Chriſto ratione humanæ naturæ, quantùm ad defectus qui naturam ſequuntur.

DISTINCT. Vndecimæ

CAP. Vnicum.

Chriſtus non eſt factus, neque creatus.

Ioa. 1.

AVguſt. 1. lib. de Trin. ita inquit: In principio erat Verbum; & verbum caro factum eſt, & omnia per ipſum facta ſunt. cap. 6. Neque dicit omnia, niſi quæ facta ſunt, id eſt omnem creaturam. Vnde liquidò apparet ipſum factum non eſſe, per quem omnia facta ſunt. & ſi factus non eſt, creatura non eſt. Si autem creatura non eſt, eiuſdem cum patre ſubſtantiæ eſt. Omnis enim ſubſtantia quæ Deus non eſt, creatura eſt: & quę creatura non eſt, Deus eſt. Sed ſi Filius eiuſdem ſubſtantiæ nõ eſt cuius pater, ergo facta ſubſtantia eſt: & ſi facta ſubſtantia eſt, non omnia per ipſum facta ſunt. At omnia per ipſum facta ſunt, facta ergo ſubſtantia nõ eſt: ſed vna cũ patre infecta ſubſtãtia eſt. Idẽ lib. 83. Quæſt. & Amb. lib. 1. de fid. idẽ affirmat, dicens: Arrij hæc fuiſſe perfidia legitur, vt Chriſtũ creaturam faceret. Ideo effuſa ſunt cap. 6. ca. 9. lib. 6. cap. 7.

Arrij perfidia

Arrij viscera, atque crepuit medius, prostratus in faciem ea quibus Christum negauerat, fœda ora pollutus.

Nec ex eo quòd Christus sec. hominem dicitur esse creatura, potest quis progredi sic argumentando: Si sec. quòd homo Christus est creatura, vel rationalis, vel non, vel quæ est Deus, vel non: nitens per hoc probare Christum esse aliquid non diuinum: quia quod ipse est sec. hominem, ipse est. Et ideo si sec. hominem est aliqua substantia nõ diuina, est vtique aliquid non diuinum. Sed ex tropicis loquutionibus non est recta argumentationis processio. Illa autem loquutio tropica est, qua Christus dicitur creatura, vel simpliciter, vel cum adiunctione. *Dilutio cuiusdã obiectionis.*

DE INCOEPTIONE.

DISTINCT. Duodecimæ

CAP. Primum.

Christus non incœpit esse.

SI ad personam respicias, confidenter dic hominem illum semper fuisse: Si verò ad naturam hominis, concede eum cœpisse. Aug. sup. Psal. Christus noster etsi fortè homo recens est, tamen est æternus Deus. Alibi verò legitur, quòd puer ille creauit stellas. & Christus dicit se principium, *Ps. 80*

& esse ante Abraham. His ergo atque aliis authoritatibus in nullo resultantes, dicimus hominẽ illũ, inquantũ homo est, cœpisse: inquãtum verbum est, semper fuisse. Hic enim absq; distinctione non est ferenda respõsio.

CAP. *Secundum. Christus ex alio quàm ex Adam carnem sumere potuit.*

QVia gratia tantùm assumpta est anima illa & caro à verbo Dei: Vt enim ait Augusti. In rebus per tempus ortis illa summa gratia est, quòd homo in personæ vnitate coniunctus est Deo. Potuit ergo Deus aliam animam & aliam carnem assùmere, & carnem vtique aliunde, quàm de genere Adam Vnde Aug. lib.13.de Tri. ait: Potuit itaq; Deus hominem aliunde suscipere, in quo esset mediator Dei & hominum, non de genere illius Adam, qui peccato suo obligauit genus humanum, sicut ipsum quem primò creauit, non de genere alí cuius creauit. Poterat ergo vel sic, vel alio quo vellet modo, creare vnum aliũ, de quo vinceretur victor prioris. Sed melius iudicauit, & de ipso quod victum fuerat, genere assumere hominem, per quem hominis vinceret inimicũ. Et tamẽ ex Virgine, cuius cõceptũ Spiritus, nõ caro: fides, nõ libido præuenit, nec interfuit caruis concupiscentia qua

Li.13. de tri. cap.19

cæteri concipiuntur, qui originale trahunt peccatum. ſed credendo, non concumbendo, facta eſt fœcundata virginitas.

CAP. *Tertium. Chriſtus peccare non potuit.*

HIc diſtinctione opus eſt, vtrum de perſona, an de natura agatur. Si enim de perſona agitur, manifeſtum eſt ꝙ peccare non potuit, nec Deus non eſſe potuit. Si verò de natura, diſcutiendum eſt vtrum agat de ea vt verbo vnita, an de ea tanquàm non vnita verbo, & tamen enti, id eſt an de ea ſec. quòd fuit vnita verbo, an de ea ſec. quòd eſſe potuit, & non vnita verbo. Non eſt enim ambiguum animam illam entem vnitam verbo peccare non poſſe. Et eſt ſine ambiguitate verum, eandem ſi eſſet & non vnita verbo, poſſe peccare. Nec obſtat impeccabilitati eius liberum arbitr. quia Angeli in gratia confirmati, libero fulgentes arbitr. peccare non poſſunt. Et illud Eccleſ. 31. Qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, &c. de membris eſt intelligendum.

Chriſtus liberum habuit arbitr.

Conuenientiùs aſſumpſit humanam naturam in ſexu virili quàm fœmineo.

q. 11. Auguſt. lib. 83. Quæſt. Hominis liberatio in vtroque ſexu debuit apparere. ergo quia virum oportebat ſuſcipere, qui ſexus

honorabilior est, consequens erat & fœminei sexus liberatio.

DE PERFECTIONIBVS naturæ humanæ in Christo ratione vnionis ad Verbum.

DISTINCT. Decimætertiæ
CAP. Primum.

Christus ab instanti suæ conceptionis fuit plenus gratia.

PRæterea sciendum est Christum sec. hominem ab ipsa conceptione recepisse gratiæ plenitudinem, cui Spiritus datus est non ad mensuram, in quo plenitudo diuinitatis corporaliter habitat. Ita verò habitat (vt ait August. ad Dard.) quòd omni gratia plenus est. non ita habitat in Sanctis, vt in nostro capite inest sensus singulis membris, sed non quantùm in capite. (Ibi enim & visus est, & auditus, & gustus, & olfactus, & tactus, in cæteris autem solus est tactus.) Ità in Christo habitat omnis plenitudo diuinitatis, quia ille est caput, in quo sunt omnes sensus. In Sanctis verò quasi solus est tactus, quibus datus est Spiritus ad mensuram, cùm de illius plenitudine acceperunt. Acceperunt autem de illius plenitudine, non sec. essentiam, sed sec. similitudinem, quia

nunquàm eandem illam essentialiter, sed similem acceperunt gratiam. Profecisse autem sapientia dicitur, non quidem in se, sed in aliis, qui de eius sapientia & gratia proficiebant, dum eis sapientiæ & gratiæ munera sec. processum ætatis magis ac magis patefaciebat, vt dicit Greg. ho. 11.

in 2. c. Lucæ

CAP. *Secundum. In Christo fuit gemina sapientia.*

to. 2. cap. 7. AIt Ambro. lib. de Incarnat. Deus perfectionem suscepit humanę naturę, suscepit sensum hominis, sed nō sensu carnis fuit inflatus. Sensu hominis dixit animā conturbatam, sensu hominis esuriuit & rogauit, sensu hominis profecit, sicut scriptum Luc. 2. est, Iesus proficiebat ætate & sapientia & gratia. Quomodo proficiebat sapientia Dei? Profectus ætatis & sapientiæ, non diuinæ, sed humanæ naturæ est. &c. His euidenter traditur duos in Christo esse principales sensus, siue geminam sapientiam. Iuxta enim duas naturas duas habet sapientias: Vnam non creatam, sed genitam, quæ ipse est: Alteram non genitam, sed creatam, & per gratiam ei collatam, de qua Esa. cap. 11. Requiescit super eum spiritus sapientiæ & intellectus. & quia erat sapiens sec. animam, sec. Deum verò erat sapiens sapientia increata & æterna, quæ Deus est, &c.

Sed ex qua causa illius dicti intelligentia, scil. sensus proficiebat humanus, assumenda est? Apertè enim videtur Ambr. innuere, ℘ sec. sensum humanum Christus profecerit: ℘ nec Ecclesia recipit, nec præmissa authoritas patitur sic intelligi: Sed ita sanè potest accipi, vt quantùm ad visum hominum, & sui sensus ostensionem Christus profeciſſe dicatur. Proficiebat ergo humanus sensus in eo sec. ostensionem, & aliorum hominum opinionem. Ita & illud Esa. quòd patrem *cap.8.* nesciebat puer aut matrem, erit intelligendum: quia ita se habebat & gerebat, acsi agnitionis expers esset.

DE COMPARATIONE Sapientiæ Christi ad sapientiam Dei.

DISTINCT. Decimæquartæ CAP. Vnicum.

Christus per sapientiam creatam omnia cognoscit, sed non omnia per eandem potest.

DOna Spiritus sancti sine mensura habuit, ergo & sapientiam: omnia ergo sciuit anima illa. Si enim quædam sciuit, & quædam non, tunc non sine mensura scientiam habuit. sed sine mensura scientiam habuit, ergo omnia sciuit. Fulgen- *Ioh.3.*

tius etiam in quodam serm. multa inducit, quibus asserit animam illam rerum omnium scientiam habere, vtens authoritate Apost.
col. 2. dicētis, In quo sunt omnes thesauri sapientię & scientiæ absconditi. Quod etiam ratione probari potest sic: Nihil scit aliquis quod anima eius ignorat: sed Christus sec. omnium concessionem omnia scit, ergo anima eius omnia scit. Non est autē ei datū omnia posse, quia omnipotentiæ non fuit capax, sicut omniscientiæ: nec etiam omnipotens, & per hoc Deus putaretur, nec fortè Deus id præstare potuit. Quod autē dicit Ambr. sup. Luc. quia potentiam quam filius Dei naturaliter habet, homo erat ex tempore accepturus, est quidem accipiendum de persona, sed non inquantum est Dei, sed hominis.

Christus non potest omnia.

DE EFFECTIBVS QVORum Christus aliquos assumpsit cum humana natura, & aliquos non assumpsit.

DISTINCT. Decimæquintæ CAP. Primum.

Christus assumpsit naturam passibilem in anima & corpore.

VT enim probaretur verum corpus habere, suscepit defectus corporis, famem, sitim, & huiusmodi. Et vt veram

animam probaretur habere, ſuſcepit animæ defectus, ſcil. triſtitiam, timorem, & dolorem, & huiuſmodi. Omnis autem ſenſus animæ eſt. Non enim caro ſentit, ſed anima, vtens corpore velut inſtrumento. Vnde Auguſt. ſup. Gen. lib. 12. Non corpus ſentit, ſed anima per corpus, quo velut nuncio, vtitur ad confirmandum in ſeipſa, quod extrinſecus nunciatur, &c. Quædam autem non per corpus, imò etiam ſine corpore ſentit, vt eſt timor, & huiuſmodi. Sentit ergo anima dolores, ſed quoſdam per inſtrumentum corporis, quoſdam verò non. Suſcepit autem Chriſtus ſicut veram naturam hominis, ita & veros defectus hominis, ſed non omnes. Aſſumpſit enim defectus pœnæ, ſed non culpæ: nec tamen omnes defectus pœnæ, ſed eos omnes quos homini eum aſſumere expediebat, & ſuæ dignitati non derogabat. Sicut enim propter hominem factus eſt homo: ita propter eum hominis defectus ſuſcepit. Suſcepit enim de noſtro, vt de ſuo nobis tribueret, vt noſtrum tolleret defectum, &c. cap. 24

CAP. *Secundum. Chriſtus non ſuſcepit peccatum, ſed neque ignorantiam.*

TRadit' authoritas, quòd Dominus noſter in ſe ſuſcepit omnia infirmitatis noſtræ, præter peccatum, quod niſi ac-

cipiatur de illis tantùm quæ eum ſumere
Heb.4 pro nobis oportuit, nec dedecuit, falſum eſ-
ſe probatur. Non enim aſſumpſit ignoran-
tiam aliquam, quum ſit ignorantia quædam
(quæ defectus eſt) nec peccatum eſt, ſcil.
ignorantia inuincibilis. Nam vincibilis pec-
catum eſt, ſi tamen de iis eſt quæ nobis ex-
pedit ſcire. Sunt enim quædam quorum
ſcientia non affert, vel ignorantia non im-
pedit ſalutem. & fortè talium rerum igno-
rantia defectus non eſt. Conſtat autem in
nobis ignorantiam eſſe atque difficultatem
volendi vel faciendi bonum, quæ ad miſe-
riam noſtram pertinent. Vnde Auguſt. lib.
lib.3. de libe. arbitr. Approbare, inquit, falſa pro
cap.18 veris, vt erret inuitus, & reſiſtente atque tor-
quente dolore carnalis vinculi, non poſſe
à libidinoſis operibus temperare, non eſt
natura inſtituti hominis, ſed pœna damna-
ti. Ex qua miſeria peccantibus iuſtiſsimè
inflicta, liberat Dei gratia: quia ſponte ho-
mo cadere libero arbitr. potuit, non autem
ſurgere. Ad quam miſeriam pertinet igno-
rantia & difficultas, quam patitur omnis
homo ab exordio natiuitatis ſuæ: nec ab
iſto malo quiſquam, niſi gratia Dei li-
beratur. Ecce euidenter hic dicit Auguſt.
ignorantiam, qua quis inuitus falſa pro ve-
ris approbat, & difficultatem, qua non po-
teſt quis ſe à malo temperare, ad miſeriam

noſtram pertinere, & pœnam eſſe hominis. Hæc autem Chriſtus non habuit: non ergo accepit omnes defectus noſtræ infirmitatis præter peccatum.

CAP. *Tertium. Ignorantia & difficultas ad bonum operandum, non eſt peccatum.*

SEd forſan aliquis dicet illa eſſe peccatum. Cui obuiat illud quod Auguſt. tradere videtur, hoc ſcil. Deum inculpabiliter ante peccatum in exordio conditionis homini potuiſſe induere, vt eſſent ei naturalia: ita in lib. Retract. inquiens: Ignorantia & difficultas etiam ſi eſſent hominis primordia naturalia, nec ſic eſſet culpandus Deus, ſed laudandus. Sed ſi hæc homo in principio naturaliter habuiſſet, nunquid eſſet in eo defectus & pœna? Si defectus vel pœna ei indita fuiſſet ante peccatum, iniuſtè cum eo agi videretur, ſi ante culpam ſentiret pœnam. Ob hoc ſanè dicimus illa non fuiſſe defectus vel pœnas, ſi naturaliter homini infuiſſent: Sicut non fuit homini ante peccatum nondum gratiam adepto, defectus ſiue pœna, non poſſe proficere, &c. ~~Hos defectus non conditionis ſuę neceſsitate, ſed voluntate miſerationis ſuſcepit.~~ Veros quidem defectus habuit ſicut & nos: ſed non eadem ex cauſa. Nos enim ex peccato originali hos

lib. 1. cap. 19. & li. 3 de lib. arb. ca. 20. & 21. & lib. de bo. per. ſeue. cap. 11. & 12.

defectus contrahimus, ſicut Apoſt. inſinuat
Ro. 8. dicens: Corpus quidem mortuum eſt propter peccatum, id eſt neceſsitatem moriendi habet in ſe. Chriſtus autem non ex peccato huiuſmodi habuit defectus, quia ſine peccato eſt concœptus & natus, & in terris conuerſatus. Sed ex ſola miſerationis voluntate de noſtro in ſe tranſtulit infirmitatem veram, ſicut accepit veram carnem, quam ſine omni infirmitate aſſumere potuit, ſicut abſque culpa eandem ſuſcepit.

CAP. *Quartum. Chriſtus veros dolores ſenſit.*

cap. 55 Esa. dicit, Verè languores noſtros ipſe
matth. tulit, & dolores noſtros ipſe portauit.
26. & Veritas in Euang. Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem. Quod exponens Auguſt. ait: Non vitiis & peccatis, ſed humanis malis, id eſt doloribus, repleta fuit anima Chriſti, quibus ipſa compatitur carni. Non enim dolor corporis poteſt eſſe ſine anima: dolere autem anima, etiam non dolente corpore, poteſt.

in mat. 26. to. 8. in pſ. 21. Erubeſcant, inquit Hierony. qui putant Saluatorem timuiſſe mortem, & paſsionis pauore dixiſſe, Tranſeat à me calix iſte. Et Auguſt. Non verè timebat Dominus pati, tertia die reſurrecturus, cùm arderet Paulus diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Non enim for-

Obiectio.

tior est miles quàm imperator. Miles enim coronandus gaudet mori, & dominus coronaturus timet mortem? Sed infirmitatem nostram repræsentans, pro suis infirmis qui timent mori, hæc dixit, scil. transeat à me calix iste. Ex quibus videtur, quòd non verè, sed similitudinariè tãtùm passus est. Dicendum, quòd afficitur quis interdum timore vel tristitia, ita vt mentis intellectus non inde moueatur à rectitudine, vel à Dei contemplatione: & tunc propassio est. Aliquando verè mouetur & turbatur: & tunc passio est. Ideoque sec. hanc distinctionem aliquando dicitur Christus non verè timuisse, aliquando verè timuisse: quia verum timorem habuit & tristitiam, sed non sec. propassionem, &c.

Dilutio.

Alia obiectio.

Porrò verba Hilar. (quæ difficiliorem adferunt quæstionem) quibus sic ait lib. 10. de Trinita. Vnigenitus Deus hominem verum sec. similitudinem hominis nostri, non deficiens à se, hominem assumpsit. In quo quamuis aut ictus incideret, aut vulnus descenderet, aut nodi concurrerent, aut suspensio elenaret. afferrent quidem hæc impetum passionis, non tamen passionis dolorem inferrent, vt telum aliquod aquam perforans, vel ignem compungens, vel aera vulnerans: omnes quidem has passiones infert vt perforet, vt compungat, vt vulneret: sed naturam

ſuam in hæc paſsio illata non retinet, dum in natura non eſt, vel aquam forari, vel pungi ignem, vel aera vulnerari: quamuis natura teli ſit & vulnerare, & compungere, & perforare. Paſſus quidem Chriſtus eſt dum cæditur, dum ſuſpenditur, dum moritur: ſed in corpus irruens paſsio, necnon fuit paſſio: non tamen paſsionis naturam exercuit, dum ei pœnali miniſterio pœna deſæuit, & virtus corporis ſine ſenſu pœnæ, vim pœnæ in ſe deſæuientis excepit, &c.

Sic ſunt profectó intelligenda. Secunda enim ratione dixit dolorem paſsionis in Chriſtum non incidiſſe, & virtutem corporis Chriſti ſibi excepiſſe vim pœnæ, ſine ſenſu pœnæ: quia doloris cauſam & meritum in ſe non habuit. Quod notat dum ait, Non habens naturam ad dolendum, cui dominetur paſsio, timor, & triſtitia, ſicut in nobis, quibus eſt neceſsitas ad hæc.

DE MODO QVO DEFEctus ſuperiùs expoſiti Chriſto infuerunt.

DISTINCT. Decimæſextæ

CAP. Primum.

Chriſtus aſſumpſit neceſſitatem patiendi.

VErùm hanc neceſsitatem non habuit ex neceſsitate ſuæ conditionis (quia à peccato immunis) ſed ex ſola volũtate accepit. Vnde in epiſt. ad Hebr. authoritas dicit, quòd ſicut hominibus aliis & ~~iure & lege naturæ ſtatutum~~ eſt ſemel mori: ita & Chriſtus eadem neceſsitate & iure naturæ ſemel oblatus eſt, & non ſæpe. Nec ideo dicit iure naturæ, quòd ex natura ſuæ conditionis hunc defectum traxerit, qui etiam nobis non prouenit ex natura, ſec. quòd eſt priùs inſtituta, ~~ſed ex ea peccato vitiata~~. Et ideo dicitur hic defectus naturalis, quia quaſi pro natura inoleuit in omnib⁹ diffuſus. cap. 9. 46.

CAP. *Secundum. Chriſtus de quolibet hominum ſtatu aliquid accepit.*

SVnt enim quatuor ſtatus hominis: Primus ante peccatum, ſecundus poſt peccatum, & ante gratiam, tertius ſub gratia, quartus in gloria. De primo ſtatu accepit immunitatem peccati. Vnde Auguſt. exponens illud Iohan. Qui deſurſum venit, ſuper omnes eſt, dicit Chriſtum veniſſe deſurſum, id eſt de altitudine humanæ naturæ ante peccatum: quia de illa altitudine ſumpſit verbum Dei humanam naturam, dum non aſſumpſit ipſam culpam, cuius aſſumpſit pœnam. Sed pœnam aſſumpſit de ſecundo ſtatu, & alios defectus. De tertio verò gra- cap. 13.

tiæ plenitudinem. De quarto, non posse peccare, & Dei perfectam contemplationem. Habuit enim simul & bona viæ quædam, & bona patriæ, sicut & quædam mala vitæ.

DE POTENTIIS ET operationibus naturæ humanæ in Christo.

DISTINCT. Decimæseptimæ
CAP. Primum.

In Christo fuit voluntas duplex.

AMbigendum non est in Christo diuersas fuisse voluntates, iuxta duas naturas, diuinam scil. voluntatem, & humanam. Humana voluntas est affectus rationis, vel sensualitatis: alius, est enim affectus animæ sec. rationem, alius sec. sensualitatem: vterque tamen dicitur humana voluntas. Affectu enim rationis id volebat quod voluntas diuina, scil. pati & mori: sed affectu sensualitatis non volebat, sed refugiebat. Vnde Hierony. in illum locum, Spiritus quidem prōptus est, caro autem infirma, ita ait: Hoc contra Euthicianos, qui dicunt in Christo tantùm vnam voluntatem: Hic autem ostendit humanam, quæ propter infirmitatem carnis recusat passionem: & diuinam, quæ prompta est perficere dispen-
in psl. 32 sationem. Idem asseuerat August. in Psal.

Quod ex Euang. manifestissimum esse potest, cùm dixit, Non sicut ego volo, sed sicut tu. His testimoniis euidenter docetur in Christo duas esse voluntates. Quod quia negauit Macharius archiepiscop. in Constantinopol. syn. condemnatus est. *matth. 26.*

CAP. *Secundum. In Christo nulla fuit concupiscentia carnis contra spiritum.*

AIt Augustus. Nonnullum est vitium cùm caro concupiscit aduersus spiritum. Caro autem dicta est concupiscere, quia hoc sec. ipsam animam agit: sicut anima per aurem audit, & per oculum videt. Caro enim nihil nisi per animã concupiscit. Sed concupiscere dicitur, cùm anima carnali concupiscentia spiritui reluctatur, habens carnalem delectationem de carne & à carne aduersus delectationem quam spiritus habet. Ipsius autem ~~carnalis concupiscentiæ causa non est in anima sola, nec in carne sola, ex vtroque enim fit~~: quia sine vtroque delectatio talis non sentitur. Talis ergo rixa, talisque concertatio in anima Christi nullatenus esse potuit, quia carnalis concupiscentia ibi esse nequiuit. Dei etiam voluntas erat, & rationi placebat, vt illud sec. carnem vellet, quatenus veritas humanitatis in eo probaretur. *lib. 10. in gen. ad lit. cap. 11. gal. 5.*

CAP. *Tertium. Christus voluntatem suam conformem habuit voluntati diuinæ.*

NEc ideo petiit Christus vt transiret calix, vt impetraret: quia sciebat Deum illud non facturum: nec illud fieri volebat affectu rationis vel voluntate diuinitatis. Ad quid ergo petiit? Vt membris formã præberet imminente turbatione, clamandi ad dominũ, & subiiciendi voluntatem suam diuinæ voluntati: Vt si pulsante molestia tristentur, pro eiusdem amotione orent: & vt veritas humanitatis in eo probaretur.

DE MERITO CHRISTI.

DISTINCT. Decimæoctauæ

CAP. Primum.

Christus meruit non solùm membris, sed & sibi.

MEruit quidem membris redemptionẽ à Diabolo, à peccato, à pœna: & regni reserationem: vt amota ignea romphea, liberè pateret introitus. Sed & sibi meruit impassibilitatis & immortalitatis gloriam, sicut ait Apost. Christus factus est pro nobis obediens vsque ad mortem, &c. propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi, &c. Apertè dicit Apost. Christum propterea exaltatum per impassibilitatis gloriã, quia est humiliatus per passionis obediẽtiam. Humilitas ergo passionis, meritum fuit

exaltationis, & exaltatio præmium humilitatis. Vnde Auguſt. in illum loc. ait: Vt Chriſtus reſurrectione clarificaretur, priùs humiliatus eſt paſsione. Humilitas claritatis eſt meritum, claritas humilitatis eſt præmium. Non ſolùm autem clarificationem corporis ſui meruit, ſed & impaſsibilitatem animę. Anima enim ipſius ante mortem erat paſsibilis, ſicut caro mortalis.

CAP. *Secundum. Chriſtus in inſtanti ſuæ concœptionis meruit infinitè.*

NOn ſolùm hoc meruit Chriſtus, quando patri obediens ſubiit crucem, ſed etiam ab ipſa concœptione, ex quo homo factus eſt per charitatem & iuſtitiam & alias virtutes, in quarum plenitudine fuit ſec. hominem conditus, ſibi tantum meruit, quātum per martyrij tolerantiā. Tāta enim plenitudo chariſmatum in eo fuit, quòd in eis proficere non potuit. & ideo melior ipſius anima fieri non potuit, quàm ab initio ſuæ concœptionis extitit: quia proficere in meritis non valuit. Nec etiam beatior fuit in Dei contemplatione, ~~in quo præcipuè beatitudo Dei conſiſtit.~~ Vnde Grego. ait: *ſup. 25 c. Exo.* Non habuit omnino Chriſtus iuxta animæ meritum quo potuiſſet proficere: in membris autem, quæ nos ſumus, quotidie proficit. Non ergo meruit plus ſibi per crucis

patibulum, quàm à cõcœptione meruit per gratiam virtutum. Non ergo profecit sec. animæ meritum, quantùm ad virtutem meriti: profecit tamen quantùm ad numerũ meritorũ. Plura enim merita habuit in passione, quàm in cõcœptione: sed maioris virtutis non extiterunt in merendo plura, quàm antea fuerant pauciora. Meruit ergo à concœptione non modo gloriam impassibilitatis & immortalitatis corporis, sed etiam animæ impassibilitatem.

CAP. *Tertium. Meruit Christus exaltationem sui nominis.*

Phi. 2. cõ. maxim.

MEruit etiam sibi donari nomen quod est super omne nomen, scil. honorificentiam quod vocatur Deus. quod datum est illi homini Christo per gratiam, vt dicit August. tametsi Ambr. diuersum sentiat, dicens, illud nomen datum esse Deo donatione naturali, qua etiam naturaliter Pater generãdo Filio dedit nomẽ quod est super omne nomen, scil. esse Deum per naturam. Quod tamẽ nomẽ Apost. propter passionis obedientiam dicit esse donatum. Sed sec. tropum scripturæ creberrimũ accipiendum est, ~~quo dicitur res fieri quando innotescit~~: quia manifestationem illius nominis dedit ei Deus post resurrectionem: sed illam meruit per obedientiam passionis, & nõ no

men ipsum. Quo tropo vsus est Dominus post resurrectionē, dicēs: Data est mihi ōnis potestas in cælo & in terra, non quòd primò acceperit, sed quam antè habebat, tunc manifestata est potestas. Potuit tamē & hæc omnia sine merito habere: quia humanam naturam ita glorioſam ſuſcipere potuit, ſicut in resurrectione extitit: nomenque ſuum etiam aliter manifestare potuit: ſed homo paſſibilis esse non potuit, ſicut fuit: & ad illam gloriam ſine merito peruenire. Potuit quidem peruenire ad illam ſine merito paſſionis, ſed non ſine merito iuſticiæ, & charitatis aliarumque virtutum. *Matt. 28.*

CAP. *Quartum. Conuenientiùs nobis meruit Christus liberationem à peccatis per paſsionem, quàm alio modo.*

AD, quid ergo voluit pati & mori, ſi ei virtutes ad merendum illa ſufficiebant? Pro te, non pro ſe. Quomodo pro me? Vt ipſius paſsio & mors tibi eſſet forma & cauſa. Forma virtutis & humilitatis, cauſa gloriæ & libertatis. Forma, Deo vſque ad mortem obediendi: & cauſa tuæ liberationis ac beatitudinis. Decreuerat enim Deus in myſterio (vt ait Ambr.) propter primum peccatum non intromitti hominem in paradiſum, niſi in vno homine tanta exiſteret

humilitas, quæ omnibus ſuis proficere poſſet. Sicut in primo homine tanta fuit ſuperbia, quæ omnibus ſuis nocuit. Non eſt autem inuentus inter homines aliquis quo id poſset impleri, niſi Leo de tribu Iuda, qui aperuit librum, & ſoluit ſignacula eius, implendo in ſe omnem iuſticiam, id eſt conſummatiſsimam humilitatem, qua maior eſſe non poteſt, &c.

DE EFFICACIA ET VTILITATE paſsionis Chriſti.

DISTINCT. Decimænonæ

CAP. Primum.

Per Chriſti paſsionem iuſtificamur.

MOrs Chriſti nos iuſtificat, dū per eam charitas excitatur in cordibus noſtris. Dicimur quoque & aliter per mortem Chriſti iuſtificari: quia per fidē mor
Ro.3. tis eius à peccatis mundamur. Vnde Apoſt. Iuſtitia Dei eſt per fidem Ieſu Chriſti. & itē: Quem Deus propoſuit propiciatorem per fidem in ſanguine ipſius, id eſt per fidem paſſionis. Vt olim aſpicientes in ſerpentem æneum in ligno erectum, à morſibus ſerpentium ſanabantur.

CAP. *Secundum. Per paſsionem Chriſti a diabolo liberamur.*

SI ergo rectæ fidei intuitu in illum respicimus qui pro nobis pependit in ligno, à vinculis diaboli soluimur, id est à peccatis: ita & à diabolo liberamur: vt nec post hanc vitã inueniat quid puniat. Morte quippe sua, vno verissimo sacrificio, quicquid culparum erat, vnde nos diabolus ad luẽda supplicia detinebat, Christus extinxit: vt in hac vita nobis tentando non præualeat. Nam ait Augustinus. In ipso vincuntur inimicę nobis inuisibiles potestates, vbi vincuntur inuisibiles cupiditates: fuso enim sanguine sine culpa, omnium culparũ chyrographa deleta sunt: quibus debitores qui in eum credunt, à diabolo antè tenebantur.

CAP. *Tertium. Per Christi mortem à Sathanæ tentationibus liberamur.*

CHristus diabolum ita extinxit, vt in hac vita tentando nobis non præualeat. Licet enim nos tentet post Christi mortem, quibus modis antè tentabat: nõ tamẽ vincere potest, sicut antè vincebat. Nã Petrus, qui ante Christi mortem voce ancillæ territus negauit, post mortem ante reges & præsides ductus non cessit. Quare? quia fortior, id est Christus, veniens in domũ fortis, id est in corda nostra, vbi diabolus habitabat, alligauit fortem, id est à seductione

compescuit fidelium: vt tentationem, quæ adhuc ei permittitur, non sequatur seductio.

CAP. *Quartum. Christus ab vtraque pœna nos liberauit.*

AB æterna quidem, relaxando debitum: à temporali verò penitus nos liberabit in futuro, quando nouissima mors inimica destruetur. Adhuc enim expectam[9] re-
1.co.15 v.26. dẽptionem corporis: sec. animas verò redẽpti iam sumus ex parte, nõ ex toto: à culpa,
Ro.8. non à pœna: nec omnino à culpa. Non enim ab ea sic redempti sumus, vt non sit, sed vt nõ dominetur. Vnde peccata iustorum ante
Ro.3. aduentum in sustentatione Dei fuisse vsque ad mortem Christi dicit Apost. ad ostensio-
1.Ti.2 nem iusticiæ eius in hoc tempore. Ob id verè dicitur mũndi redemptor, & Dẽi hominumque mediator.

CAP. *Quintum. Christus solus dicitur mediator redemptionis inter personas diuinas.*

DE quo Apost. Vnus mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, id est per hominem quasi in medio arbiter est ad componendã pacem, id est ad recõciliandũ homines Deo. Hic est arbiter quem Iob desiderat, Vtinã esset nobis arbiter. Re-

conciliati enim sumus Deo (vt ait Apost.) per mortẽ Christi. quod sic nõ intelligẽdum est quasi nos ei sic reconciliauerit Christus, vt inciperet amare quos oderat: sicut reconciliatur inimicus inimico, vt deinde sint amici, qui antè se oderant: sed iam nos diligenti Deo reconciliati sumus, &c. Sed cùm peccata deleat non solus Filius, sed & Pater & Spiritus sanctus, quorum deletio est ad Deũ nostrã reconciliatio, quare solus Filius dicitur mediator? Nam de Patre legitur quòd reconciliauit sibi mundum: ait enim Apost. 1. cor. 5 Deus enim erat in Christo mundum sibi reconcilians: quum ergo reconciliet, cur non dicitur mediator? Quia nec medius est inter Deum & homines: nec in se habuit illa sacramenta, quorum fide & imitatione iustificamur, id est reconciliamur Deo. Reconciliauit ergo tota Trinit. virtutis vsu, scil. dum peccata delet, sed Filius solus impletione obedientiæ. Vnde & mediator dicitur sec. humanitatem: non enim sec. diuinitatẽ mediator est inter Deum & Deum, quia tantũ vnus est Deus: sed inter Deum & hominem, quasi inter duo extrema.

Corolairũ. Mediator est inquantũ homo.

DE POSSIBILITATE ALterius modi redemptionis, & de congruitate modi accepti.

DISTINCT. Vigesimæ

CAP. Primum.

Alius fuit Deo possibilis modus redimendi genus humanum, quàm per passionem Filij.

DEi enim potentiæ cuncta subiacent, sed sanandæ nostræ miseriæ dicimus conuenientiorem modum nullum fuisse alium, nec esse oportuisse. Quid enim mẽtes nostras tantùm erigit, & ab immortalitatis desperatione liberat, quàm quòd tanti nos fecit Deus, vt Dei Filius immutabiliter bonus, in se manẽs quod erat, & à nobis accipiẽs quòd non erat, dignatus nostrum inire consortium, mala nostra moriẽdo perferret? Est & alia ratio, quia sic iusticia superatur diabolus, & non potentia. Nam quadam Dei iustitia in potestate diaboli traditum est genus humanum, peccato primi hominis in omnes originaliter transeunte, & illius debito omnes obligante, &c. Ideoque placuit Deo, vt non pœna, sed iusticia vincens, hominem erueret, in quo eum homo imitari disceret.

CAP. *Secundum. Per passionem Christus se in hostiam redemptionis obtulit.*

CHristus sacerdos, idemque & hostia, precium est nostræ reconciliationis, qui se Deo Trinitati ~~obtulit pro omnibus quantùm ad precij sufficientiam~~: sed ~~pro electis tantùm, quantùm ad efficaciam~~, quia prædestinatis tantùm salutem effecit.

CAP. *Tertium. Passio Christi est opus Dei & Iudæorum.*

TRaditus enim legitur Christus à se, à patre, à Iuda, & à Iudeis: sed quatenus à se & à patre, bonum opus erat, quia bona Patris & Filij voluntas: quatenus autē à Iuda & Iudæis, malum fuit opus, quia mala fuit eorum intentio, &c.

DE IIS QVAE AD MORtem Christi pertinent.

DISTINCT. Vigesimæprimæ
CAP. Primum.

In Christi morte diuinitas non fuit à carne & anima separata.

AVg. Verbū ex quo susceptus hominē, id est carnē & animam, nunquā deposuit animam, vt esset anima à verbo separata: sed caro posuit animam quando expirauit, qua redeunte resurrexit. Mors ergo ad tempus carnem & animam separauit, sed neutrum à verbo Dei. Ambr. tractans illud, Deus meus, vt quid me dereliquisti? ait:

Clamat homo separatione diuinitatis moriturus. Nam cùm diuinitas mortis libera sit, vtique mors ibi esse non poterat, nisi vita discederet: quia vita diuinitas est. Hic videtur tradi, quòd diuinitas separata sit in morte ab homine, quæ nisi discessisset, homo ille mori non posset. Rursus Athanas. Male-
li. 6. de beatit. Filij. dictus qui totum hominem quem assumpsit Dei Filius, denuo assumptum tertia die à mortuis resurrexisse non confitetur. Si denuo assumptus est homo in resurrectione, quem assumpserat in incarnatione, deposuit ergo eum in morte: separata ergo fuit diuinitas, &c. Quibus respondemus ad primũ. Illam separationem sic accipiẽdam, sicut intelligitur derelictio verbis illis significata: quæ non erat vnionis solutio, sed potestatis subtractio, qua potestati persequentiũ Deus ad tempus Christũ exposuit. Vnde Esechius
Leui. 16. de Hirco emissario Christum figurante ait:
Esa. 51 In solitudinem, id est in cælum, tempore passionis diuinitas abiisse dicitur, non locum mutans, sed quodam modo virtutem cohibens, vt possent impij consummare passionem. Ad secũdum, sciendum dixisse id Athanasium contra illorum perfidiam, qui Christi resurrectionem negabant, putantes morte eum detineri, qui solus inter mortuos liber est. Ideo illum maledicit, qui non confitetur totum hominem denuo assumptũ re-

surrexisse, i. Christum animam denuo corpori coniunxisse, & illius duobus denuo cõiunctis in resurrectione verè sec. hominem vixisse, sicut ante mortem.

DE CONSEQVENTIbus mortem Christi.]

DISTINCT. Vigesimæ secundæ
CAP. Primum.

Christus in triduo mortis fuit homo.

DIcimus ergo in morte Christi, Deum verè fuisse hominem, & tamẽ mortuũ: & hominem quidem nec mortalẽ, nec immortalẽ: quia vnitus erat animæ & carni. Alia enim ratione dicitur Deꝰ homo, & homo Deus, qua Martinus vel Ioãnes. Homo enim dicitur Deus, & è cõuerso, propter susceptionẽ hominis. i. animæ & carnis. Vnde Aug. Talis erat susceptio illa, quæ Deum hominem faceret, & hominem Deum. ~~Cùm ergo illa susceptio per mortẽ nõ defecerit: sed Deus homini, & homo Deo, sicut antè vnitus erat verè, & tunc Deus erat homo~~, & è conuerso, quia vnitus animæ & carni: & homo mortuus erat, quia ~~anima à carne diuisa~~ erat. Propter separationem animæ à carne mortuus, sed propter vtriusq; semper secum vnionem homo, &c. *lib. de Tri. c. 13.*

CAP. *Secundũ. Christus in triduo erat in sepulchro & in inferno homo.*

QVia Christus vtique verus homo non fuisset, si carnẽ & animam nõ assumpsisset: Sed tamen quia ex quo assumpsisset, neutrũ deposuit: sed cũ vtroque etiam separato, eandem vnionem indesinenter sumit, quam assumendo contraxit. Ideo non incongruè vbicunque animæ vel carni, vel vtrique vnitus est, ibi homo esse dicitur. Vnde Augustin. Quis non est derelictus in ~~inferno~~? Christus. Sed in anima sola quis iacuit in ~~sepulchro~~? Christus, sed in carne sola: quia in his singulis Christus est, Christum in his omnibus confitemur, & singulis.

In Io. tract. 78.

CAP. *Tertium. Eodem tempore totus erat Christus in inferno, & totus in sepulchro, & vbiq; totus, sed non totum.*

lib. 1. dist. 37. cap. 3. f. 73. a.

AVgustin. Non dimisit patrem Christus, cùm venit in Virginem: vbique totus, vbique perfectus. ~~Vno ergo eodemque~~ tempore totus erat in inferno, ~~totus in cælo~~, Nec tamen in sepulchro nec in inferno totũ erat, etsi totus. Sicut Christus totus est deus, totus homo, sed non totum: quia nõ solùm est Deus vel homo, sed & Deus & homo. Totum enim ad naturã refertur, totus autẽ ad

cõt, felicianũ.

tot. tõ. tõhus.

hypostasin : sicut aliud & aliquid ad naturam, alius verò & aliquis ad personã referũ tur. Vnde Iohan. Damas. Totus Christus est Deus perfectus, non autem totum Deus est. Non enim solùm Deus est, sed & homo & totus homo perfectus: non autem totum homo: Non solũ enim homo, sed & Deus. Totum enim naturæ est repræsentatiuum, Totus autem hypostaseos. Sic & huiusmodi. *li. de fi. cap. 7.*

Totus & totũ differunt.

CAP. *Quartum. Hæc propriè est concedenda, Filius hominis descendit de cælo: sicut ista, Filius Dei crucifixus fuit.*

1

SI enim ad vnitatem personæ referatur propositionum dictarum intelligentia, sanè dici potest. Si autem ad distinctionem naturarũ, nullatenus concedi debent. Vnde Augu. Vna persona est, Christus Deus & homo. ideo dicitur, Nemo ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit, &c. Si ergo attendas distinctionem substãtiarum, Filius Dei descendit, & Filius hominis crucifixus est. Si verò vnitatem personæ, & Filius hominis descendit, & Filius Dei crucifixus est, &c. Hæc de corrigia calceamenti dominici dicta sufficiãt, ne ossa regis Idumææ cõsummentur vsque ad cinerem. *Lib. de Trinit. Ioh. 3.*

DE VIRTVTIBVS.

DISTINCT. Vigesimætertiæ

CAP. Vnicum.

Fides rectè describitur. 1.

Hactenus de mysterio verbi incarnati, nũc de virtutib⁹ et donis quibus suos illustrat.

1. Fides est ~~virtus~~ qua creduntur quæ non videntur. Quod tamẽ non de omnibus quæ non videntur, accipiendum est: sed de iis tantùm, quæ credere (vt ait August.) ad religionẽ pertinet. Multa enim sunt, quæ si Christianus ignoret, nihil metuendum est: quia non ideo à religione deuiat. & alibi dicit, Quid enim est fides, nisi credere quod non vides? ideo ait Apost? Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium, vel conuictio non apparentium. quia ~~si fides est, ex eo conuincitur & probatur aliqua esse non apparentia~~, quũ fides non sit nisi de non apparentibus.

in enc. c. 9. in tract. 9

2.

He. 11. 3.

Substantia autem dicitur, quia illa non apparentia, per fidem subsistunt etiam in nobis modo speranda, & subsistunt in futuro per experientiam. Et ipsa est probatio & conuictio non apparentium: quia si quis de iis dubitet, per fidem probantur, vt adhuc probatur futura resurrectio, quia ita crediderunt Patriarchæ & alij sancti. Vel probatio est & certitudo quòd sunt aliqua non apparentia. Propriè tamen fides dicitur substantia rerũ sperandarum, quia sperandis substat.

Differẽtia fidei ab aliis virtutibus.

Et quia fundamentum est bonorũ, quod nemo mutare potest. Quæ definitio nõ improbè dici potest soli fidei conuenire, quia fides sola fundamentũ dicitur: non quia fides virtus possit esse sine spe & charitate. Vnde Augustin. Fides operans per dilectionem vtique sine spe nõ potest esse, nec amor sine spe, nec vtrunque sine fide. Et fides sine amore nihil prodest: potest tamen credi aliquid quod nõ speratur: nihil autem potest sperari, quod nõ creditur. Ideoq; credere (quod est actus fidei) naturaliter præcedit sperare. Non ꝙ virtus fidei præcedat virtutẽ spei tẽpore vel causa: sed quia actus fidei naturaliter præcedit actum spei: quod etiã quidam concedũt de ipsa virtute fidei, vt naturaliter præcedat spe, non tẽpore. Vnde & rectè ea sola dicitur esse fundamentũ aliarum virtutũ & bonorum operũ: non autem est fundamentum charitatis: quia non ipsa charitatis, sed charitas ipsius causa est. in Enc. c. 8.

CAP. 2. *Fides etsi non apparentium sit, tamen ab habente videri potest.*

QVum ergo credere iubeamur, quia id quod credere iubemur, non possumus videre, ipsam tamen fidẽ quando est in nobis, videmus in nobis: quia & rerũ absentiũ præsens est fides: & rerũ quæ foris sunt, intus est fides. Vnde Aug. Fidem ipsam videt quisquis in corde suo esse, si credit: vel non esse, si non credit. Cap.

CAP. 3. *Vna est fides.*

ACcipitur autem fides aliquãdo vel pro eo quod creditur, & est virtus: vel pro eo quod creditur, & non est virtus. Fa- tendũ tamen est vnam esse fidẽ. Eph. 4. Vnus dominus, vna fides. siue accipiatur fides pro eo quo creditur, siue pro eo qđ creditur. Nã si pro eo quod creditur, cõstat idẽ vnũ apud oẽs credi. vnde & dicitur fides Catholica. i. vniuersalis. Si autẽ ꝓ eo quo creditur, ea ratione dicitur vna fides: nõ quia sit vna numero in oĩbus, sed genere. i. similitudine. Vnde Cap. 2 Aug. li. 13. de Tri. Fides (quam qui habẽt Fideles vocãtur, & qui nõ habẽt, Infideles) cõis est oĩbus fidelib⁹: sicut plurib⁹ hoĩbus facies cõis esse dicitur, cũ tamẽ singuli suã habeãt.

Fides aliquãdo ꝓ habitu, aliquãdo ꝓ obiecto fidei capitur

CAP. 4. *Multum interest inter, Credere Deũ, credere Deo, & credere in Deum.*

CRedere Deũ est credere ꝙ ipse sit de⁹. quod etiã mali faciũt. Credere Deo est credere vera esse quæ loquitur. quod & mali faciunt. Crẽdere in Deũ est credẽdo amare & ei adhærere, eiúsque mẽbris incorporari. Per hanc fidẽ iustificatur impius, vt deĩde ipsa fides incipiat per dilectionẽ operari. Ea enim sola opera bona dicenda sunt, quæ per dilectionẽ Dei fiunt: ipsa enim dilectio, opus fidei dicitur. Fides ergo quã demones & falsi Christiani habent, qualitas mẽtis

est, sed informis, quia sine charitate est. Nam & malos fidem habere sine charitate, Apost. ostendit dicens: Si habuero omnem fidem, charitatem autem non habeam, &c. 1. co. 13

CAP. *Quintum. Fides informis efficitur formata.*

SI verò quæritur vtrũ illa informis qualitas, qua malus Christian⁹ vniuersa credit, quæ bonus, accedente charitate remaneat & virtus fiat, an ipsa eliminetur, & alia qualitas incedat quæ virtus sit: Vtrũlibet sine periculo dici potest. Mihi tamẽ videtur quòd illa qualitas quæ priùs erat, remaneat, & accessũ charitatis virtus fiat.

DE FIDE QVANTVM ad eius obiectum siue materiam.

DISTINCT. Vigesimæquartæ

CAP. Primum.

Fides est tantùm de non visis.

AVgust. mouet quæstionem, & absoluit ita inquiens: Quid sibi vult, vt cùm factum fuerit credatis? Hęc est laus fidei, si quod creditur non videtur. Nam & Thomas, cui dictũ est, Quia vidisti me Thoma, credidisti, nõ hoc credidit qđ vidit. Cernebat enim & tangebat carnẽ viuentem, quam viderat morientẽ, & Deum credebat in car- *in Ioh. tract. 79.*

ne latẽtem. Credebat ergo mente quod non videbat, per hoc quod sensibus corporis apparebat. Si verò dicũtur credi quæ vidẽtur, sicut dicit vnusquisque oculis suis credidisse, non ipsa est quæ in nobis ædificatur fides: sed ex rebus quæ videntur, agitur in nobis, vt ea credantur, quæ non videntur. Et sic dicimus Petrum passionis fidem habuisse, non in eo quòd credebat hominem pati, quia hoc videbat: sed in eo quòd credebat Deum esse qui patiebatur. *Fides improprie dicta.*

CAP. *Secundum. Fides non potest esse de eo quod omnino ignoratur.*

QVum enim visio alia sit interior, alia exterior, non est fides de subiectis exteriori visioni: est tamen de iis quæ visu interiori vtcunque capiuntur. Et quædam sic capiuntur vt intelligantur, etsi non vt in futuro: quædam autem non, quia quum fides sit ex auditu, non modo exteriori, sed interiori, nõ potest esse de eo quod omnino ignoratur: quæ ipsa ad sensum corporis non pertinet, vt testatur Augustinus dicẽs: Quamuis ex auditu fides in nobis sit, non tamen ad eum sensum corporis pertinet, qui dicitur auditus, quia non est sonus: nec ad vllum sensum corporis, quoniam ~~cordis est res ista, non corporis~~. Quædam ergo fide

lib. 13. de Tri. cap. 2.

creduntur, quæ intelliguntur naturali ratione, quędam verò quæ non intelliguntur. vnde Proph. Nisi credideritis, non intelligetis. *Esa.7.* Quod Augustus. apertè distinguit. Alia sunt, inquit, quæ nisi intelligamus, non credimus: Alia, quæ nisi credamus, non intelligemus. Vnde colligitur non posse sciri & intelligi credenda quædam, nisi priùs credantur: & quædam non credi, nisi priùs intelligantur, & ipsa per fidem ampliùs intelligi. Nec ea quæ priùs creduntur quàm intelligantur, penitus ignorantur, quum fides sit ex auditu. Ignorantur tamen ex parte, quia non sciuntur. Amatur ergo & quod ignoratur, sed tamen creditur.

Epist. 157.

Hactenus de fide quo ad essentiã suã & obiectum, nũc de ea quoad subiectum siue credentes.

DE FIDEI VIRTVTE & efficacia.

DISTINCT. Vigesimæquintæ

CAP. Primum.

Sine fide Mediatoris nunquàm fuit salus.

ILlis enim qui prœcesserunt Christi aduentum, & qui sequuntur, videtur profeciſſe fides sec. temporis processum: sicut profecit cognitio. Fides quippe magna dicitur cognitione & articulorum quantitate, vel constantia & deuotione. Est tamen quædam fidei mensura, sine qua nunquàm potuit esse salus. Vnde Apost. Oportet ac- *heb.11*

cedentem credere quia Deus est,& quia remunerator est sperantium in se.ita profectò quòd sine fide mediatoris nullum hominem vel antè vel pòst fuisse saluum , Sanctorum authoritates contestantur. Vnde Augustad Epist. Optatum, Illa fides sana est, qua credimus 157. nullum hominem, siue maioris,siue minoris ætatis,liberari à contagione mortis,& obligatione peccati,quod prima natiuitate contraxit , nisi per vnum mediatorem Dei & hominum, Iesum Christum : cuius hominis eiusque Dei saluberrima fide etiam illi iusti salui facti sunt,qui priùsquam veniret in carne, crediderunt in carnem venturum. Eadem enim fides est & illorum & nostra, &c. Idem attestatur Greg.sup. Ezechiel.

f. 190 a l 3.

CAP. *Secundum. Ante & post Christi aduentum fides Christi fuit differenter reuelata maioribus & simplicibus.*

QVid ergo dicetur de illis simplicibus, quibus non erat reuelatum mysterium incarnationis, qui piè credebant quod eis traditum fuit? Dici potest nullum fuisse iustum vel saluum, cui non esset facta reuelatio , vel distincta , vel velata, vel in aperto , vel in mysterio. Distincta, vt Abrahæ & Moysi aliisque maioribus , qui distinctionem articulorum habebant. Velata , vt simplicibus, quibus reuelatum erat

ea esse credenda, quæ credebant illi maiores, & docebant, sed eorum distinctionem apertam non habebant. Sicut & in Ecclesia aliqui minùs capaces sunt, qui articulos symboli distinguere & assignare non valent: omnia tamen credunt quæ in symbolo continentur. Credunt enim quæ ignorant, habentes fidem velatam in mysterio: ita & nunc minus capaces ex reuelatione sibi facta maioribus credendo inhærebant, quibus fidem suam quasi committebant. Vnde Iob, Boues arabant, & asinæ pascebantur iuxta eos. Simplices & minores, sunt asinæ pascentes iuxta boues, quia humilitate maioribus adhærendo, in mysterio credebant, quæ & illi in mysterio docebant. qualis fortè fuit vidua Sareptana. Sufficiebat enim illis credere aliquos articulos de incarnatione Christi venturi. Et sic sanè dici potest Centurionem Cornelium habuisse fidem incarnationis ex reuelatione: sed an facta vel futura esset ignorauit. Deum enim vnum credebat, sed filium eius nesciebat incarnatum: ad quem vt sic crederet missus est Petrus.

cap. 1.

act. 10. folio 224 a

CAP. Tertium. *Fides, spes, charitas, & operatio, quadam æqualitate commensurantur.*

* Gregorius, Fidem, ſpem, charitatem, atque operationem dum in hac vita viuimus, æquales ſibi eſſe apud nos inuenimus: quòniam quantùm credimus, tantùm amamus: & quantùm amamus, tantùm de ſpe præſumimus. Quiſque enim fidelis tantùm credit, quantùm ſperat & amat: & tantùm operatur, quantùm credit, & amat, & ſperat. Sed tamen maior ſpe & fide charitas dicitur: quia cùm ad Dei ſpeciem peruenitur, ſpes & fides tranſeunt, ſed charitas permanet. & quia charitas mater eſt omnium virtutũ: quæ non ideo poſt fidem & ſpem ponitur, q̃ ex eis oriatur, ſed quia poſt illa remanebit aucta: Charitas enim nũquàm
1.co.13 excidit. Præmiſſa autem æqualitas propriè ſec. interiorum actuum intentionem conſideranda eſt. Huic tamen quod & hic & ſuperiùs dictum eſt, ſcil. quòd charitas non eſt ex fide & ſpe, ſed è conuerſo, obuiare vi-
1.tim.1 detur quod ait Apoſt. Finis præcepti eſt charitas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta. Quod exponens Auguſt. cor
li.1. de doctri. Chri. ca.vlt. accipit pro intellectu, & conſcientiam pro ſpe. Non ergo charitas fidem & ſpem, ſed fides & ſpes charitatem præcedere videntur. Hoc ergo ea ratione traditum intelli-
ge, non quòd fides & ſpes cauſa vel tempore charitatem, omnium bonorũ matrem, præcedant: ſed quia charitas ſine illis in aliquo

esse non potest, sed illa sine charitate possunt esse : quamuis non sit pia fides vel spes sine charitate. Ergo ex fide & spe procedere dicitur charitas, quia nulli prouenit sine istis.

DE SPE.

DISTINCT. Vigesimæsextæ

CAP. Primum.

Spes rectè definitur.

EST autem Spes, virtus qua spiritualia & æterna bona sperantur, id est cum fiducia expectantur. Est enim spes certa expectatio futuræ beatitudinis, veniens ex Dei gratia & meritis præcedentibus, vel ipsam spem (quam natura præit charitas) vel rem speratam, id est beatitudinem æternam. Sine meritis enim aliquid sperare, non spes, sed præsumptio dici potest.

CAP. *Secundum. Spes est de inuisibilibus.*

SIcut verò fides, ita & spes est de inuisibilibus. vnde Augustinus. Fidem appellamus earum rerum quæ non videntur. De spe quoque dicitur, Spes quæ videtur, non est spes. Quod enim videt quis, quid sperat? *in Enchirid. cap. 8.* Ro. 8.

CAP. *Tertium. Distinguitur fides à spe.*

DIstinguitur tamen fides à spe, sicut vocabulo, ita & rationali differentia. Est enim fides malarum rerum & bonarum: quia & bona creduntur & mala, & hoc fide bona, & non mala. Est etiam fides rerum præteritarum, & præsentium, & futurarum. Credimus enim mortem Christi, quæ præteriit: credimus sessionem, quę nunc est: credimus venturum ad iudicandum, quod futurum est. Item fides est futurarum rerum, & alienarum. Nam & se quisque credit cœpisse, nec fuisse vtique sempiternum: & alia atque alia non modo de aliis hominibus, multa quæ ad religionem pertinent, verum etiam de Angelis credimus. Spes autem non nisi bonarum rerum est, nec nisi futurarum & ad eum pertinentium, qui earum spem gerere perhibentur.

CAP. *Quartum. In Christo nec fides fuit, nec spes.*

Redit ad 23. dist. superiùs de Christo agitatam.

QVibusdam non indoctè videtur fidem virtutem, & spem in Christo nõ fuisse, sicut in sanctis iam beatificatis vel in Angelis non sunt. Et tamen Sancti credunt & sperant resurrectionem futuram, & Angeli eandem credũt: nec tamen fides vel spes virtus in eis est, quia & Deo per speciẽ cõtemplãdo fruũtur, & in Dei verbo futurã resurrectionẽ & iudiciũ clarissimè respiciũt. Si enim quia credũt resurrectionẽ futurã, ideo verum

est eos fidem habere, ergo ea consummata post iudicium & fidem similiter habere dicentur, qui credent eam præteritam. Sed sicut tunc credent, nec tamen fidem quæ fideles facit, habebunt: quia non credent absque scientia, quæ non erit ænigmatica, sed per speciem: ita & modo credunt & sperant resurrectionem: nec tamen fidē habent, quia credēdo cognoscunt. Ità & Christus, in quo bona patriæ fuerūt, credidit quidem & sperauit resurrectionem tertia die futuram, pro qua & patrem orauit: nec tamen fidem & spem virtutem habuit, quia non ænigmaticam & specularem, sed clarissimam de ea cognitionem habuit: quia non perfectiùs cognouit præteritam, quàm intellexit futuram. Sperauit tamen Christus, sicut in Psal. ait, In te domine speraui. De antiquis verò patribus, qui apud inferos vsque ad passionem tenebantur, non incongruè dici potest, quòd fidem & spem virtutem habuerunt: quia credebant & sperabant se visuros Deum per speciem, qualiter tunc eum non videbant.

DE CHARITATE.

De charitate quātum ad eiꝰ essentiā & definitionem.

DISTINCT. Vigesimæseptimæ

CAP. Primum.

Christus habuit summam charitatem.

MAior charitas in Christo esse non potuit, qui ex charitate eximia animam posuit pro amicis & inimicis. habuit enim in corde charitatem, quam opere nobis exhibuit, vt exhibitionis forma nos ad diligendum instrueret.

CAP. *Secundum. Charitas rectè definitur.*

CHaritas est dilectio qua diligitur Deus propter se, & proximus propter Deum vel in Deo. Hæc habet duo mandata: Vnum pertinens ad dilectionem Dei, quod est maximum in lege mandatum: Et alte- *matth.* rum pertinens ad diligendum proximum, illi simile, vt patet Deut. 6. *22.*

CAP. *Tertium. Eadem dilectione diligitur Deus & proximus.*

AVgust. sic dicit: Iohannes ait, Non po- *li. 8. de Trini. cap. 8.* test Deum diligere quem non videt, qui fratrem quem videt, nõ diligit. Sed si eum quem videt humano visu, spirituali charitate diligeret, videret Deũ, qui est ipsa charitas, visu interiori, quo videri potest. Qui ergo fratrem quem videt, non diligit, Deum, qui est dilectio, qua caret qui fratrem nõ diligit, quomodo potest diligere? Ex vna enim eademq; charitate Deũ proximumq; diligimus: sed Deũ propter Deum, nos verò

&proximũ propter Deum. Etsi enim vna est charitas, duo tamen sunt præcepta: & hoc propter diuersa dilecta, vel propter duos motus, qui in mente geruntur, dum Deus diligitur & proximus. Regula autem dilectionis (ait Augustinus) diuinitus constituta est, vt Deũ propter se ex toto corde, & proximum diligas sicut teipsum, id est ad quod & propter quod teipsum diligere debes. li.1.de doctri. Chri. cap.22.

CAP. *Quartum. Præceptum de dilectione Dei in hac vita penitus impleri non potest.*

NAm ex parte diligimus, sicut ex parte cognoscimus. in futuro autẽ implebitur ex toto. Vnde Aug. Cùm adhuc est aliquid carnalis cõcupiscentiæ, nõ omnimodo ex tota anima diligitur Deus. Caro autẽ nõ dicitur cõcupiscere, nisi quia anima carnaliter concupiscit. Cùm autem venerit quod perfectum est, implebitur in ea plenitudine præceptum illud charitatis, Diliges dominum deum tuum ex toto corde. Cùm autem impleri non possit in hac vita ista perfectio, præcipitur tamen: quia non rectè curritur. si quò currẽdum est nesciatur. quomodo autem sciretur, si nullis præceptis ostenderetur? Impletur autem ex parte, id est sec. perfectionem viæ. Alia est enim perfectio currentis, alia peruenientis. 1.co.13 cõt.celestiũ.

CAP. *Quintum. Vnum mandatorum charitatis in alio continetur & intelligitur.*

QVum duo sint præcepta charitatis, pro vtroque sæpe vnum ponitur: nec immeritò, quia ~~nec Deus sine proximo, nec proximus sine Deo diligi potest.~~ Rom.13. gal.5. Vnde Apo. omne mandatum legis dicit instaurari, id est contineri & impleri in hoc verbo, Diliges proximũ tuum sicut teipsum.

CAP. *Sextum. Non omnia sunt ex charitate diligenda.*

li.1.de doctri. Chri. cap.23 NOn enim omnia (ait Augustꝰ.) quibus vtendum diligẽda sunt: sed ea sola, quæ vel nobiscum societate quadam referũtur in Deum: sicut est homo vel Angelus: vel ad nos relata beneficio Dei per nos indigent, ~~vt corpus~~, quod ita præcipiendum est diligi, vt ei ordinatè prudenterq; consulatur.

DE NVMERO DILIgendorum.

DISTINCT. 28. CAP. Primum.

Omne genus diligendarum rerum in illis duobus mandatis charitatis continetur.

li.1.de doctri. Chri. cap.23 QVatuor diligẽda sunt (vt ait Augustꝰ.) Vnum, quod supra nos est, scil. Deus: alterum, quod nos sumus: tertium, quod iuxta nos est, scil. proximus: quartum, quod infra nos est, scil. corpus. ~~De secundo & quarto nulla præcepta~~

dãda erãt, scil. vt diligeremus nos vel corpus nostrum: præcipitur autem Deus diligi & proximus. Vt autem quisque se diligat, præcepto non est opus. Quantumlibet enim homo excidat à veritate, remanet illi dilectio sui, & dilectio corporis sui: quia nemo vnquàm carnem suam odio habuit. Nam viri iusti qui corpus suum cruciant, non corpus, sed corruptiones eius & pondus oderunt. Ideo speciale de hoc præceptum dandum non erat. Et ad hunc sensum tradit August. quòd ex præcepto non tenemur diligere nosmetipsos, vel corpus nostrum: quia nulla præcepta erant danda specialia & diuisa.

CAP. *Secundum. In præcepto dilectionis continetur dilectio Angelorum & Christi, quatenus homo est.*

MAnifestum ergo præcepto dilectionis & proximi, etiam sanctos Angelos contineri, à quibus tanta nobis misericordiæ impenduntur officia. Ex quo & Dominus proximum se nostrum dici voluit, vt in parabola saucij ostendit. & in Prophe. Quasi proximum & quasi fratrem nostrum sic complacebam. Eum enim proximum intelligimus, cui vel exhibendum est officium misericordiæ si indiget. Sed quia excellentior ac supra naturam nostram est

lib. 10. de doctri. Chri. cap. 30

Luc. 10.

Psal. 34.

diuina ſubſtãtia, præceptum dilectionis Dei à proximi dilectione diſtinctum eſt. Ideoque licet Deus nobis omnia impendat beneficia: non tamen nomine proximi includitur in illo præcepto, quem non ſicut nos diligere debemus, ſed plus quàm nos, toto corde & anima. Chriſtum verò inquantum homo eſt, ſicut nos diligere debemus: eiusque ſec. hominem dilectio illo continetur mandato. quem & ſec. hominem magis quàm nos, ſed non quãtùm Deum, debemus diligere: quia inquantum eſt homo, minor eſt Deo.

DE ORDINE DILIGENDI reſpectu diligendorum.

DISTINCT. Vigeſimænonæ

CAP. Primum.

Ordo in diligendis eſt obſeruandus.

cant. 2. QVia dicit Sponſa, Introdixit me rex in cellam vinariam, & ordinauit in me charitatem. Ordinem autem diligendi Auguſt. inſinuat dicẽs, Ipſe eſt qui ordinatam habet dilectionem, ne aut diligat, quod non eſt diligendum, aut non diligat, quod diligendum eſt, aut æquè diligat, quod minus vel amplius diligendum eſt. Omnis peccator, inquantum peccator eſt, non eſt diligendus. Et omnis homo, inquantum homo, diligendus eſt propter Deum,

li. 1. de doctri. Chri. cap. 27

Deus verò propter seipsum: & Deus ꝑpter se omni homini diligẽdus ampliùs est: & ampliùs quisq; debet Deum diligere, q̃ seipsum. Itẽ ampliùs diligendus est homo, quàm corpus nostrum: quia propter Deum omnia ista diligenda sunt: & potest nobiscũ Deo homo perfrui, quod non potest corpus nostrũ: quia corpus per animam viuit, qua fruimur Deo. In qua enumeratione diligendorum priùs ponitur quod supra nos est: secundò, quod nos sumus: tertiò, quod iuxta nos est: quartò, quod infra nos. vbi ordo diligendi insinuari videtur ex ratione enumerationis.

CAP. *Secundum. Non omnes pari affectu & effectu diligendi sunt proximi.*

QVidam enim tradere videntur, q̃ pari affectu omnes diligẽdi sint, sed in effectu. i. exhibitione obsequij, distinctio obseruãda est. vnde Aug. Omnes homines æquè sunt diligẽdi: sed cùm omnibus prodesse non possis, iis potissimũ consulendum est, qui pro locorũ & tẽporum vel quarũlibet rerũ opportunitatib⁹, cõstrictiuè tibi quasi quadã sorte iungũtur. Pro sorte enim habẽdum est, quo quisq; tibi colligatiùs adhæret: ex quo legis illi potius dandum esse. Quibus obuiat illud præceptũ legis de diligẽdis parẽtibus, Honora patrem tuũ & matrem tuã. Vt quid enim specialiter illud præ-

li. 1. de doctri. Chri. cap. 28

Deut. 5

ciperetur de parẽtibus, nisi maiori dilectione essẽt diligẽdi? Sed hoc illi dicũt referendum ad exteriorem exhibitionẽ, in qua prę-ponendi sunt parẽtes. vnde, honora dixit, nõ, dilige. Quorum etiã nonnulli tradũt affectu charitatis tantùm proximos esse diligendos, quãtùm nosipsos diligimus. quod cõfirmant authoritate Aug. dicẽtis, quòd incõparabiliter plus Deo quàm nobis impẽdere, fratri verò quantùm nobis, debemus. Verùm quia verba Ambr. (dicẽtis sic, Multorum charitas inordinata est: quod in primo est, ponũt tertium vel quartũ. Primò Deus diligẽdus est: Secũdò, parẽtes: indè filij, pòst domestici, qui si boni sunt, malis filiis præponẽdi sunt. Secundum hoc in Euã. ad cuiusq; dilectionem propriũ ponit, Diliges dominũ deum tuum ex toto corde tuo, & ex omnib⁹ viribus tuis: & proximũ tuũ sicut teipsum, & inimicos nõ ex tota virtute, nec sicut teipsum, sed simpliciter: Sufficit enim quòd diligimus, & non odio habemus.) ordinẽ diligendi sec. affectũ magis quàm sec. effectum diligẽter intuentibus explicare vidẽtur. Nõ indoctè alij dicũt nõ modo in exhibitione operis, sed etiam in affectu charitatis ordinem differentem esse statutũ: vt ante omnia diligam⁹ Deũ, secũdò nos, tertiò parẽtes, quartò filios vel fratres, & huiusmodi, postea domesticos, deinde inimicos. Quòd verò Aug. dicit pariter oẽs dili-

li. 8. de Trini. cap. 8, ſu. illud cant. 1. Introd. me, 17.

gendos, & pari dilectione omnibus vitam exoptandam, ita accipi potest, vt paritas non ad affectum referatur, sed ad bonum quod eis optatur: quia charitate omnibus optare debemus, vt paria bona mereantur. sicut Apost. dicit: Volo omnes homines esse sicut me. Optanda est enim minoribus perfectio maiorum, vt fiant ipsi perfecti, & sic parem mereantur beatitudinem: vel pari dilectione, id est eadem dilectione, omnes diligendi sunt. Item quod ait, Vt tantùm diligamus fratres, quantùm nos, ita intelligi potest, id est ad tantum bonum diligamus fratres, ad quantum nos: vt tantum eis bonum optemus in æternitate, quantum nobis, etsi non tanto affectu. Vel ibi, quantùm, similitudinis est, non quantitatis. 1. Co. 7.

Quæst. An extranei boni sint magis diligendi intraneis malis.

Solet etiam quæri: Si parentes nostri mali sint, an magis vel minus diligendi sint aliis bonis, hac ratione nobis non coniunctis. Videtur enim quòd boni sint magis diligendi, quia nobis sunt coniuncti corde, glutino charitatis. Sãctior est enim copula cordium, quàm corporum. Vnde Beda de illis verbis Domini, Mater mea & fratres mei hi sunt, qui verbũ Dei faciũt: Non iniuriosè negligit matrẽ: nec mater negatur, quæ etiã de Luc. 8.

cruce cognoscitur: sed religiosiores monstrā tur copulæ mentium, quàm corporum. Veruntamen latebrosa quæstio est hæc, nec à nobis plenè absoluēda properātibus ad alia.

CAP. *Tertium. Non tenemur inimicos nostros tantùm diligere, quantùm nosipsos, ex Ambr.*

MOnemur enim ex verbis illis Ambr. quibus inimicos ex tota virtute, non sicut teipsum, iubet diligere, sed simpliciter. Sufficit enim quòd diligimus, & nō odio habemus. Quod non ita accipiendum est, quasi tibi sufficiat diligere inimicum, & non sicut teipsum, quia omnes & amicos & inimicos sicut teipsum diligere debes: sed sufficit si omnes eos minus diligimus, quàm alios proximos. Diligamus ergo inimicos lucrādos regno Dei, & odio habeamus propinquos, si impediunt nos à regno Dei, & in omnibus communiter naturam diligamus, quam Deus fecit.

CAP. *Quartum. Charitas augeri potest.*

SCiendum quoque diuersos esse gradus charitatis. Est enim charitas incipiens, proficiens, perfecta, perfectior, perfectissima. Vnde Augu. Perfecta charitas hæc est,

aug. in can. 10. tract. 5

vt quis paratus sit pro fratrib⁹ mori. Sed nũc mox vt nascitur, iã prorsus perfecta est? Imò vt perficiatur, nascitur: cùm fuerit nata, nutritur: cùm fuerit nutrita, roboratur: cũ fuerit roborata, perficitur: cùm ad perfectionẽ venerit, dicit, Cupio dissolui, &c. Quem progressum charitatis etiam Veritas commẽdat, dicens: Maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm vt animã suam ponat quis pro amicis suis. Quod vtique dictum est de opere dilectionis, quia maior dilectionis affectus non est, quàm ponere animam pro aliis. Nec te moueat quod ait, pro amicis: qui enim ponit pro amicis animam, ponit & pro inimicis, ad hoc vt fiant amici.

Phi.2.

Ioh.15

Superiori dist. demõstratum est de ordine charitatis sec. quadruplicẽ modũ dilectionis, nũc de ordine charitatis sec. quãtitatẽ meriti.

DE CHARITATE QVANTÙM ad meriti perfectionem.

DISTINCT. Trigesimæ

CAP. Vnicum.

Magis meritorium est diligere amicos, quàm inimicos.

HIc solet quæri, quod potius sit plurísque meriti, diligere amicos, quàm inimicos. Sed hæc comparatio implicita est. Si enim conferatur dilectio amicorum tantùm, dilectioni amicorum & etiam inimicorum, perspicua est absolutio. Sed si

in aliquo vno homine, qui diligit simul amícum & inimicum, quid horum potius sit quæratur, obscura est respõsio: quia ~~de mẽtis motu id agitur, de quo nobis non est facile iudicium~~, an vnus & idem motus sit erga amicum & inimicum, sed erga amicum intensior: an duo: vnus erga inimicum, qui est difficilior: alter erga amicum, qui est feruentior. Nec incongruè putatur melior qui est feruentior. Vel si vnus idemque est, inde potior, vbi ardentior est, non improbè exi- *in Enc. ca. 27.* stimatur. Aug. tamen sentire videtur, maius esse diligere inimicum, quàm amicum: quia *Mat. 9* diligere inimicos dicit esse perfectorum, & benefacere eis: neque hoc à tanta multitudine impleri, quanta in oratione dominica exauditur, cùm dicitur, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos, &c. Sed dicendum ibi cõparationem factam inter dilectionem, qua diligitur tantũ amicus, & dilectionem, qua amicus & inimicus.

motus.

Obiectio.

Dilutio.

DE CHARITATE QVANtùm ad durationem.

DISTINCT. Trigesiuæprimæ

CAP. Primum.

Charitas viæ potest deperdi. f. 201. b. l. 15

ILlud quoque non prætereundum, quod quidam asserunt charitatem semel habitam ab aliquo non posse excidere, nul-

lumque damnandum hanc aliquando habere. Ait enim Apoſt. Charitas nunquã excidit. Augu. etiam inquit, Charitas quæ deſeri poteſt, nunquam vera fuit. Item charitas eſt fons proprius & ſingularis bonorum, cui non communicat alienus: alieni autem ſunt omnes, qui ſunt audituri, Non noui vos. Sed quòd Apoſt. ait, Charitas nunquam excidit, nullatenus pro illis facit: dignitatem enim charitatis oſtendens, dicit eam non excidere, quia hic & in futuro erit: ſed fides, ſpes, & ſcientia euacuabũtur. Item quòd dicitur charitas nunquam fuiſſe vera quæ deſeri poteſt, non ad eſſentiam charitatis refertur, ſed ad efficiẽtiam: quia non efficit charitas quæ deſeritur, hominem verè beatum, nec perducit ad verum bonum. Huic etiam fonti alieni, id eſt damnandi, non communicant, ſcil. in fine, quia non perſeuerant. Poteſt tamen hoc & cætera quæ de charitate dicta ſunt, de perfecta intelligi, quam ſoli perfecti habent, quæ ſemel habita non amittitur. Exordia verò charitatis aliquando creſcunt, aliquando deficiunt. Sunt enim virtutis exordia, & profectus, & prouectio: quos gradus ille diſcernit, qui parabolam illam intelligit: Sic eſt regnum Dei, quemadmodum ſi iactet homo ſemen in terram, & dormiat, & exurgat ſemen, & germinet, & creſcat. Si ergo perfecta charitas ſic eſt radicata, vt

1. Cor. 13 ad Iul. com. de pœni. diſt. 2.

amitti nequeat, incipiens tamen & prouecta amitti potest, & sæpe amittitur: sed dū habetur, nō finit habentē criminaliter peccare.

CAP. *Secundum. Charitas & scientia fct. essentiam in patria remanent, non autem fides & spes.*

ADuertendum etiam, quomodo fides, spes, & scientia dicantur euacuari, quia ex parte sunt, & non charitas, quum & ipsa ex parte sit. Ex parte enim, id est imperfectè, diligimus: sicut ex parte scimus, vt ait Esichius sup. Leuit. Cùm ergo omne quod ex parte est, euacuetur, cur charitas excipitur, quæ dicitur nunquam excidere? Charitas etiam ex parte est, vt sæpe sancti docent: quia ex parte nunc diligim⁹. & ideo ipsa euacuabitur, in quantū ex parte est: quia tolletur imperfectio. & addetur perfectio: remanebitq; ipsa aucta, & actus eius, & modus diligēdi, vt diligas Deū propter se toto corde, & proximū tuū sicut teipsum: sed eliminabitur imperfectionis mod⁹. Fides verò & spes penitus euacuabūtur. Scientia verò secundū actum & modum suum qui nunc est, non secūdum sui essentiam tolletur. Ipsa enim virtus scientiæ remanebit, sed alium tenebit vsum & modum.

CAP. 3. *Christus præscriptum ordinem charitatis habuit, sec. modum patriæ, & non viæ.*

TAmetsi Christus omnẽ hominem vt seipsum dilexerit, nec tamen ōmnes salui facti sunt: non est tamen ignorandũ in eo fuisse charitatẽ iuxta modũ patriæ nõ viæ, eũq; ordinẽ diligẽdi impleſſe, qui ſeruiatur in patria, nõ in via. Quienim in patria ſunt, adeò dei iuſticię addicti ſunt, vt nihil eis placeat, niſi quod Deo placet: & per hoc tantũ ſalutem illorũ diligunt & volunt, quos Deus ſaluari vult, eoſque ſolos ſicut ſe diligunt. Ita Chriſtus electos tantùm ſicut ſe dilexit, eorúmque ſalutem optauit.

DE CHARITATE DEI qua diligit homines.

DISTINCT. Trigeſimæ ſecundæ

CAP. Vnicum.

Deus in dilectione ſua, tametſi ſit immutabilis, vnum tamen altero magis diligit.

AVg. Incomprehenſibilis eſt dilectio dei atque immutabilis, qua Deus in vnoquoque noſtrum amat quod fecit, ſicut & odit quod fecimus. Ideoque cùm ſit immutabilis, non intenditur, neque remittitur, tametſi hoc magis quàm illud diligere dica-

tur. Quòd enim rationales creaturas aliquas magis vel minus diligere dicitur, non mutabilitatem charitatis eius significat: sed quòd alios ad maiora bona, alios ad minora dilexit: alios ad meliores vsus, alios ad minus bonos. Consideratur enim duobus modis dilectio Dei, secundum essentiam, & secundum efficientiã. Non recipit magis vel minus secundum essentiam, sed tantùm secundum efficientiam: vt magis dilecti dicantur, quibus ex dilectione ab æterno maius bonum præparauit, & in tempore tribuit: & minus dilecti, quibus non tantum. Inde est etiam quòd aliqui quando conuertuntur & iustificantur, tunc dicuntur incipere diligi à Deo. non quòd Deus noua dilectione possit quenquam diligere (qui sempiterna dilectione diligit) sed quia æternæ Dei dilectionis incipiunt sortiri effectũ, scilicet gratiam vel gloriam. Vnde Augustin. li. 5. de Trini. cap. 16 Absit vt Deus temporaliter aliquem diligat, quasi noua dilectione quæ in ipso antè non erat, apud quem nec præterita transierunt, & futura iam facta sunt. Itaque omnes sanctos ante mundi constitutionem dilexit, sicut & prædestinauit.

Charitas Dei nõ recipit magis nec minus.

Deus non incipit diligere.

CAP. *Secundum. Reprobi non dicuntur à Deo diligi.*

DE reprobis verò, qui præparati non sunt ad vitam, sed ad mortem, simpliciter concedendum est, quòd ab æterno illos habuit odio, id est reprobauit, sicut legitur: Iacob dilexi, Esau autẽ odio habui. *Mal.1* Sed non est simpliciter dicendum, quòd dilexit, ne prædestinati intelligãtur: sed cũ adiectione concedatur, dilexit eos, inquantum opus eius futuri erant, id est quos & quales ipse eos erat facturus.

DE QVATVOR VIRtutibus Cardinalibus.

DISTINCT. Trigesimætertiæ

CAP. Primum.

Quatuor sunt virtutes Cardinales.

POst prædicta, scil. de virtutibus theologicis, de quatuor virtutibus, quæ Principales siue Cardinales vocantur, differendũ est: quæ sunt, Iustitia, Fortitudo, Temperantia, Prudentia, de quibus ait August. *Lib.18 de Tri. cap.9.* Iustitia est in subueniendo miseris, Prudentia in præcauendis insidiis, Fortitudo in perferendis molestiis, Temperantia in coercendis delectationibus prauis. Quæ virtutes Cardinales dicuntur (vt ait Hieron.) quibus in hac mortalitate, & pòst ad æternam vitã peruenitur: quæ in Christo plenissimè fuerũt & sunt. De cuius plenitudine nos acce-

pimus. In quo habuerunt vsus eosdem, quos in patria habent, & quosdam etiam viæ.

CAP. *Secundum. Virtutes Cardinales remanebunt in patria.*

QVibusdam visum est tres earum esse defituras, scilicet prudentiam, fortitudinem, & temperantiam. Iustitia autem immortalis est, & magis tũc perficietur in nobis, quam esse cessabit, quum beatè viuemus contemplatione diuinæ naturæ, quæ omnes naturas creauit & instituit. Cui regenti subditum esse iustitiæ est. Fortasis & aliæ tres virtutes, prudentia sine vllo iam periculo erroris, fortitudo sine molestia tolerandorum malorum, temperantia sine repugnatione libidinum, erunt in illa felicitate: vt prudentiæ ibi sit, nullum bonum præponere Deo vel æquare: fortitudinis, ei firmissimè adhærere: tẽperantiæ, nullo defectu noxio delectari. Quod verò nunc agit iustitia in subueniendo miseris, quòd prudentia in precauendis insidiis, quòd fortitudo in perferendis molestiis, quòd temperantia in coercendis prauis delectationibus, non erit ibi omnino, vbi nihil mali erit. Ecce hic apertè ait Aug. quòd prædictæ virtutes erunt in futuro: sed alios tunc habebunt vsus, quàm modo. Cui Beda assentit in Exod. cap. 26

DE SEPTEM DONIS Spiritus sancti.

DISTINCT. Trigesimæquartæ

CAP. Primum.

Dona Spiritus sancti sunt virtutes, nec in patria sunt desitura.

HAEc septem dona virtutes esse, nec in futuro desitura Ambr. ostendit, ea septem fore virtutes dicens, & in angelis abundantissimè esse, sic: Ciuitas Dei, illa Hierusalem cælestis, non meatu alicuius fluuij terrestris abluitur, sed ex vitæ fonte procedens Spiritus san. cuius nos breui satiamur hausto, in illis cælestibus spiritibus redundantius videtur effluere, pleno feruens septē virtutum spiritualiū meatu. Has autē septē virtutes enumerat Esa. dicens, Spiritus sapiētiæ & intellectus, Spir. cōsilij & fortitudinis, Spir. scientiæ & pietatis, & Spir. timoris domini. Quanuis autē dicatur Spir. vnus tamē est Dei Spir. suæ libertatis arbiter, omnia pro authoritate voluntatis diuidens singulis.

li. 1. de Spirit. san. ca. 10. & vlt.

cap. 11.

1. co. 12

CAP. 2. *In Christo fuerunt illa septem dona.*

IN Christo etiā hæc eadem fuisse Esa. ostēdit, dicens: Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascēdet, & requiescet super eum Spiritus timoris domini, Spir. sapientiæ, &c. His autē obuiare videtur

Obiectio.

Pro. 1. quod Bed. de timore domini ait sup. Parab. scil. q̄ omnis timor cessabit in futuro. Si autem timor nec in futuro erit, ergo nec septē dona erunt. Ad quod dicimus, q̄ septem illa dona & in angelis modo sunt, & in animabus sanctis feliciter viuentibus, & in nobis erūt in futuro, sed non oīa habebūt hos vsus siue hæc officia, quæ nunc habent. Verbi gratia, Timor filialis facit nunc timere ne offendamus quem diligimus, & ne separemur ab eo: facit etiam nos reuereri eundem: in futuro verò faciet non reuereri, quando non timebimus separari vel offendere. Quidam tamen sec. effectum, timorem in Christo & in angelis tantùm esse contendunt. *Dilutio.*

CAP. *Tertium. Quadruplex est Timor.*

Quid timor mundanus.

SCiendum est quatuor esse timores, scil. mūdanum siue humanum, seruilem, initialem, castum siue filialem vel amicabilem. Humanus timor est (vt ait Cassiod.) in psal. 127. quando timemus pati pericula carnis, vel bona mundi perdere, propter quod delinquimus. Hic timor malus est, qui in primo gradu eū mundo deseritur, quē Dominus pro- mat. 10 hibet in Euāg. dicēs: Nolite timere eos qui occidunt corpus. Timor autē seruilis est (vt ait Aug. cū per timorē gehēnæ cōtinet se ho in psa. 127. mo à peccato, qđ præsentiā iudicis & pœnas metuit, & timore facit quicquid boni facit.

Bonus est ille timor & vtilis, licet insufficiēs, per quem fit paulatim consuetudo iusticiæ, & succedit initialis timor, quando incipit quod durum erat amari. Et sic incipit excludi seruilis timor à charitate, succedit deinde timor castus siue amicabilis, quo timem⁹ ne sponsus tardet, ne decidat, ne offendamus, ne eo careamus. Augustinus quoque seruilem & castum timorem apertè discernit, epist. ad Rom. locum illum exponens, Non enim accepistis Spiritum seruitutis iterum in timore: sed accepistis Spiritum adoptionis filiorū Dei, ita dicens: Duo hic timores insinuantur: vnus, qui est in perfecta charitate, scilicet timor castus: alter, qui non est in charitate, scilicet seruilis. De iis timoribus latiùs disputat Augustinus tract. 9. in 1. Iohan. can. cap. 4. Nec potes melius explanare quid interest inter istos duos timores, quàm si ponas duas mulieres vni matrimonio copulatas: quarū vnā constituas volentē facere adulterium, sed timet ne dānetur à marito, cui non grata est, sed onerosa mariti præsentia. tales sunt qui timēt diem iudicij. Fac alteram amare virum, & debere illi castos amplexus, nullo feruentem adulterij desiderio, semperque viri optantem præsentiam. Illa timet, & ista timet. Timet illa, ne veniat maritus, eámque deprehendat adulterantem. Ista verò timet, ne à viro quem intimè amat, dese-

cap. 8.

quid timor castus.

aug. in epi. ad honor. de gra. no. te. cap. 21 epi. 12.

ratur. Pone hæc in animo, & inuenies quis sit timor castus, & quis seruilis, & qualiter differat. Præterea timorem initialem significatum reperies, qui nec ex toto est seruilis, nec ex toto castus, sed tanquam medius de vtroque aliquid retinens. Iste timor est in inchoata charitate. *quid timor initialis.*

CAP. *Quartum. In Christo non fuit timor mundanus, seruilis, vel initialis.*

QVia timor mundanus malus est, & in primo gradu cũ mũdo deseritur: Seruilis verò initialis in perfecta charitate non est. Nullus ergo istorum timorũ fuit in Christo. Quis ergo fuit timor ille, quo pœnam timuit? Potest timor ille dici naturalis vel humanus, qui omnibus hominibus inest, quo horretur mors ac formidatur pœna. Et dicitur iste timor naturalis, non quia accesserit homini ex natura, secundum quód fuit priùs instituta: sed quia ex corrupta natura per peccatum omnibus aduenit, cui corruptio inoleuit, tanquam esset naturalis, & est iste timor effectus peccati, vt suprà dictum est.

CAP. *Quintum. In Christo fuit timor castus.*

AVguſt. dicit timorem caſtum eſſe æternum, ſed nō habebit omnē illum vſum, quē modo habet. faciet enim tunc nos reuereri Deum, non timere ſeparari vel carere. Fuit ergo & in Chriſto timor ille, ſed iuxta vſum illum, quem in futurum habebit in ſanctis. Non enim timuit Chriſtus ſeparari, vel offendere Deum: ſed Deum præ omnibus reueritus eſt.

DE DONIS IN SPECIALI.

DISTINCT. Trigeſimæquintæ

CAP. Primum.

Donum ſapientiæ & ſcientiæ diſtinguuntur.

POſt præmiſſa diligenter conſiderandū in quo differat ſapientia à ſcientia. De hoc Aug. ita ait: Philoſophi diſputantes de ſapientia, definierunt eam, dicentes: Sapiē tia eſt rerum diuinarum humanarūque ſcien tia. Ego quoque vtrarūque rerum cognitionem, id eſt diuinarū & humanarū & ſapien tiam & ſcientiam dici poſſe non nego. Verū iuxta diſtinctionem Apoſt. qua dixit, Alij da tur ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ. illa definitio diuidenda eſt, vt rerum diuinarū cognitio, ſapientia propriè nuncupetur: humanarū verò, propriè nomen obtineat ſcien tiæ. Neq; verò quicquid ſciri ab homine po teſt in rebus humanis, vbi plurimū ſuperua-

lib. 14. de trii. cap. 1.

1. co. 12.

cuæ vanitatis, & noxiæ curiositatis est, huic scientiæ tribuo: sed illud tantùm quo fides saluberrima, quæ ad veram beatitudinẽ ducit, gignitur, nutritur, defẽditur, roboratur: qua scientia non pollent plurimi, quãuis ipsa fide polleant plurimum. Aliud est enim scire quid homo tantùmmodo credere debeat propter adipiscendam vitam beatam: aliud est scire quomodo hocipsum & piis opituletur, vel cõtra impios defendatur: quæ proprio vocabulo appellatur scientia. De differentia harum duarum virtutum idem Aug. sup. Psal. & lib. 12. de Trini. Distat ab æternorum contemplatione actio qua bene vtimur temporalibus rebus: & illa sapientiæ, hæc scientiæ deputatur.

Ench. c. 2. & lib. de Tri. 12 ca. 14

CAP. *Secundum. Differunt sapientia & intellectus.*

IN hoc differunt illa duo, quia sapiẽtia est ppriè de æternis, quæ veritati æternæ cõtemplandæ intendit. Intelligẽtia verò nõ modo de æternis est, sed etiam de rebus inuisibilibus, & spiritualibus temporaliter exortis. In hoc ergo differẽtia est, quia sapiẽtia creator tantùm conspicitur: intellectu verò creator & creatura quædam. Sic ergo distingui potest inter sapiẽtiam, scientiam, & intellectũ. Scientia enĩ valet ad rerũ tẽporaliũ rectã administrationẽ, & ad bonã inter

malos conuersationem. Intelligentia verò ad creatoris & creaturarum inuisibiliũ speculationem, Sapientia verò ad solius veritatis æternæ contemplationem & delectationem. Aduertendum tamen quòd intellectus & scientia, quæ dicũtur dona Spiritus san. alia sunt ab intellectu & scientia, quæ naturaliter sunt in anima hominis: quia per illas virtutes, quæ dicuntur dona Spiritus san. naturalia reformantur atque adiuuantur.

De connexione habituum gratuitorum.

DE CONNEXIONE virtutum.

DISTINCT. Trigesimæsextæ

CAP. Primum.

Omnes virtutes sunt connexæ.

SOlet etiam quæri, vtrũ virtutes sibi hærent: vt qui vna caruerit, oĩbus careat. *in Esa. 56.* De hoc etiam Hiero. ait: Qui ergo vnam habet, omnes habet. Quod quidẽ probabile est, Cùm enim charitas mater sit omnium virtutum, in quocunque mater ipsa est, scil. charitas, & cuncti filij eius, id est virtutes rectè fore credũtur. Vnde Aug. Vbi charitas est, quid est quod possit deesse? Vbi aũt non est, quid est quod possit prodesse? Cur ergo nõ dicimus, Qui hanc habet virtutem, omnes habet, cũ plenitudo legis sit charitas, quæ quantò magis est in homine, tantò ma- *In Io. tract. 83.*

gis est virtute preditus. quantò verò minùs, tantò minùs inest virtus: & quantò minùs inest virtus, tantò magis inest vitium.

CAP. *Secundum. Omnes virtutes sunt in homine pares.*

Prima opi.

QVibusdam videtur quòd aliæ magis, aliæ minùs habeantur ab aliquo, sicut in Iob patientia emicuit, in Dauide humilitas, in Mose mãsuetudo. Qui etiam cõcedunt aliquem per vnam virtutem magis mereri, quàm per aliam, &c. Alii verius dicunt omnes virtutes & similes & pares esse in quocunque sint: vt qui in vna alteri par extiterit, in omnibus eidem æqualis sit. Vnde August. Virtutes quæ sunt in animo humano, quamuis alio & alio modo singulæ intelligantur: nullo modo tamen separantur ab inuicem, vt quicunque fuerint æquales. verbi gratia, In fortitudine equales sunt, & prudentia, & iustitia, & temperantia. Si enim dixeris æquales esse istos in fortitudine, sed illum præstare prudentia: sequitur vt huius fortitudo minùs prudens sit, ac per hoc nec fortitudine æquales sunt, quia est illius fortitudo prudentior: atque ita de cæteris virtutibus inuenies, si omnes eadem consideratione percurras. Cùm autem dicitur aliquis aliqua præeminere virtute, vt Abraham fide, Iob patientia, secundum vsus

Iac. 5.

III. 12.

Secunda.

Dilutio Primæ opi.

Heb 11.

exteriores accipiendum est, vel in comparatione aliorum hominum, quia vel humilitatis habitum maximè præfert, vel opus fidei, vel alicuius cæterarum virtutum præcipuè exequitur. Ita vt aliquis ea ratione possit dici habere vnam virtutem magis quàm aliam, quia per charitatem magis efficitur in actu vnius virtutis quàm alterius: & propter differentiam actuum virtutes magis vel minùs habere dicitur. vt insinuat Aug. Po- epi. ad hieron. 29.
test & aliquam non habere, cùm tamen simul omnes & pariter habeat quantùm ad mentis habitum vel essentiam cuiusque. In actu verò aliam magis, aliam minùs habet, aliam etiam non habet: vt vir iustus vtens coniugio, non habet continentiam in actu, quam tamen habet in habitu. Cur ergo non dicantur paria peccata? Fortè quia magis facit contra charitatem qui grauiùs peccat, minùs qui leuiùs. Nemo enim peccat, nisi aduersus illam faciendo, quæ est plenitudo Ro. 13. legis. ideo recte dicitur, Qui offenderit in Iaco. 2. vno, factus est omnium reus, id est contra charitatem facit. In qua pendent omnia, lex scil. & prophetæ. Nam etiam & ipsa cæremonialia sec. spiritualem intellectum quem mat. 22. continent, & omnia moralia ad charitatem sunt referenda, tanquàm ad finem. Vnde Augustin. Totam magnitudinem & amplitu-

Peccata nõ sunt paria.

100. b

dinem diuinorum eloquiorum posſidet charitas, qua Deum proximumq; diligimus, quę radix eſt omnium bonorum. Vnde Veritas ait: In iis duobus mandatis vniuerſa lex pendet & prophetæ, &c.

DE DECEM PRAECEptis Decalogi.

Poſt determinationē de habitib⁹ virtutū & donorum, nūc de operibus mandatorū, per quæ in actibus virtutum dirigimur.

DISTINCT. Trigeſimæſeptimæ

CAP. Primum.

Decem præcepta decalogi ſunt recto ordine diſpoſita, quorum tria ſunt primæ tabulæ.

SEd iam diſtributio decalogi, quæ in duobus mandatis completur, conſideranda eſt. Habet enim decalogus decem præcepta, quæ ſunt decachordum pſalterium. Quæ ſic ſunt diſtributa, vt tria quæ ſunt in prima tabula, pertineant ad Deum, ſcil. ad cognitionem & dilectionem Trinitatis: ſeptem, quæ ſunt in ſecunda tabula, ad dilectionem proximi. Primum autem in prima tabula eſt, Non habebis deos alienos. Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem, &c. Origenes dicit

exo. 20 aug. de decem chordis, lib. vnico. cap. 5. & lib. q. ſuper Exod. q. 7.

esse duo mandata: Augustᵘ. verò vnum. quia quod dixerat, nō habebis deos alienos, perfectiùs explicat, cùm prohibet coli figmenta id est Idolum siue similitudinem alicuius rei Quę duo Orig. dicit distare, vt Idolū sit id quod nihil habet simile sui: Similitudo verò quod habet speciē alicuius rei quę in cælo vel in terra est. verbi gratia: Vt si quis in auro, vel argento, vel alia re faciat speciem serpentis, vel auis, vel alterius rei, & statuat ad adorandum: non Idolum, sed similitudinem fecit. Qui verò facit speciem, quam non nouit oculus, sed animus sibi finxit, vt si quis humanis membris caput canis vel arietis formet, vel in vno habitu hominis duas facies, nō similitudinem, sed Idolum facit: quia facit quod non habet aliquid simile sui. Ideo dicit Apost. quia Idolum nihil est in mundo.

Idolum & simulachrū differunt.

2

Secundum præceptum est: Non assumes nomen Dei tui in vanum, quod est dicere sec literam, Non iurabis pro nihilo nomen Dei. Tertium præceptum, Memēto vt diem sabbati sanctifices. vbi ad literam præcipitur sabbati obseruantia.

3

CAP. *Secundum. Sunt septem præcepta secundæ tabulæ.*

IN secunda verò tabula septem erant māta ad dilectionem proximi pertinentia: quorum primum ad patrem carnalem

4

refertur, sicut primum primæ tabulæ ad patrem cæleſtem. Quod eſt, Honora patrem tuum & matrem tuam, vt ſis longænus ſuper terram, ſcil. viuentium. Parentes verò ſic ſunt honorandi, vt eis debita reuerentia exhibeatur, & neceſſaria miniſtrentur.

Secundum eſt, Non occides. vbi ad literam actus homicidij prohibetur: ſecundum ſpiritum verò etiam voluntas occidendi. Tertium eſt, Non mœchaberis, id eſt ne cuilibet miſcearis, excepto fœdere matrimonij: à parte enim totum intelligitur. Nomine ergo mœchiæ omnis concubitus illicitus, illorum quoque membrorum non legitimus vſus prohibitus debet intelligi. Quartum: Non furtum facies. vbi ſacrilegium & rapina omnis prohibetur. Non enim rapinam permiſit, qui furtum prohibuit: ſed furti nomine bene intelligi voluit omnem illicitam vſurpationem rei alienæ. Sacrilegium tribus modis committitur, quando ſcil. vel ſacrum de ſacro, vel non ſacrum de ſacro, vel ſacrum de non ſacro auferetur. Sacrum verò dicitur quicquid eſt diuino cultui mancipatum: vt eccleſia & res eccleſiæ. Hic etiam vſura prohibetur, quæ ſub rapina continetur: vt dicit Hierony. Eſt enim vſura (vt ait Auguſt.) cùm quis plus exigit in iniuria vel qualibet re, quàm acceperit. Quintum præceptum eſt, Non loqueris contra proximum tuum

falsum testimonium: vbi crimen mendacij & periurij prohibetur.

CAP. *Tertium. Hebræi non commiserunt furtum, res Aegyptiorum secum asportando.*

AVgust. Israelitæ non furtum fecerunt, sed Deo iubente, ministerium præbuerunt. Hoc enim Deus iussit, qui legem dedit. Sicut minister iudicis sine peccato occidit quem lex præcipit occidi: sed si id sponte facit, homicida est, etiam si eum occidat quem scit à iudice occidendum. Infirmi autem qui ex cupiditate Aegyptios deceperũt, magis permissi sunt hoc facere illis qui talia iure passi sunt, quàm iussi. Nec naturalem legem (quæ dicit, Quod tibi non vis fieri, alij ne feceris) sunt transgressi, quoniam subintelligendum, iniustè, vt non alij, scil. iniustè facias, &c. Alioqui huius præuaricator est iudex, dum punit reum, nolens id tale sibi fieri. Ita etiam & illud domini verbum, Omnia quæcunque vultis, vt faciãt vobis homines, &c. de bonis accipiendum est quę nobis inuicem exhibere debemus.

DE DEFINITIONE mendacij, & eius multiplicitate.

DISTINCT. Trigesimæoctauæ

CAP. Primum.

Rectè definitur Mendacium.

HIc videndum est quid sit mendacium, & quid sit mentiri: deinde vtrũ omne mẽdacium sit peccatũ, & quare. Mendacium est (vt ait August.) falsa vocis significatio cum intentione fallendi. Vt ergo mendacium sit, necesse est vt falsum proferatur, & cum intentione fallendi. Hoc enim malum est proprium mentientis, aliud habere clausum in corde, aliud promptum in lingua. Mentiri verò est loqui contra hoc quod animo sentit quis, siue illud verum sit, siue non. Vnde non omnis qui mentitur, mendacium dicit: quia quod verum est loquitur, aliquando mentiendo: sicut econuerso falsum, dicendo aliquando verax est: sed mentitur, quia loquitur contra quod animo sentit, id est voluntate fallendi. Vnde si Iudæus dicat Christum esse Deum, cùm non ita sentiat animo, mendacium non dicit: mentitur tamen, illud quod verum est dicens.

lib. con. mẽdaciũ ad Consentium. cap. 12. enchir. cap. 18.

CAP. *Secundum. Multiplex est mendacium.*

Sciẽdum tamen tria esse genera mendaciorum. Sunt enim mendacia quædam pro salute vel commodo alicuius, non malitia, sed benignitate dicta: qualiter obstetrices mentitæ sunt, & Raab. quarũ mendacium veniale fuisse tradit Augustinus. Est & aliud mendacij genus, quod fit ioco, quod non fallit. Scit enim cui dicitur, causa ioci dici. & hæc duo genera mendaciorum non sunt sine culpa, sed non cum magna. Perfectis verò non conuenit mentiri, nec etiam pro temporali vita alicuius, ne pro corpore alterius animam suam occidat. Licet autem eis verum facere, sed non falsum dicere: vt si quis non vult hominem perdere ad mortem, verum taceat, sed non falsum dicat. *Aug. in ps. 5 Exo. 1. Ios. 2.*

Tertium verò genus mendacij est, quod ex malignitate & duplicitate procedit, cunctis valde cauendum. Ponit & octo alia genera mendacij ad Consentium. *cap. 13.*

CAP. *Tertium. Omne mendacium est peccatum.*

HOc insinuat Augustinus. Mihi, inquit, videtur omne mendacium esse peccatum: sed multum interest, quo animo, & de quibus rebus quisque mentiatur. Non enim sic peccat, qui consulendi, vtqui nocendi voluntate mentitur. Nec tantum nocet, qui viatorem mentiendo in diuersum *Enchi. cap. 18.*

iter mittit, quantùm ille qui viam vitæ mentiendo deprauat. Porrò omne mendacium ideo dicendum est esse peccatum, quia hoc debet loqui homo quod animo gerit: siue illud verum sit, siue reputetur, & non sit. Verba enim ideo sunt instituta, non vt per ea homines inuicem fallant, sed per ea in alterius noticiam suas cogitationes ferant. Verbis ergo vti ad fallaciam, non ad quod sunt instituta, peccatum est.

CAP. *Quartum. Iacob non mentitus est patri, dicens se esse Esau.*

ge. 27. aug. ad Cosentium. cap. 10

DE hoc August. ait, Iacob quod matre fecit authore, vt falleret patrem, si diligenter attendatur, videtur non esse mendacium, sed mysterium. Intendebat enim matri obedire, quæ per spiritum nouerat mysterium. & ideo propter familiare consilium Spiritus quod acceperat, à mendacio excusatur Iacob.

DE PERIVRIO.

DISTINCT. Trigesimænonæ

CAP. Primum.

Periurium est aliquando vbi non est mendacium.

Quid periurium.

NVnc de periurio videamus. Periurium est mendacium iuramento firmatum. vnde quibusdam videtur, quòd non est periurium, vbi non est mendacium. Idque ex authoritate Hieron. dicentis, Aduertendum est quòd iusiurandum tres habet comites, veritatem, iudicium, & iustitiam. Si ista defuerint, non erit iuramentum, sed periurium. Sed melius creditur & ille peierare, qui falsum voluntate fallendi iurat, & qui falsum putans quod verum est iurat, & qui verum putans quod falsum est iurat. Vnde Augustt. Homines falsum iurant, vel cùm fallunt, vel cùm falluntur, aut putat homo verum esse quod falsum est, & temerè iurat: aut scit vel putat falsum esse, & tamen pro vero iurat, & nihilominus cum scelere iurat, &c. Ille autem qui æstimans verum quod falsum est iurat: non videtur periurus, quia non est mens eius rea: & ideo nec lingua: Imò mens eius rea est, dum iurare præsumit, quod perspicuè verum non deprehendit. Non ergo omne periurium mendacium est: Nec omnis qui peierat, mentitur: sed omnis mentiendo iurans peierat: & omnis qui falsum iurat, siue mentiens, siue non, peierat. Vnde peierat etiam qui iurat quod verum est, existimans esse falsum, quia loqui sic, scil. contra mentem, sub attesta-

Ad iuramentũ tres cõditiones.

Aug. de verbis ser. 28.

tione iuramenti, periurium est. Periurium ergo est, vel iurando loqui falsum cum intentione fallendi, vel iurando loqui falsum sine intentione fallendi, vel iurando loqui verum cum intentione fallendi. Sic similiter peierauit, qui alicui ad certum tempus aliquid iurando promisit, & non facit: hoc autem quia vel propositum mutauit, vel terminum transgressus est.

CAP. *Secundum.* Iuratio aliquando bona, aliquando non.

IVrare enim aliquando bonum esse dicimus, aliquando malum. Sponte enim & sine necessitate iurare, vel falsum iurare, peccatum grande est. Ex necessitate autem iurare, scilicet vel ad asserendam innocentiam, vel ad fœdera pacis confirmanda, vel ad persuadendum auditoribus quod est eis vtile, malum non est: quia necessarium eis est. Vnde Augustinus, Iuramentum faciendum est in necessariis, cùm pigri sint homines credere quod eis est vtile. Iuratio non est bona, non tamen mala cùm necessaria, id est non appetenda, sicut bona: nec tamen fugienda, tanquàm mala, cùm est necessaria. Non enim

de sermo. domini in mõte. li. 1. aug. in c. primũ ad gal.

est omnino contra præceptum Dei iuratio. Sed ita intelligitur Dominus prohibuisse à iuramento, vt quantùm in ipso est, quisque non iuret. Apostolus enim nouit præceptum domini, & tamen iurauit. Prohibet enim iurare, vel cupiditate, vel delectatione iurandi. Quod ergo Christus ait in Euang. Ego dico vobis non iurare omnino: ita intelligitur præcepisse, né quisquam sicut bonum, appetat iuramentum, & assiduitate iurandi labatur in periurium. Quod verò addit, sit sermo vester, est est, non non, bonum est & appetendum. Quod autem amplius est, à malo est. Id est, si iurare cogeris, scias de necessitate venire infirmitatis eorum quibus aliquid suades: quæ infirmitas vtique malum est. *mat. 5.*

CAP. *Tertium. Licet aliquando per creaturas iurare.*

1. IVdæis tanquam paruulis concessum est iurare per creatorem, & præceptum, vt si iurare contingeret, non nisi per creatorem iurarent, non per creaturam: quia iurantes per Angelos & elementa, creaturas venerabantur honore, & melius erat hoc exhiberi Deo, quàm creaturis. Illis ergo tanquam paruulis & infirmis prohibuit: Sanctis verò, qui in creaturis creatorem vene- *hier. in matth. cap. 5.*

rabantur tantùm, non prohibuit. Vnde Ioseph per salutem Pharaonis iurauit, Dei iudicium in eo veneratus, quo positus erat in infimis. Christus verò ita per creaturas iurare prohibuit, ne vel aliquid diuinum in eis crederetur, pro quo eis reuerentia deberetur: vel ne per ea iurantes falsum, homines se iuramento teneri non putarent.

Ge. 42.

matth. cap. 5.

CAP. *Quartum. Iuramentum per Deum, est magis obligatorium, quàm per creaturas.*

DIcimus quòd qui per Deum iurat, magis tenetur, quàm qui per Euangelium, vel per creaturas iurat. Vnde Chrysost. Si qua causa fuerit, modicum videtur facere, qui iurat per Deum: Qui verò per Euangelium, maius aliquid feciſſe videtur. Quibus dicendum est: Stulti, scripturæ sanctæ propter Deum factæ sunt, non Deus propter scripturas: ita & creaturæ factæ sunt propter Deum. Iurare autem per Deum, est testem adhibere Deum. Iurauit enim Apost. dicēs: Testis est mihi Deus. ac si dixisset, Per Deum ita est. Vnde August. Ridiculū est putare hoc, si dicas, Per Deum, iuras: si verò dicas, Testis est mihi Deus, nō iuras. Quid est enim per Deum nisi testis

Quid per Deum iurare.

De verbis Apostol. sermo. 28.

est mihi Deus ? aut quid est, testis est Deus, nisi per Deum? Quid est autem iurare, nisi ius Deo reddere, quando per Deum iuras? ius scil. veritatis & non falsitatis. Iurare verò per quamlibet creaturam, est creatorem eius testem adhibere. Est etiam genus quoddam iuramenti grauissimum, quod fit per execrationem, vt cùm homo dicit, Si illud feci, illud patiar, vel illud contingat filiis meis, vel per salutem meam, vel per filios meos, & huiusmodi. obligat enim hoc Deo, vt dicit Augustinus.

Quid est. iurare per creaturas.

Inferius. 22. q. 4. cap. est etiam li. 2. de fide. cap. 32. & 43.

CAP. *Quintum. Licet fide illius vti, qui per suum Idolum iuraturus est.*

DE hoc Augustinus scribens ad Publicolam, ait: Te priùs considerare volo, vtrum si quispiam per falsos deos iurauerit, & fidem non seruauerit, non tibi videtur bis peccasse? Bis vtique peccauit: quia iurauit per quos non debuit, & contra pollicitam fidem fecit, quod non debuit. Ideóque qui vtitur fide illius quem constat iurasse per falsos deos, idque non ad malum, sed ad bonum, non peccato illius se sociat, qui per dæmonia iurauit: sed bono pacto eius qui fidem seruauit. Et sine dubitatione minùs malum est per falsos deos iurare veraciter, quàm per Deum verum fallaciter.

epi. 54

I. re. 2

Quantò enim per quod iuratur magis sanctum est, tantò magis est pœnale periurium.

CAP. *Sextum. Iuramentum incautum vel inhonesta conditione factum, non est obligatorium.*

li.offi. 22.q.4 cap.est etiam li.2.de fu.bo. c.32. bo.43.

AMbro. Est contra officium Dei, nonnunquam promissum soluere sacramentum: vt Herodes fecit. Item Isidorus: In malis promissis rescinde fidem. In turpi voto muta decretum. Quod incautè vouisti, ne facias. Impia est promissio, quæ scelere adimpletur. Item Beda: Si quid non incautiùs iurare contigerit, quod obseruatum peiorem vergat in exitum, liberè illud salubriori consilio mutãdum nouerimus: ac magis instante necessitate peierandum esse nobis, quàm pro vitando periurio in aliud crimen grauius esse diuertendum. Denique iurauit Dauid per Deum, occidere Nabal: sed ad primam intercessionem Abigail fœminę prudentis, remisit minas, reuocauit ensem in vaginã, nec aliquid culpæ se tali periurio cõtraxisse doluit. Peierare tamẽ dicitur, qui nõ implet quod iniustum iurat (vt ait Io. Apocrisarius) non quia inde reus sit q̃ nõ obseruat, sed quia iurauit iniustũ, ex quo reꝰ est, sicut ille qui peierat. Hoc etiã sciendum est, q̃ quacũq; arte verborũ quis iuret, Deus tamẽ (qui cõscientię testis est) ita hoc accipit,

1.re.25

Qui iuramentũ etiã incautũ nõ ſoluit, peccat.

ſicut ille cui iuratur, intelligit. Dupliciter autem reus ſit, qui & nomen Dei in vanum aſſumit, & proximum dolo capit.

CAP. *Septimum. Qui exigit iuramentum ab eo quem ſcit peieraturum, peccat.*

DE hoc Auguſt. ait: Qui exigit iurationem, multum intereſt ſi neſcit iurare falſum, an ſcit. Si enim neſcit, & ideo dicit, iura mihi, vt fides ei ſit, non eſt peccatum: tamen humana tentatio eſt. Si verò ſcit eum feciſſe, & cogit eum iurare, homicida eſt. Idem: Qui prouocat homi- nem ad iurationem, & ſcit eum falſum iurare, vincit homicidam: quia homicida corpus occiſurus eſt, ille animam: Imò duas animas, & eius quem iurare prouocauit, & ſuam. *De ver bis apo. ſer. 28.* *In ſer. de decolla. Iohan.*

Hactenus de præceptis quæ verbo & facto implentur, nunc de aliis quæ animo perficiuntur.

DE RELIQVIS PRAECEPTIS ſecundæ tabulæ.

DISTINCT. Quadrageſimæ

CAP. Primum.

Sextum & ſeptimum præcepta ſecundæ tabulæ à prioribus diſtinguuntur.

SExtum præceptum est, Non desiderabis vxorem proximi tui: Septimum est, Non concupiſces domum proximi tui, non ſeruum, non ancillam, &c. Sed videtur præceptum de non concupiſcendis rebus proximi, vnũ eſſe cum eo quod dicitur, Nõ furaberis: & præceptũ de non concupiſcenda vxore, vnũ eſſe cum eo quod dicitur, Nõ mœchaberis. Poterat enim præceptum non furandi in illa generalitate intelligi, vbi de non concupiſcenda vxore proximi præcipitur: & in eo quod dictum eſt, Non mœchaberis, poterat illud intelligi, Non concupiſces vxorem proximi tui. Sed in illis duobus præceptis non mœchandi, & non furandi, ipſa opera notata ſunt & prohibita: in his verò extremis, ipſa concupiſcentia. Multum igitur differunt illa ab iſtis. Vnde illi præcepto non mœchãdi, fit ſuperadditio in Euãg. vbi omnis cõcupiſcentia mœchandi prohibetur. Sed cùm hic prohibeatur cõcupiſcentia alienę vxoris, & alienæ rei: quare lex dicitur comprimere manum, & non animum? Illud de lege dicitur ſecundum cæremonialia, non ſecundum moralia: vel quia in lege non eſt generalis prohibitio omnis mortiferæ concupiſcentiæ, vt in Euangelio.

aug. in exod. q. 4.

Cur lex dicitur cõpri mere non animũ, ſed manum.

CAP. *Secundum. Vniuerſa lex Moyſi dicitur litera occidens.*

SI verò quæritur quam dicat Apostolus literam occidentem. Ea certè est Decalogus: qui non dicitur litera occidens, ex eo quòd mala sit lex, sed quia prohibens peccatum, auget concupiscentiam, & addit præuaricationē, nisi liberet gratia. Quæ gratia non sic abundat in lege, vt in Euang. Vel secundum eorum carnalem intelligentiam. Lex ergo bona est, & tamen occidit sine gratia, cùm sit virtus peccati, quæ iubet quod sine gratia impleri non potest. Gratia autem deerat, & ideo litera occidēs erat. Distat autem Euāgelij litera à legis litera, quia diuersa sunt promissa: ibi terrena, hic cælestia promittuntur. Diuersa etiam sacramenta, quia illa tantùm significabant: hæc conferunt gratiam. Præcepta etiam diuersa, quantùm ad cæremonialia. Nam quantùm ad moralia, sunt eadē, sed plenius in Euāg. continentur. Audisti decem chordas psalterij vtriq; sexui impositas: quæ charitate tangendæ sunt, vt vitiorum feræ occidantur. 2. co. 3.

Lex et euāgeliū quomodo differunt.

Explicit Epitome in
tertium librum.

EPITOME IN QVARTVM Librum Sentent. M. Petri Lombardi.

DE SIGNIS ET SACRAMENTIS.

DISTINCT. Primæ
CAP. Primum.

Signa & sacramenta differunt.

luc.10. SAmaritanus Vulnerato appropians, curationi eius sacramentorum alligamenta adhibuit, quia cõtra originalis peccati & actualis vulnera sacramentorũ remedia Deus instituit. De quibus quatuor primó considerãda occurrũt, Quid sit sacramẽtum, quare institutum, in quibus consistat & conficiatur, & quæ sit distantia inter sacramenta veteris ac nouæ legis. *Diuisio & ordo huius quarti lib.*

Signum est res præter speciem quam ingerit sensibus, aliquid aliud ex se faciens in cogitationem venire. Signorum verò alia sunt naturalia, vt fumus, significans ignem: alia data. Et eorum quæ data sunt, quædam sunt sacramenta, quædam non. Omne enim sacramentum est signum, sed non econuerso. Sacramentum eius rei similitudinem gerit, cuius est signum. Si enim sacramenta non haberent similitudinem rerum, quarum sacramenta sunt, propriè sacramenta non dicerentur. *signũ quid.* *Multiplex est signum* *Omne sacramentũ est signũ.*

aug.li.10.de ciuit. ca. 55. de doc. Chri. li.2.c.1

Sacramentum enim propriè dicitur, quod ita signum est gratiæ Dei & inuisibilis gratiæ forma, vt ipsius imaginem gerat, & causa existat. Non ergo significandi gratia tantùm sacramenta instituta sunt, sed etiam sanctificandi. Quæ enim significandi gratia tantùm instituta sunt, solùm signa sunt, & non sacramenta: sicut fuerunt sacrificia carnalia, & obseruantiæ cæremoniales vet. legis. quæ nunquam poterant iustos facere offerentes, vt ait Apost. Si sanguis hircorũ aut taurorũ, &c. Nam illa Deus imposuit in seruitutẽ & nõ in iustificationem (vt dicit August.) & vt figura futuri essent, volens sibiipsi potiùs ea offerri, quàm idolis. Illa ergo signa erant: sed tamen & sacramenta, licet minùs propriè in scripturis sæpe vocantur, quia signa erant rei sacræ, quam vtique non præstabant. Illa autem Apostolus opera legis dicit, quæ tantùm significandi gratia, vel in onus instituta erant.

legalia tã tùm signa.

leu. 16
He. 9.
in q. su per nu meros.
ca. 33.
Ro. 3. & 4.

CAP. *Secundum. Triplici de causa sacramenta sunt instituta.*

PRimò propter humiliationem, vt dum homo insensibilibus rebus (quæ natura infra ipsum sunt) ex præcepto creatoris se, reuerendo, subiicit, ex hac humilitate & obedientia eo magis placeat, & apud Deum mereatur, cuius imperio salutem quærit in

inferioribus se, etsi non ab illis, sed per illa à Deo. Secundò propter eruditionem etiam instituta sunt, vt per id quod foris in specie visibili cernitur, ad inuisibilem virtutē (quæ intus est) cognoscendam mens erudiatur. Homo enim qui ante peccatum sine aliquo medio Deum videbat, per peccatum à Deo habuit, vt nequaquam diuina queat capere, nisi humanis excitatus. Tertiò propter exercitationem, quia cùm homo otiosus esse non possit, proponitur ei vtilis & salubris exercitatio in sacramentis, qua vanam & noxiam declinet occupationem. Non enim facilè capitur à tentatore, qui bono vacat exercitio. Duo autem sunt, In quibus sacramentum consistit, scilicet verba & res. Verba, vt inuocatio Trinitatis: Res, vt aqua, oleum, & huiusmodi.

Sacramentū in duob⁹ consistit.

CAP. *Tertium. Differunt sacramenta veteris & nouæ legis.*

IAm videre restat differentiam sacramentorum veterum & nouorum: vt sacramēta vocemus, quæ antiquitus res sacras signabāt, vt sacrificia, oblationes, & huiusmodi. Horum autem differētiam breuiter Aug. assignat dicens, quia illa promittebant tantùm & significabāt, hæc autem dant salutē.

CAP. *Quartum. Circuncisio conferebat gratiam.*

Circumcisio

FVit tamen inter illa sacramẽta sacramẽtum quoddam, sicl. circuncisionis, idem conferens remedium contra peccatum, quod nũc baptismus præstat. Vnde Aug. Ex quo instituta est circuncisio in populo Dei, quæ erat tunc signaculum iusticiæ Dei, ad purgationẽ valebat magnis & paruulis originalis veterisque peccati. Sicut baptismꝰ ex illo valere cœpit ad innouationem hominis, ex quo institutus est. Idem Beda. ad val. lib. de nup. et concu. ca. 11. in luc. cap. 2.

f. 227 b. l. Cumbhim

CAP. *Quintum. Hominibus ante legem & in lege aliud fuit & aliud remedium contra originale peccatum.*

GReg. Quod apud nos valet aqua baptismi, hoc egit apud veteres vel pro paruulis sola fides, vel pro maioribus virtus sacrificij, vel pro iis qui ex Abrahæ stirpe prodierũt, mysterium circuncisionis. 4. Moral. c. 2

CAP. 6. *Conuenienter circũcisio fuit instituta quo ad personam, populum, materiam, & tempus.*

203. a. 259.

DAta fuit circũcisio pluribus de causis, scil. vt per obedientiam mandati Abrahã Deo placeret, cui per preuaricationem Adam displicuerat. Data etiã fuit in signũ magnæ fidei Abrahæ, qui credidit se habiturum filium, in quo fieret omniũ benedictio: deinde vt hoc signo à cæteris nationi-

bus discerneretur populus ille. In carne verò præputij iussa est fieri circuncisio, quæ in re-
gen.17 mediũ instituta est originalis peccati, quod â parentibus trahimus per concupiscentiam carnis, quæ in parte illa magis dominatur: & quia in parte illa culpâ inobediẽtiæ primus homo sensit, decuit vt ibi signum obedientiæ
gen.17 Ioh. 5. acciperet. Fiebat autem octauo die, petrino cultro, quia in resurrectione cõmuni & octaua ætate futura, per petram Christum, omnis ab electis abscindetur corruptio: & p̃ Christi resurrectionem octaua die factam circunciditur à peccatis anima cuiusque in eum credentis. Duæ ergo sunt res illius sacramenti.

CAP. *Septimum. Conuenienter mutata est circuncisio in baptismum.*

QVia sacramentum baptismi cõmunius est & perfectius, quia pleniori gratia accumulatum, & in eo gratia adiutrix confertur, & virtutes augentur. Nam quantũcunque per fidem & charitatem antè habitam aliquis iustus ad baptismũ accedit, vberiorẽ ibi recipit gratiã: sed non ita in circuncisione. Vnde Abrahæ per fidem iam iu-
Ro.4. stificato signaculum tantùm fuit, nihil ei intus conferens.

CAP. 8. *Paruulis ante octauum diem decedentibus fortè erat remedium salutis institutum.*

Ex. 4. Sēt. vide inter art. in magi. art. 4.

BEda: Qui nunc per Euangelium ſuum terribiliter & ſalubriter clamat, Niſi quis renatus, &c. ipſe dudum clamabat per ſuam legem, Maſculus cuius pręputij caro circunciſa non fuerit, &c. fortè tamē ſub lege, ingruēte neceſsitate mortis, ante octauum diem circuncidebant ſine peccato filios, ſicut nunc fit in Eccleſia de baptiſmo. *In Lu. cap. 2. Ioh. 3.*

DE SACRAMENTIS nouæ legis.

DISTINCT. Secundæ

CAP. Primum.

263. A. *Sacramenta nouæ legis numero ſeptem, non decuit poſt hominis lapſum mox inſtitui.*

IAm ad ſacramenta nouæ legis accedamus, quæ ſunt, Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Vnctio extrema, Ordo, Coniugium. Quæ dicimus ante aduentum Chriſti, qui gratiam attulit, gratiæ ſacramenta danda fuiſſe, quæ ex ipſius morte & paſsione virtutem ſortita ſunt. Chriſtus autem venire noluit antè quàm homo de lege naturali & ſcripta conuinceretur, quòd neutra iuuari poſset. *Hug. li. 1. par. 2. c. 8.*

190. a

CAP. *Secundum. Baptiſmus Chriſti longè præſtantior fuit baptiſmo Iohannis.*

NVnc verò de baptísmi sacramento videamus, quod inter nouæ gratiæ sacramenta primum est. Baptísmum igitur Christi Iohannes suo baptísmo prænunciauit, qui primus legitur baptisasse, sed in aqua, non in Spiritu: sicut ipse ait, Ego baptíso vos in aqua in pœnitentiam. Sola enim corpora abluebat, à peccatis verò non mundabat. Baptísmus Iohannis erat in pœnitentiam, quia ad pœnitentiã vocabat: baptísmꝰ verò Christi in remissionem. Ad hoc ergo vtilis erat Iohãnis baptísmus, quia homines vsu baptisandi pręparabat ad baptísmũ Christi. Ob idq; dictus baptísmꝰ Iohãnis, quia ibi Iohannis operatio tãtùm visibilis erat, exteriùs lauantis, non interiùs gratiam operãtis. Ideoque & hominis baptísmus dictus est, quia nihil ibi gerebatur quod non ageret homo. Neque sacramentũ dici potest, nisi eo sensu quo legalia signa dicuntur sacramẽta.

act.19
Ioh.1.
matt.3
mat.21

Cur Iohãnis baptísmus dictus est hominis

CAP. 3. *Qui baptisati fuerant baptísmo Iohannis, opus habebant Christi baptísmo.*

HIeron. sup. Ioel, Qui dicit se in Christum credere, & non credit in Spiritũ sanctum, nõdum habet claros oculos. Vnde baptisati à Iohanne in nomine venturi. quia dixerunt, Sed neque si Spiritus sanctꝰ est audiuimus: iterũ baptisabantur, imò verũ

cap. 2.

Vide ex art. in magi. art. 6.

baptisma accipiebant. Illi verò qui spem nō posuerūt in baptismo Iohānis, & Patrem,& Fil.& Spir.san.credebant, non pòst baptisati fuerunt.sed impositione manuum ab Apo stolis super eos facta, Spiritum san. receperunt. Alij verò qui non ita credebant,baptisati sunt baptismo Christi. Idem dicit Amb. lib.1.de Spir.san. Isti ergo qui nec in Christi nomine,neque cum fide Spiritus san. baptisati fuerant,non potuerunt accipere baptismi sacramentum. Baptisati sunt ergo in nomine Christi: nec iteratum est in eis baptisma, sed innouatum. act. 19

DE BAPTISMO CHRISTI

DISTINCT 3. CAP. Primum.

Substātialia baptismi sunt aqua & verbū.

POst hæc videndū est quid sit baptismus, & quæ sit forma, & quando institutus, & causa institutionis. Baptismus dicitur intinctio i.ablutio corporis exterior, facta sub forma verborū præscripta. Si enim fiat ablutio sine verbo,non est ibi sacramentum: sed accedente verbo ad ele.fit sacramētum. Non vtique ipsum elementum fit sacramentum,sed ablutio facta in elemento. Vnde Aug ust. Verbo baptisma consecratur : detrahe verbum, & quid est aqua,nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum. Vnde hæc tanta virtus aquæ,vt corpus tan- in Ioh. tract. 80.

gat,& cor abluat,niſi faciẽte verbo,nõ quia dicitur, ſed quia creditur? Nam & in ipſo verbo aliud eſt ſonus tranſiens,& aliud virtus intus manens. Cętera verò ſunt ad decorem & honeſtatem.

CAP. *Secundum. A Chriſto eſt præſcripta forma baptiſmi.*

ILlud autem verbum, quo accedente ad elementum fit ſacramentum, eſt quod Veritas docet: quæ huius ſacramenti formam tradens, ait diſcipulis: Ite,docete omnes gentes, baptiſantes eos in nomine Patr. & Fil.& Spir. ſan. Inuocatio igitur Trinitatis verbum dicitur,quo baptiſma conſecratur.& hæc eſt forma verborum,ſub qua traditur baptiſmus, citra quam nullus eſt perfectus Chriſtianus, vt dicit Zachar. pap. ad Bonifac. epiſc. Quòd verò legitur in Act. Apoſto. Apoſtolos baptiſaſſe in nomine Chriſti: illo nomine tota intelligitur Trinit. vt dicit Amb. Intelligitur enim cùm Chriſtũ dicimus,& Pater à quo vnctus eſt,& ipſe qui vnctus eſt, & Spiritus ſanctus per quem vnctus eſt. Vnum enim idemque eſt baptiſari in nomine ſan. Trinit. vel in nomine Chriſti, vt exponit Ambro.

Matt. vlt.

de cõſ. d. 4. c. in fino. Act. 8 & 10. lib. de Spi. s. cap. 3.

CAP. 3. *Trium perſonarum inuocatio in baptiſmo neceſſaria eſt.*

TAmetsi Ambr. dicat quòd si fide mysterium Trinitatis teneatur,& vna tantùm persona nominetur, plenum sit sacramentum. Quo insinuari videtur, verũ baptisma dari posse in nomine Patris tantùm, vel Spiritus san.tantũ. Tutius est tamen tres ibi nominare psonas,vt dicatur, In nomine(nõ nominibus) Pat.& Fil.& Spiritus sanct.i.in inuocatione & confessione patris,&c. Inuocatur enim ibi tota Trinitas,vt ibi inuisibiliter operetur per se,sicut extrà visibiliter per ministerium. Si autẽ dicatur,in nominibus, non est ibi sacramentum, quia non seruatur forma baptismi.

CAP.4. *Institutũ fuit baptisma quãdo Christus à Iohanne baptisatus est.*

DE institutione baptismi, quãdo cœpit, variæ sunt æstimationes. Alij dicũt tũc esse institutũ, cùm Nicodemo Christ⁹ ait,Nisi quis renatus fuerit,&c. Alij,cùm Apostolis dixit,Ite, docete omnes gentes,baptisantes,&c.Sed hoc dixit eis post resurrectionem, præcipiens eis de vocatione gentium,quos ante passionem miserat ad prædicãdum & baptisandum. Iam ergo institutus erat baptismus. Baptisabãt autẽ in ea forma, in qua postea gentes baptisauerũt, scil.in nomine Trinit.quæ ante passionem potest intelligi tradita,licet non sit scriptum. Cõmo-

Ioh.3.

Matt. vlt.

luc.10

de cõs. d.4.nũ quam aqua.

diùs ergo dicitur institutio facta, quando Christus à Iohanne baptizatus est in Iordane. quod dispensauit: non quia mundari voluit, cùm sine peccato fuerit: sed quia ~~contactu suæ mũdissimæ carnis vim regeneratiuã contulit aquis~~: vt qui postea immergeretur, inuocato nomine Trin. à peccatis purgaretur. Tunc ergo inuocato nomine Tri. institutus est baptismus Christi, in quo Trinitas (cuius mysterium ibi innotuit) interiùs hominem baptisat.

CAP. 5. *Christus conuenientiùs aquam in hoc sacramento instituit, quàm aliũ quẽcũq; liquorẽ.*

Io.3.

CElebratur autẽ hoc sacramentũ tantũ in aqua, nõ in alio liquore, vt ait Christus, Nisi quis renatus, &c. Ideoq; vniformiter id fieri in aqua præcipitur, vt intelligatur, ꝙ ~~sicut aqua sordes corporis ac vestis abluit~~: ita baptismus maculas animæ sordésque vitiorum emundando abstergit. Vel ideo, vt nullum inopia excusaret: quod posset fieri, si in vino vel oleo fieri præciperetur: & vt communis materia baptisandi inueniretur apud omnes: quod aqua signauit,

Ioh.19

quę de latere Christi manauit: sicut sanguis, alterius sacramenti signum fuit.

CAP. *Sextum. Baptismus fieri potest, vel semel tantùm, vel ter immergendo.*

GReg. De trina immersione baptismi nil
responderi potest, quàm quod vosipsi *ad leã. epísc.*
sensistis: quia ~~in vna fide nil officit Ec-~~
~~clesiæ sanctæ cõsuetudo diuersa.~~ Quia enim *epi. 4.*
in tribus subsistẽtiis vna substantia est, reprehensibile esse nullatenus potest, infantem in baptismo ter vel semel immergere: quia & in trib⁹ mersionib⁹, personarũ Trinitas, & in vna potest diuinitatis singularitas designari.

CAP. 7. *Legalia in Christi morte cessauerunt.*

TVnc ergo circuncisio vim suam perdidit, ita quòd postea non profecerit, sed potiùs obfuerit suis obseruatoribus. Sed vsque ad oblationem veræ hostiæ potuit prodesse. Si enim ante passionem legalia finem habuissent, non ea imminente vetus pascha cum discipulis manducasset.

CAP. Octauum. *Baptismi res interior est munditia siue mentis iustificatio.*

4°.

CAusa verò institutionis huius sacramenti est innouatio mentis: vt homo, qui p̃ peccatũ vetus fuerat, per gratiã baptismi renouetur. quod fit depositione viti̊orum, & collatione virtutũ. Non tamẽ aditum regni nobis aperuit, sicut nec circuncisio, sed hostia saluatoris: quæ si tẽpore circuncisionis oblata fuisset, illius temporis ho

Lib. 1. 7.

mines regnum Dei introiſſent.

DE SVSCIPIENTIBVS sacramentum Baptiſmi.

DISTINCT. Quartæ

CAP. Primum.

Differenter recipitur hoc ſacramentum.

HIc dicendum, aliquos ſuſcipere ſacramentum & rem ſacramenti: aliquos ſacramentũ, & non rem: aliquos rem, & non ſacramentũ. Sacramentũ & rem ſuſcipiunt omnes paruuli, qui in baptiſmo ab originali peccato mũdãtur. Quòd autẽ omnibus paruulis in baptiſmo peccatũ remittatur euidenter Aug. dicit: A paruulo, inquit, recẽter nato vſque ad decrepitũ ſenem, ſicut nullus prohibetur à baptiſmo, ita nullus qui nõ moriatur peccato in baptiſmo: ſed paruuli tantùm originali, maiores verò etiam omnibus qui malè viuendo addiderunt ad illud quod naſcendo traxerunt, niſi enormitas vitæ impediat. Adulti quoque qui cum fide baptiſantur, ſacramentum & rem ſuſcipiunt. Qui verò ſine fide vel fictè accedunt, ſacramentum, non rem, ſuſcipiunt. Vnde Hieron. Sunt lauachra gẽtilium hæreticorũ, ſed non lauant ad ſalutem. In Eccleſia etiam qui non plena fide accipiunt baptiſma, non ſpiritum, ſed aquam ſuſcipiunt. Augu. etiam ait: Omnis qui iam ſuæ voluntatis arbiter

in enchir. ca. 43.

in 6. c. Ezech.

1. *Quidã ſacramentũ & rem ſuſcipiunt.* 2. 31. b.

2. *Quidã ſacramẽtum & nõ rem* 230. b. l. 15.

constitutus est, cùm accedit ad sacramẽtum fidelium: nisi pœniteat eum veteris vitæ, no uam non potest inchoare. Ab hac pœnitentia cùm baptisantur, soli paruuli immunes sunt. Illud autem quod dicit Apost. Quotquot in Christo baptisati estis, Christum induistis: sic est inteliigendum, ꝙ qui in Christo, id est Christi conformitate baptisantur, vt moriantur vetustati peccati, sicut Christus vetustati pœnæ, induũt Christum, quem per gratiam inhabitãtem habent. Omnes etiam qui in Christi nomine baptisantur, Christum induunt, vel secundum sacramenti susceptionem, vel secundum vitæ sanctificationem. vt dicit Aug. lib. de Bapt. contra Donatistas. Sunt & alij qui suscipiunt rem, & non sacramentum. Qui enim effundunt sanguinem pro nomine Christi, etsi non sacramentum, rem tamen accipiunt. Vnde Augu. Quicnnque non percepto regenerationis lauachro, in confessione Christi moriuntur, tantùm eis valet ad dimittẽda peccata, quãtùm si abluerentur sacro baptismi fonte. Audistis quòd passio pro Christi nomine susceptа, supplet vicem baptismi. Nec tantùm passio vicem baptismi supplet, sed etiam fides & contritio, vbi necessitas excludit sacramentum. sicut apertè docet Aug. & B. Cypri. li. 4. de Bapt. non leue documentum assumit, Quod etiam atque etiam ego considerans,

Gal. 3. ro. 6. eph. 4.

lib. 5. ca. 24.

lib. 13. de Tri. cap. 7.

Quidã rẽ, & nõ sacramentũ.

Martyriũ & cordis pœnitentia vicẽ baptismi quãdoque supplent.

inuenio non tantùm paſsionem pro nomine Chriſti id quod baptiſmo deerat poſſe ſupplere, ſed etiam fidem conuerſionemq; cordis, ſi fortè ad celebrandum myſterium baptiſmi in anguſtiis temporum ſuccurri non poteſt. Neque enim Latro nomine Chriſti
luc.23. crucifixus eſt, ſed pro meritis ſuorum facinorum. Nec quia credidit paſſus eſt, ſed dum patitur credit. Quantum ergo fides valeat (etiam ſine viſibilis baptiſmi ſacra-
Ro.10. mento, quod Apoſt. ait, Corde creditur ad iuſticiam, ore autem confeſsio fit ad ſalutem) in illo latrone declaratum eſt: ſed tunc impletur inuiſibiliter, cùm myſterium baptiſmi, ~~non contemptus religionis, ſed articulus neceſsitatis excludit~~. Sed quidam di-
lib.2. retract. cap.18. cunt Auguſt. hoc retractaſſe. Retractauit quidem exemplum, ſed non ſententiam. Ait enim lib.4. Cùm dicerem vicem baptiſmi poſſe habere paſsionem, non ſatis idoneum poſui illius latronis exemplum: quia vtrum non fuerit baptiſatus incertum eſt. Conſtat ergo aliquos ſine baptiſmo iuſtificari & ſaluari. vnde Ambro. de Valentiniano, Ven-
lib de obi. Valentini. trem meum doleo (vt prophetico vtar eloquio) quia quem regeneraturus eram, ami-
hier.4. hebr.6. ſi. veruntamen gratiam quam ille popoſcit, non amiſit. Ideo Apoſt. dixit pluraliter, baptiſmata, quia eſt baptiſma in aqua, in ſanguine, in pœnitentia. Ratio etiam id ſuadet:

Si enim non valentibus credere paruulis sufficit baptismus, multò magis sufficit fides adultis volentibus, sed non valentibus baptizari. Vnde August. Quæris quid sit maius, fides an aqua? non dubito quin respõdeam, fides. Si ergo quod minus est potest sanctificare, nonne quod maius est, id est fides? de qua Christus ait, Qui crediderit in me, etiã si mortuus fuerit, viuet, &c. *lib. de vn. baptis.* *Ioh. 11.*

CAP. *Secundum. Paruulis non sufficit fides Ecclesiæ sine sacramento.*

ISTud quum multis sanctorum authoritatibus comprobari possit, vnum sufficiet August. testimonium dicentis: Firmissimè tene, paruulos qui vel in uteris matrum viuere incipiunt & ibi moriuntur, vel de matribus nati, sine sacramento baptismi de hoc seculo transeunt, æterno supplicio puniendos: quia etsi propriæ actionis peccata non habuerunt, originale tamen peccatum traxerunt carnali concupiscentiæ concœptione. Et sicut paruuli qui sine baptismo moriuntur, infidelium ascribuntur numero: ita qui baptizantur, fideles dicuntur: quia à fidelium consortio non separantur. Fideles ergo sunt, non propter virtutem, sed fidei sacramentum. *lib. de fid. ad Petr. cap. 27 de cõs. dist. 4. c. firmissimè.*

mat.

CAP. *Tertium. Non est baptisma iis superfluum, qui priùs erant per fidem & charitatem iustificati.*

SAnè potest dici eos quidem per fidem & charitatem iustificatos, id est à macula peccati purgatos, & à debito æternæ pœnæ absolutos, tamen adhuc teneri satisfactione temporali, qua pœnitentes ligantur in Ecclesia. Cùm autem baptismum recipiunt, & à peccatis, si qua interim post conuersionem contraxerunt mundantur, ab exteriori satisfactione absoluuntur: & adiutrix gratia omnisque virtus in eo augetur: vt nouus homo tunc veré possit dici. Fomes quoq; peccati in eo debilitatur. Ideo Hiero. dicit, quòd fides quæ facit fideles, in aquis baptismi datur vel nutritur: quia non habenti aliquando ibi datur, & iam habenti vt pleniùs habeat datur.

CAP. *Quartum. Per baptismatis perceptionem omnis pœnæ obligatio remittitur.*

QVia verò omnis exterior satisfactio ibi relaxetur Ambr. ostendit in illum locũ Apo. Sine pœnitẽtia sunt dona Dei & vocatio, dicẽs: Gratia dei in baptismo nõ requirit gemitũ vel planctũ, vel aliquod opus: sed & omnia gratis cõdonat. Quod quidẽ de exteriori gemitu & planctu accipiẽdum est. Nã sine interiore nemo adultus renouatur: sed exteriores satisfactiones & afflictiones,

scil. sordes pœnitentium, ibi dimittuntur. Sed quæritur, Cur pœnalitas pro peccato, cui sumus addicti, non tollitur? Hoc ideo fieri tradunt sancti, quia si à pœna homines per baptismum liberarentur, ipsum putarent baptismi precium, non æternum regnũ. Ideo soluto reatu peccati mortalis, pœna tamen manet, vt illa vita studiosiùs quæratur, quæ erit à pœnis omnibus aliena. Ideõ etiã manet, vt sit fidei & certandi materia, & vincẽdi occasio: qui non vinceret, si non pugnaret: nec pugnaret, si in baptismo fieret immortalis. Isid. li. 1. de sũ. bo. c. 13

CAP. *Quintum. Gratia sacramentalis sine sacramento aliquando confertur.*

SI quæritur cuius rei baptismus ille sit sacramentum qui datur iam iusto: dicimus sacramentum esse & rei quæ præcessit, id est remissionis antè per fidem datæ, & remissionis temporalis pœnæ siue peccati si habetur, si quod interim committitur, & nouitatis ac omnis gratiæ ibi præstitæ. Omnis etenim rei signum est, cuius causa est. Nec mireris rem aliquando præcedere sacramentum, quum aliquando etiam longè pòst sequatur: vt illis qui fictè accedunt, quibus cùm postea pœnituerint, incipiet baptismus prodesse: in quibus bapti- 1. 2.

ſmus fuit ſacramentum huius ſanctificationis, quam pœnitendo habent. Sed ſi nunquam pœniterent, nec à figmento recederent: cuius rei ſacramentum eſſet baptiſmus ab illis ſuſceptus? Poteſt dici, rei quæ ibi fieret, ſi non enormitas eorum impediret.

CAP. *Sextum. Paruuli ~~gratiam recipiunt in munere~~, & non in vſu.*

DE paruulis verò qui nondum ratione vtuntur, quæſtio eſt an in baptiſmo receperint gratiam, qua ad maiorem venientes ætatem poſsint velle & operari bonum. Videtur quòd non receperint, quia gratia illa charitas eſt, & fides quæ voluntatem præparat & adiuuat. Sed quis dixerit eos accepiſſe gratiam & charitatem? Si verò gratiam non receperint, qua bene operari poſſunt cùm fuerint adulti: non ergo ſufficit eis in hoc ſtatu gratia in baptiſmo data: nec per illam modo poſſunt boni eſſe, niſi alia addatur: quæ ſi non additur, non eſt ex eorum culpa, quia iuſtificati ſunt à peccato. Quidam putant gratiam ~~operantem~~ & ~~cooperantem~~ dari cunctis paruulis in munere, non in vſu: vt cùm ad maiorem venerint ætatem, ex munere ſortiantur vſum, niſi per liberum arbitr. vſum muneris extinguant peccando.

EPITOME

DE MINISTRO BAptiſmi.

DISTINCT. Quintæ CAP. Primum.

Baptiſmus dari poteſt à bonis & malis miniſtris, & æquè datur ab vtriſque.

POſt hæc ſciendum eſt ſacramentum baptiſmi à bonis & malis miniſtris dari, ſicut à bonis & malis ſumitur. Nec melior eſt baptiſmus, qui per meliorem datur: nec minùs bonus, qui per minùs bonum datur, nec maius qui per malum datur: nec maius munus datur in baptiſmo dato à bono, nec minus in baptiſmo dato à malo, ſed æquale: quia nõ eſt munus hominis, ſed Dei. Quod totum ſubditis declaratur teſtimoniis. Auguſt. ait, Baptiſmus talis eſt, qualis ille in cuius poteſtate datur, non qualis eſt ille per cuius miniſterium datur. Item ſi in hæreſi quacunque vel ſchiſmate quiſquam baptiſmi ſacramentum acceperit, integrum ſacramentum accepit: ſed ſalutem, quæ virtus eſt ſacramenti, non habebit, ſi extra Eccleſiam catholicam ipſum ſacramentum habuerit. Debet ergo ad Eccleſiam redire, non vt ſacramentum baptiſmi iterum accipiat (quod nemo debet in aliquo repetere) ſed vt in ſocietate catholica vitam

ſup. Io. tract. 5 aug. li. de fid. ad Pet. cap. 3.

accipiat: Baptismus enim extra Ecclesiam nequit prodesse.

CAP. *Secundum. Contulit Christus ministerialem potestatem hominibus dimittendi peccata per baptismum.*

Inter artic. mag. ex 4. vi de art. septimum.

POtuit Christus dare potestatem hominibus dimittendi peccata, non tamen ipsam eandem qua ipse potens est, sed potentiam creatam, qua seruus posset dimittere peccata, non tamen vt ~~author remissionis, sed vt~~ minister, nec tamen ~~sine Deo~~ authore, qui eius verbo velut quodam ministerio vteretur. Item posset Deus per aliquem creare aliqua, non per eum tanquam authorem, sed ministrum, cum quo & in quo operaretur: ~~sicut in bonis operibus nostris ipse operatur & nos: nec ipse tantùm, nec nos tantùm: sed ipse nobiscum & in nobis:~~ & tamen in illis agendis ministri eius sumus, non authores. Vnde & Dominus dicitur sanctificare, & seruus: sed Dominus inuisibili gratia, seruus visibili.

opera. 245. a 245. b.

DE VSV ET SOLENNITATE huius Sacramenti.

DISTINCT. Sextæ

CAP. Primum.

Primò quatum ad baptizantes, omnibus ne liceat baptizare.

Solùm sacerdotibus conuenit ex officio baptizare, non sacerdotibus verò in necessitate.

DE hoc Isido. ait, Constat baptismum solis sacerdotibus esse traditum, eiúsque ministerium nec ipsis diaconibus implere est licitum absque episcopo vel presbytero, nisi his procul absentibus, vltima languoris cogat necessitas. quod etiam laicis fidelibus permittitur ex concilio Carthaginensi quinto. Item mulier, quanuis sancta, baptizare non præsumat, nisi necessitate cogente.

li. 2. de officiis de cons. dist. 4. ca. comstat. & c. mulier.

CAP. *Secundum. Ab hæreticis iuxta formam Ecclesiæ baptizati, non sunt rebaptizandi.*

BEda, Siue hæreticus, siue schismaticus, siue facinorosus, quisque in confessione sanctæ Trinitatis baptizet. Non valet ille qui baptizatus est, à nobis catholicis rebaptizari, ne confessio & Trinitatis inuocatio videatur annullari. & idem Aug. docet. Ex quibus colligitur quòd qui etiam ab hæreticis baptizati sunt, seruato charactere Christi, rebaptizandi non sunt: sed tantùm impositione manus reconciliandi, vt Spiritum sanctum accipiant, & in signum detestationis hæreticorum. In quo tamen Cyprianus à veritate deuiasse videtur, qui de hæretico ait: Quomodo sanctificare aquam potest, cùm ipse immũdus est, & apud quem Spiritus sanctus non est? Hoc verò ex igno-

ho. 30. & sup. mat. de consec. dist. 4. c. Siue. ad quæstiones Orosii. de cons. dist. 4. c. quáuis.

rantia eum dixisse August. innuit in lib. de vnico baptismo, dicens: Martyrem Cypria- num glorioſum, qui apud hęreticos vel ſchi- ſmaticos datum baptiſmum nolebat cogno- ſcere, dum eos nimis deteſtaretur, tanta eius merita vſque ad martyrij triumphum ſequu- ta ſunt, vt & charitatis qua excellebat, luce obumbratio illa fugaretur: & ſi quid pur- gandum erat, paſsionis falce tolleretur. Nec nos qui baptiſmi veritatem, & hæreticorum iniquitatem cognoſcimus, ideo Cypriano meliores ſumus, ſicut nec Petro: quia gen- tes iudaizare non cogimus.

Error Cypriani ab aug. emẽdatur.

CAP. *Tertium. In maternis vteris pueri non ſunt baptizandi.*

HOc etiam ſciendum eſt quòd licet ter immergatur puer propter myſterium Trinitatis, tamen vnum baptiſma reputatur. Illud etiam ignorandum non eſt, quòd in materno vtero nullus baptizari poteſt, etiam ſi mater baptizetur. vnde Iſido. Qui in maternis vteris ſunt, ideo baptizari non poſſunt: quia qui natus adhuc ſecundum Adam non eſt, ſecundum Chriſtum non poteſt renaſci. Neque regeneratio in eum dici poteſt, quem generatio non præceſsit. Si verò opponitur de Hieremia & Iohanne Baptiſta, qui ab vtero ſanctificati

Trina immerſio nõ tollit vnitatem baptiſmi.

lib. de ſũ. bo. cap. 23

de cõſe. diſt. 4. c. eodẽ modo.

leguntur, quod etiam de Iacob quidam putant. Dicimus illos præter communem legem in veteris iustificatos, & gratia præuentos, dimissis omnibus peccatis: quod etiam multis sanctorum testimoniis edocetur.

CAP. *Quartum. Ob corruptam verborum prolationem ignoranter factam baptisma non iterandum.*

DE hoc Zacharias Bonifacio scribit: Retulerunt mihi nuncij tui, quòd fuerit sacerdos in eadem prouincia tua, qui Latinam linguam penitus ignorabat. & dum baptizaret, nescius Latini eloquij infringens linguam diceret, Baptizo te in nomine patria & filia & spiritua sancta. & propter hoc considerasti rebaptizare. Sed si ille qui baptizauit, non errorem inducens vel hæresim, sed pro sola ignorantia Romanæ loquutionis infringendo linguam baptizans, id dixisset: non possumus consentire vt denuo baptizentur. *de cõse. dist. 4. c. retulerunt.*

CAP. *Quintum. Baptizandi sunt, de quibus dubitatur an sint baptizati.*

LEo papa: Præterea sciendum est, quòd illi de quibus nulla extant iudicia inter propinquos vel domesticos vel vi- *de cõse. di. 4. c. nulla.*

cinos, à quibus baptizati fuisse doceantur, agendum est vt renascantur ne pereant : in quibus quod non ostenditur gestum, ratio non finit vt videatur iteratum. Conferendum eis videtur quod collatum esse nescitur: quia non temeritas ~~interuenit præsumptionis, vbi est diligentia pietatis.~~

CAP. *Sextum. Baptisma ioculariter & mimicè factum, est iterandum: non autem, si intentione recuperandæ sanitatis corporalis quis baptizetur.*

de cõse. dist. 4. c. solet etiam quæri.

VIdetur sapientibus non esse baptisma illud, cùm aliqui in balneum vel in flumen merguntur in nomine Trinitatis : quia non ~~intentione baptizandi~~ illud geritur. Nam in hoc & in aliis sacramentis sicut forma est seruanda, ita & intentio illud celebrandi, est habenda. Illud etiam non te moueat, quòd quidam non ea fide paruulos ad baptismum ferunt, vt per spiritum ad vitam regenerentur æternam : sed eos putant hoc remedio temporalem accipere sanitatem. Non enim propterea illi regenerantur, quia nec ab illis hac intentione offeruntur.

CAP. *Septimum. Duo tempora ad baptizandum fuerunt instituta.*

AGnoscendum est etiam in baptizandis electis duo tempora esse seruanda, scil. pascha & penthecostem, vt in sabbato paschæ vel penthecostes baptismi sacramentum celebretur. Qui verò necessitate mortis vel periculi vrgentur, omni tempore debent baptizari. *de cōs. dist. 4. duo tēpora.*

CAP. *Octauum. Oportet omnem ad baptisma accedentem, fidem Christi per se, nisi impediatur, profiteri.*

ISid. Paruuli alio profitente baptizantur, qui adhuc loqui vel credere nesciunt: sicut etiam prō egris, mūtis, vel surdis, alius profitetur dum baptizantur. sic & de pœnitentibus agendum est. Si verò pro eo qui respondere potest, alius respondeat, non itidem valet, sicut dictum est: Aetatem habet, pro se loquatur. *2. li. de offic. cap. 24 de cōse. dist. 4. c. cùm pro paruulis. Ioh. 9.*

CAP. *Nonum. Sponsores in baptismo paruulos obligant.*

CVm pro paruulo respondetur, Credo, vel fidem peto: sensus est, Credo, id est sacramentum fidei suscipio: & fidem peto, id est sacramentum fidei præstolum recipere. & ibi spondetur pro paruulo, quòd ad maiorem ætatem si venerit, & *de cōse. dist. 4.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

pompis diaboli renunciabit,& ſanam fidem tenebit,cuius tunc ſacramẽtum recipit. Hac autem ſponſione paruulus tenebitur, non ſponſor:ſi tamen vt cautio impleatur (quãtùm in ſe eſt)operam dederit:quia exigitur à patrino, vt ſit diligens circa eum pro quo ſpopondit ſolicitudo.

CAP. Decimum. *Catheciſmus & exorciſmus debent baptiſmum præcedere.*

de inſtit. de-ricorũ lib. de ſymbolo. de cõſe. diſt. 4. ante baptiſ.

RAba. Ante baptiſmum cathecizandi, id eſt inſtruẽdi, debet in homine prę-uenire officium: vt ~~fidei~~ cathecuminus accipiat ~~rudimentum~~, & ſciat cui debitor fiat deinceps. Item Aug. Paruuli exufflantur & exorcizantur, vt ab eis pellatur poteſtas diaboli, ne iam cõtendant eos ſubuertere,ne baptiſmum conſequãtur. Non ergo ab infantibus creatura Dei efflatur, vel exorcizatur, id eſt adiuratur : ſed diabolus, vt recedat ab homine.

DE SACRAMENTO Confirmationis.

DISTINCT. Septimæ

CAP. Primum.

Sacramentum Confirmationis certa formæ & materia conſtans, ſolum epiſcopum miniſtrum habet.

NVnc de ſacramento Confirmationis addendum eſt, de cuius virtute quæri ſolet: forma enim aperta eſt, ſcil. verba quæ dicit epiſcopus, cùm baptizatos, in frontibus ſacro ſignat chriſmate. Hoc ſacramentum ab aliis perfici non poteſt, niſi à ſummis ſacerdotibus: nec tempore Apoſtolorum ab aliis quàm ab ipſis Apoſtolis legitur peractum: nec ab aliis quàm ab illis qui locum eorum tenent, perfici poteſt aut debet. Nam ſi aliter præſumptum fuerit, irritum habetur & vacuum: nec inter eccleſiaſtica reputabitur ſacramenta. Licet autem presbyteris baptizatos tangere in pectore, ſed non chriſmate ſignare in fronte. Virtus autem huius ſacramenti eſt, donatio Spir. ſancti ad robur, qui in baptiſmo datus eſt ad remiſsionem. Vnde Vrbanus: A ſummo ſacerdote per impoſitionem manus paracletus traditur baptizato, vt roboretur per Spi. ſanctum, ad prædicandum aliis illud quod ipſe in baptiſmo conſequutus eſt.

de cõſe. di. 5. c. manus.

de cõſe. diſt. 4. c. preſbyteri.

Vrba. nus ſpa. pa de conſec. diſt. 4.

Confirmationis effectus.

CAP. *Secundum. Sacramentum Confirmationis licet inferioris gratiæ ſit quàm baptiſmus, à ieiunis debet tantùm ſemel ſuſcipi.*

CONfirmationis ſacramentum dicitur eſſe ~~maius baptiſmo~~: ſed fortè non ob maiorem virtutem & vtilitatem quam

conferat: sed quia à dignoribus datur, & in digniore parte corporis, scil. in fronte: vel quia maius augmentum virtutum præstat, licet baptismus plus valeat ad remissionem. vt dicit Rabanus. Nec debet iterari, sicut nec baptismus, nec ordo. Nulli enim sacramento facienda est iniuria. quod fieri putatur, quando non iterandum iteratur. vt dicit Augustin. contra Parmenia. li. 2 cap. 12.

DE SACRAMENTO EVcharistiæ, & primò quo ad eius figuras, institutionem, materiam, & formam.

DISTINCT. Octauæ

CAP. Primum.

Eucharistiæ sacramentum multipliciter fuit præfiguratum.

HOc sacramentum excellenter Eucharistia dicitur, id est bona gratia: quia in hoc sacramēto nō solùm est augmētum virtutis & gratiæ, sed ille totus sumitur, qui est fons & origo totius gratiæ. Cuius figura præcessit, quādo manna Deus pluit in deserto patribus, qui quotidiano cæli pascebantur alimento. Vnde rectè viaticum appellatur: quia in via nos reficiens, in patriam vsque deducit. Sicut ergo in mari rubro figura baptismi præcessit: ita in manna significatio dominici corporis. Hæc exo. 16.

duo sacramenta demonstrata sunt, vbi de latere Christi sanguis & aqua profluxerunt. quia Christus per sanguinem redemptionis & aquam ablutionis nos redimere venit à diabolo & peccato. Sicut Israelitas per sanguinem agni paschalis ab exterminatore, & per aquam maris rubri ab Aegyptiis liberauit. Huius etiam sacramenti ritum Melchisedech ostendit, vbi panem & vinum Abrahæ obtulit. Vnde ait Ambro. Intelligi datur anteriora esse sacramenta Christianorum, quàm Iudæorum.

exo. 12

ge. 14.

de sacra. lib. 4. c. 3.

CAP. *Secundum. Christus hoc sacramentum instituit.*

SAcramentum hoc Dominus instituit, quando post typicum agnum corpus & sanguinem suum in cœna discipulis porrexit. Vnde Eusebius Emissenus: Quia corpus assumptum ablaturus erat ab oculis, & illaturus syderibus, necesse erat vt in die cœnæ sacramentum nobis corporis & sanguinis consecraret: vt celebretur iugiter per mysterium, quod semel offerebatur in precium.

CAP. *Tertium. Forma huius sacramenti nobis est à Christo præscripta.*

FOrma verò est, quam ipse ibidem edidit dicens, Hoc est corpus meum: & post, Hic est sanguis meus. Cùm enim hæc verba proferuntur, conuersio fit panis & vini in substantiã corporis & sanguinis Christi. Reliqua ad laudem Dei dicuntur. Vnde Ambro. Sermone Christi hoc conficitur sacramentum: quia sermo Christi creaturam mutat. & sic ex pane fit corpus Christi: & vinum cum aqua in calicem missum, fit sanguis, consecratione verbi cælestis. Consecratio quibus fit verbis? attende quæ sunt verba: Accipite, & comedite ex eo omnes: Hoc est corpus meum. & iterum, Accipite, & bibite ex hoc omnes: Hic est sanguis meꝰ. Per reliqua omnia quæ dicuntur, laus Deo refertur: oratio præmittitur pro populo, pro regibus. Dedit autem hoc sacramentum, celebrato cum discipulis typico pascha, vt ostẽ deret legis veteris sacramẽta, inter quæ præcipuum erat agni paschalis sacrificium, in morte sua terminari, ac legis nouæ sacramenta substitui: in quibus excellit mysterium Eucharistiæ. Idem etiam post alia dedit, vt vt hoc vnum arctiùs memoriæ discipulorum infigeretur, & ab Ecclesia deinceps frequentaretur. Sed non inde disciplinam sanxit in posterum, vt post alios cibos sumatur, sed potius à ieiunis sumi oportet. Sicut Apostolus docet, vt singulari reuerẽtia diiudicetur,

Matt. 26.

li. 4. de sacra. cap. 4.

Cur christꝰ hoc sacramẽtũ dedit post typicam cœnam.

à ieiunis sumendũ.

1 Cor. 11

ad Ianua rium epi. 118 de consec. d. 4. cap. liquido.

id est discernatur ab aliis cibis, quod dominꝰ Apostolis disponendū reliquit, vt dicit Aug. 1. co. 11

CAP. 4. *Huius sacramenti res duplex est.*

CVm ergo sacramentū sit inuisibilis gratiæ visibilis forma: Forma panis & vini quæ ibi videtur, est sacramentū, id est signum sacræ rei: quia præter speciē quā ingerit sensibus, aliquid aliud facit in cognitionem venire. Tenent ergo species vocabula rerum, quæ antè fuerunt, scil. panis & vini. Huius autem sacramenti gemina res est: vna scil. contenta & significata, vt caro Christi de Virgine accepta, & sanguis quem pro nobis effudit: & res significata & non contenta, scil. vnitas Ecclesiæ in prædestinatis, vocatis, iustificatis, & glorificatis. Hæc est duplex caro Christi & sanguis. Sūt ergo hic tria distinguenda: vnum, quod tantùm est sacramentum, vt species visibilis panis & vini. Alterum, quod est res & sacramentum, vt caro Christi propria & sanguis. Tertium, quod est res & non sacramentum, vt mystica eius caro. Porrò illa species visibilis sacramentum est geminæ rei, & vtriusque similitudinem gerit. Nam sicut panis ex multis granis & vinū ex pluribus acinis consurgit, ad sustentandum & lætificandum hominem: Sic hoc sacramentum interiorem hominem plus cæteris gratiis spiritualiter re-

aug. de ciui. li. 10. c. 5

Tria sunt in hoc sacramento.

1. co. 10

ficit & saginat. Habet etiam similitudinem cum re mystica, quæ est vnitas fidelium ex multis fidelibus resultans. iuxta Apostolum,
1.co.10 Vnus panis & vnum corpus multi sumus.

DE EVCHARISTIAE sacramento quoad suscipientes.

DISTINCT. Nonæ

CAP. Primum.

Duo sunt modi manducandi hoc sacramentum.

ET sicut duæ sunt res illius sacramenti, ita etiam duo modi manducādi: Vnus (
de ver. dom. & de cōse. d. 2. ca. quid est christū. tract. 23. in Io.
sacramentalis, quo boni & mali edūt: Alter spiritualis, quo soli boni manducant. Vnde Aug. Quid est Christum manducare? non est hoc solum in sacramēto corpus eius accipere (multi enim indignè accipiunt) sed ~~in ipso manere, & in se habere ipsum manen~~ tem. Spiritualiter enim māducat, qui in vnitate Christi & Ecclesiæ (quam sacramentum significat) manet.

CAP. 2. *Mali realiter corpus Christi suscipiunt.*

PRæsumpserunt quidā dicere corpus & sanguinē Christi à bonis tantùm sumi, & non à malis, sed indubitanter tenendum est à malis ~~sacramentaliter~~, id est sub

ſpecie viſibili, carnem & ſanguinem Chriſti verè ſuſcipi. Quod ſubditis probatur teſtimoniis. Greg. Eſt quidem in peccatoribus & indignè ſumẽtibus vera Chriſti caro & verꝰ ſangnis, ſed eſſentia ſalubri, & nõ efficiẽtia. Et Auguſt. Multi indignè accipiunt corpus domini. De quibus Apoſt. ait, Qui manducat & bibit calicem domini indignè, iudiciũ ſibi manducat & bibit. Per quod docemur quàm ſit cauendum malè accipere bonum. Ecce enim factum eſt malum, dum malè accipitur bonum. ſicut contrà Apoſtolo factũ eſt bonum, cùm bene accipitur malum, ſcil. dum ſtimulus Sathanæ patienter portatur. Ergo & mala bonis proſunt, ſicut Angelus Sathanæ Paulo, & ſancta obſunt malis. 4. dist. in Ioh. tra. 26

Cùm autem dicit Auguſt. Bonus accipit ſacramentum & rem ſacramenti: malus verò ſacramentum & non rem: Sacramentũ intelligit corpus Chriſti proprium de virgine natum: rem verò, ſpiritualem Chriſti carnem, quam malus non ſuſcipit, quia ipſam efficientiam, id eſt remiſsionem peccatorum, non percipit. in glo. 1. cor. 2

DE SACRAMENTO EVcharíſtiæ quantùm ad veritatem.

DISTINCT. Decimæ

CAP. Primum,

Verba quibus Christus hoc sacramentum instituit, non sunt figuratiuè intelligenda.

SVnt qui dicunt ibi esse corpus Christi tantùm in sacramento, id est in signo, & tantùm in signo mãducari à nobis. Qui errandi occasionem sumunt à verbis Veritatis. Vnde prima hæresis facta est in discipulis Christi. Cùm enim diceret, Nisi quis mã- *Prima hæ*
ducauerit carnem meam, & biberit sangui- *resis aduer*
nem meum, non habebit vitam æternam: Il- *sus hoc sa-*
li non intelligentes, dixerunt: Durus est hic *cramentũ.*
sermo: quis potest eum audire? & abierunt retrò. Quibus discedentibus, instruxit duo- *obiectiones*
decim qui remanserant. Spiritus est (inquit) *hæreticorũ*
qui viuificat: caro nihil prodest. Verba quæ loquutus sum vobis, Spiritus & vita sunt.

Addunt etiam quod ait Augu. Donec seculum finiatur, sursum est dominus: sed tamẽ etiã hic nobiscũ est veritas dominus. Corpus enim in quo resurrexit, in vno loco esse oportet. Veritas verò eiꝰ vbiq; diffusa est. Itẽ, Vna persona est deus & homo, vbiq; per id quod est Deus, in cęlo per id quod homo est Christus. Dicit etiam, Pauperes semper habetis vobiscum, me autem non semper habebitis.

Quæ quidem ex eadem ratione omnia accipienda sunt. non enim iis verbis negatur verum corpus Christi à fidelibus sumi, vel in *Dilutiones*

altari esse: sed his veritas suos discipulos instruxit, quòd ipsius corpus non per partes discerptum (vt putauerunt illi qui retrò ierunt) sed integrum: neque visibiliter in forma humana, sed inuisibiliter sub forma panis & vini corpus & sanguinem nobis traderet. quem sensum Aug. confirmat: Ita etiã intelligẽdum est corpus Christi esse in vno loco, scil. visibiliter, in forma humana: veritas tamen eius. i. diuinitas, vbique est. Sic etiam illud intelligendum est, Pauperes semper habebitis vobiscum, secundum corporalẽ præsentiam, scil. qua cum eis conuersabatur. Similiter per id q̃ homo est, in cælo est, scil. visibiliter, inuisibiliter autem in altari. *ad Irenæũ et de cõs. d. 2. c. nõ hoc.*

CAP. 2. *Corpus Christi secundum veritatem in hoc sacramento esse confirmatur authoritatibus.*

HOrũ perfidiã subdita cõuincunt testimonia. Ait enĩ Veritas, Accipite: hoc est corpus meũ. Itẽ Ambr. Si tãtũ valuit sermo Heliæ, vt ignem de cælo deponeret: non valebit tantũ sermo christi, vt substãtias mutet? De totius mũdi operibus legitur, Dixit, & facta sunt. non enim minus est creare, quàm mutare nouas naturas rerum. Item Aug. In specie panis & vini quam videmus, res inuisibiles, carnem & sanguinem, honoramus, nec similiter pendimus has duas spe- *Matt. 26. ibi. de iis qui myste- rijs ini tiantur cap. 9. li. sen tẽt. pro speri.*

cies ſicut ante cõſecrationem pendebamus: cùm fideliter fateamur ante conſecrationem panem eſſe & vinum, quod natura formauit: poſt conſecrationem verò carnẽ Chriſti & ſanguinem, quod benedictio conſecrauit. Item Ambro. Panis eſt in altari vſitatus, ante verba ſacra: vbi acceſsit conſecratio, de pane fit Chriſti caro. Item Euſeb. Emiſſenus: Inuiſibibis ſacerdos viſibiles creaturas in ſubſtantiam corporis & ſanguinis ſui verbo ſuo ſecreta poteſtate commutat.

lib. de ſacra. 4. c. 4.

DE EVCHARISTIAE SACRAMENTO QUOAD MODUM CONUERSIONIS.

Supra de hoc ſacramento determinatũ eſt quo ad eſſe, nunc quo ad fieri.

DISTINCT. Vndecimæ CAP. Primum.

Conuerſio quæ fit in hoc ſacramento, non eſt formalis, ſed ſubſtantialis.

SI autem quæritur qualis ſit illa conuerſio, an formalis, an ſubſtantialis, vel alterius generis: definire nõ ſufficio: formalem tamẽ non eſſe agnoſco, quia ſpecies rerum quæ antè fuerant, remanẽt, & ſapor, & pondus. Quibuſdã eſſe videtur ſubſtantialis, dicẽtibus ſic ſubſtantiam conuerti in ſubſtãtiam, vt hæc eſſentialiter fiat illa. Cui ſenſui præmiſſæ authoritates conſentire videntur.

Lapinio de cõuerſione.

Nec ea ratione dicitur corpus Christi cõficiverbo cęlesti, quòd quotidie fiat (sicut ab aliis opponitur) aliqua substantia corpus vel sanguis Christi, quæ antè non erat corpus, & quòd quotidie augeatur corpꝰ Christi, atq; formetur de materia, de qua in concœptione nõ fuit factum, vel quòd ipsum corpus in concœptu Virginis formatum, deinceps formetur: sed quia substantia panis vel vini, quę antè non fuerat corpus Christi vel sanguis, verbo cælesti fit corpꝰ & sanguis. Et ideo sacerdotes dicuntur conficere corpus Christi & sanguinem: quia eorum ministerio substãtia panis fit caro, & substantia vini fit sanguis Christi. Nec tamen aliquid additur corpori vel sanguini, nec augetur corpus Christi vel sanguis. Nec etiã dicimus substantiãꝫ panis vel vini materiam esse corporis & sanguinis Domini: quia non de ea, vt de materia, formatur corpꝰ: sed ipsa formatur in illud, & efficitur illud. Ideo non cõceditur, Panis est caro christi, vel vinũ est sanguis: quia substãtia panis vel vini postquã facta est caro christi vel sanguis, non est substantia panis vel vini, sed caro & sanguis. Ideo distinguendum videtur cùm dicitur, Substantia panis est modo corpus christi: manens enim panis non est corpus christi: sed mutata in id quod facta est, est corpus christi. Quamuis aliqui dicant alio modo fieri conuersionem istam, &

Panis qũo fiat Christi corpus.

Substãtia panis nõ est substantia corporis christi.

2 opinio.

esse intelligendam, scil. vt sub illis accidentibus, sub quibus prius erat substãtia panis & vini. post consecrationem sit substantia corporis & sanguinis: sic tamen, vt non eis afficiatur: & substantiam panis & vini in præiacentem materiam resolui, vel in nihilum redigi. Alij verò putauerũt ibi substantiam pa 3. *opinio.*
nis & vini remanere, & ibidem Christi corpus esse & sanguinẽ, & hac ratione dici illã substantiam fieri istam, quia vbi est hæc, est est & illa. quod mirum est: & ipsam substantiam panis & vini dicunt esse sacramentum.

In homilia paschali. de consec. d. 2 ca. Omnia Ioh. 6.

Sed quòd non sit ibi substantia nisi corpus Christi & sanguis, ex prædictis & subditis apertè ostenditur. ait enim Ambro. Panem istum quem sumimus in mysterio, illum intelligo vtique, qui manu Spiritus sancti formatus est in vtero virginis, & igne passionis decoctus in ara crucis. de quo ait Veritas, Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. *Huius reprobatio.*

CAP. 2. *Conuenienter nobis datum est hoc sacramentum sub aliena specie, maximè autem sub hac.*

gre. in ho. pas.

VT ~~fides~~ scil. ~~haberet meritum, quæ illo caret, vbi humana ratio præbet experimẽtum:~~ & etiã ne abhorreret animus quod cerneret oculus: quia non habemus in vsu carnem crudam comedere, & sanguinem bibere. & etiam ideo, ne ab incre-

dulis religioni Christianæ insultaretur. Interea tamẽ in similitudinẽ accepimus sacramẽtum. vt dicit Aug. Sub duplici autem specie est institutum, vt ostenderetur totam humanam naturam Christum assumpsisse, vt totam redimeret. Panis enim ad carnem refertur, vinum ad animam : quia vinũ operatur sanguinem, in quo sedes animæ à phisicis dicitur esse. *decõse. d.2.*

Cur sub duplici specie sit datum.

CAP. Tertium. *Christus sub vtraque specie continetur totus.*

IDeo ergo in duabus speciebus celebratur, vt animæ & carnis susceptio in Christo, & vtriusque liberatio in nobis significetur. Valet enim (vt Ambr. ait) ad tuitionẽ corporis & animę quod percipimus: quia caro Christi pro salute corporis, sanguis verò pro anima nostra offertur, sicut præfigurauit Moses, Caro, inquit, pro corpore nostro offertur, sanguis pro anima. Sed tamen sub vtraque specie sumitur totus. quod ad vtrũq; valet. Si enim sub altera tantũ specie sumeretur, ad alterius tantùm, id est animæ vel corporis, non vtriusque pariter, tuitionem valere significaretur. Nec tamen plus sub vtraque, nec minus sub altera tantùm sumitur. Eadem enim est ratio (vt ait Hilarius) in corpore Christi, quæ in manna *in c.11. prioris ad cor.* *decõse. d.2.c. vbi pars exo.16*

Duæ species nõ faciunt duo sacramẽta

præceſsit, de quo dicitur, Qui plus collegerat, non habuit amplius: nec qui minus parauerat, habuit minus. Et licet ſub vtraque ſpecie ſumatur totus Chriſtus, tamen non fit conuerſio, niſi in carnem, nec vini, niſi in ſanguinem. nec debẽt dici duo ſacramenta, ſed vnum: quia ſub vtraque ſpecie idem ſumitur. nec debet iterari ſacramentum, quia benedictio non reperitur ſuper eandem ſpeciem.

CAP. *Quartum. Panis, vinum, & aqua, ſunt materia huius ſacramenti.*

NEque aliæ ſubſtantiæ in ſacrificium dominicæ veritatis offerri debent: quia de aliis non poteſt conſecrari corpus Chriſti vel ſanguis: nec panis debet offerri, niſi de frumento: nec granum frumenti, niſi redactum fuerit in panem: quia Chriſtus & panem ſe dixit, & grano
decõſe. frumenti ſe comparauit. Calix autem do-
d.2. cũ minicus, iuxta canonum præceptum, aqua
omne. & vino mixtus debet offerri: quia videmus in aqua populum intelligi, & in vino oſtendi ſanguinem Chriſti. Cùm ergo in calice aqua vino miſcetur, Chriſto populus adunatur, & credentium plebs ei in quem credit copulatur.

Si quis tamen, non intendens introducere hęresim, obliuione vel ignorantia aquā prętermiserit, nō videtur esse irritū sacramentū: sed ille grauiter corripiendus est. Aqua verò nullatenus sine vino potest offerri in sacrificio. Christus verò corpus dedit tale, quale habuit, id est mortale & passibile. nūc vero à nobis sumitur immortale & impassibile, nec tamē maiorē habet sufficientiā. Nec quoque Eucharistia intincta debet dari populo pro supplemēto communionis: quia non legitur christus alicui discipulorum præbuisse panē intinctum, nisi Iudæ. Tunc verò nō accepit Iudas corpus Christi, sed tantū panem. Corpus verò & sanguinē Christi antè cum aliis discipulis perceperat.

In cœna Christ⁹ dedit corpus mortale.

Iudas suscepit corpus Christi in cœna.

DE CONSEQVENTIBUS conuersionem.

DISTINCT. Duodecimæ
CAP. Primum.

Accidentia sine subiecto existunt in hoc sacramento, fractionem & partitionem suscipientia.

FAtendum est saporem & pondus in hoc sacramento sine subiecto existere: quia ibi non est substātia, nisi corporis & sanguinis dominici, quæ non afficitur illis accidentibus. Nec fractio vel partitio in substantia corporis fit, sed in forma panis sine specie. Vnde Apost. ait, Panis quem frangimus: 1. co. 10

quia forma panis ibi frangitur, & in partes 242.b.
de cõse. diuiditur. Christus verò integer manet, & to
d.2.c. tus est in singulis. Ideoque Berengarij ver-
ergo Be ba, quibus confessus est verum corpus & san
rengarius guinem Christi non solùm esse sensualiter in
hoc sacramento, sed in veritate manibus sa-
cerdotum tractari & frangi, & fidelium den
tibus atteri, ita distinguẽda sunt, vt sensuali- 1.
ter non modo in sacramento, sed in veritate
dicatur corpus Christi tractari manibus sa-
cerdotum: frangi verò & alteri dentibus, ve- 2.
rè quidem, sed in sacramento tantùm. Vera
est ergo ibi attritio & partitio, & non appa-
rens tãtùm (vt quorundã fuit opinio) sed in
de cõse. singulis partibus totus est Christus. Partes aũt
d.2.tri illæ significationem habent, vt dicit Sergius
forme. papa. Nam pars oblata, in calicem missa, 1.
corpus Christi quod iam surrexit significat. 2.
pars comesta, ambulantem adhuc super ter-
ram: Pars in altari vsque ad finem missæ re- 3
manens, corpus iacens in sepulchro signifi-
cat. quia vsque finem seculi corpora sancto-
ctorum in sepulchris erũt. Caueat autẽ ne *De accessu*
indignè quis percipiat: quia iudicium sibi *ad hoc sa-*
manducat. Sic ergo viue, vt merearis quoti- *cramentũ.*
die accipere: nec accedas indignus. Indi-
gnus est, qui aliter celebrat mysterium,
quàm Christus tradidit: vel qui habens mor
tale peccatum, accedit. Hoc autem myste- oblatio.
rium, & sacrificium, & oblatio est, quia me-

In sacrificium est institutum

moria est & repræsentatio veri sacrificij & sanctæ immolationis factæ in ara crucis: & semet mortuus est Christus in cruce, & immolatus: nec causa suæ infirmiatis repetitur, quia perficit hominem: sed nostræ, quia quotidie peccamus. Ideo dicit Augustinus. Iteratur quotidie hæc oblatio, licet Christus semel sit passus, quia quotidie peccamus peccatis, sine quibus mortalis infirmitas viuere non potest. Quotidie tamen Eucharistiam accipere nec laudo (ait Augustinus) nec vitupero. *ad Ianuariũ*

li. de eccle. dogmatib⁹ ca. 57.

An cõmunicandum quotidie.

DE POTESTATE CONficiendi sacramentum Eucharistiæ.

DISTINCT. Decimætertiæ

CAP. Primum.

Mali æquè atque boni sacerdotes consecrare possunt.

AVgust. Intra catholicam Ecclesiam in mysterio corporis & sanguinis domini nihil à bono maius, nil à malo minus perficitur sacerdote: quia ~~non in merito consecrantis, sed verbo efficitur creatoris, & virtute~~ Spiritus sancti. Credendum est etiam quòd in verbis Christi sacramenta conficiantur. Sicut ipse est qui baptizat: ita *lib. de corpore domini et 1. q. 1 ca. intra catholicã Io. 1.*

ipse est qui per Spiritum sanctum suam ef-
1.q.1. fi it carnem & sanguinem. Gregorius: Pu-
multi tant quidam communionem corporis mi-
nus esse sanctificatam, si illorum fiat officio,
quorum vita eorũ oculis videtur ignobilis.
Heu in quàm magnũ laqueũ incidunt, vt di-
uina & occulta mysteria plus ab aliis san-
ctificata posse fieri credant, cùm vnus idém-
que Spiritus sanctus in tota Ecclesia inuisi-
biliter ea mysteria & operando sanctificet,
& sanctificando benedicat, &c.

CAP. *Secundum. Ordo & intentio ad consecrandũ requiruntur.*

IN huius autem mysterij expletione sicut formam seruari, ita ordinem haberi, scilicet vt sit sacerdos, & intentionem adhiberi oportet, vt illud facere intendat. Quòd si intentio dicatur deesse conficiendi illud mysterium, tamen si intendat ea dicere & agere, quæ ab aliis geruntur, impletur mysterium.

DE POTENTIA QVANTÙM ad suam quiditatem.

DISTINCT. Decimæquartæ
CAP. Primum.

Multipliciter pœnitentia dicitur.

POst hæc de pœnitentia agendum est. Pœnitentia longè positis à Deo, necessaria est, vt appropinquent. Est enim (vt ait Hieronymus) secunda tabula post naufragium. quia si quis innocentiæ vestem in baptismo perceptam peccando corruperit, per pœnitentiæ remedium reparare potest. Post baptismum enim prolapsi, per pœnitentiam renouari valent, sed non per baptismum. licet homini sæpius pœnitere, sed non baptisari. Est autem & pœnitentia exterior, & pœnitentia interior. Exterior sacramentum est, Interior virtus mentis est: & vtraque causa salutis est & iustificationis. Pœnitentia (ait Ambrosius) est præterita mala plangere, & plangenda iterum non committere. & Gregorius: Pœnitere est antè acta peccata deflere, & flenda non committere. Nam qui sic alia deplorat, vt alia tamen committat, adhuc pœnitentiam agere aut ignorat au dissimulat. Pœnitentia (ait Augustinus) est quædam dolentis vindicta, semper puniens in se quod dolet commisisse. Pœnitere enim est pœnam tenere, vt semper puniat in se vleiscendo, quod commisit peccando.

in 3. c. Esa.

in sermo. quadragesimali.

li. de vera & falsa pœnit. cap. 8.

CAP. *Secundum. Veram pœnitentiam sequi potest peccatum.*

HIs verbis quidam contendunt verè pœnitentem vltrà non posse peccare damnabiliter: & si grauiter peccauerit, veram non præcessisse pœnitentiam: quia (vt dicit Isido.) Irrisor est & non pœnitens, qui adhuc agit quod pœnitet, &c. Item Augustin. Inanis est pœnitentia, quam sequens pœna coinquinat, &c. Sed illa verba præmissa, Pœnitere est antè acta deflere, & flenda non cõmittere, rectè sic accipienda sunt, vt non ad diuersa tempora, sed ad idem referantur, vt scil. tempore quo deflet commissa mala, non committat voluntate vel opere flenda. Ille autem irrisor est & non pœnitens, qui sic commissa plangit, vt plangenda, voluntate vel opere committere non desinat. & illud, Inanis est pœnitentia, quam, &c. intelligendum est, id est carens fructu pœnitentiæ illius, quam sequens culpa inquinat. Ideo Pius papa ait: Qui à malis sic mentem reuocat, vt commissa plangat, & plangenda committere non velit, nec satisfacere negligit, verè pœnitet. Nec ideo non est vera pœnitentia, quæ forte pòst non de proposito, sed casu vel infirmitate peccabit, &c. Sed etsi de peccato succedenti pœnitentia agatur, & pœnitentia quæ præcessit, & alia antè acta bona reuiuiscunt: sed illa tantùm quæ ex charitate prodierunt, tamen per subsequens peccatum mortificata

li.2.de sũ.bo. cap.16.
de pœ. dist.3. c.Irriso. li.1. soliloquio.
de pœ. dist.3. c.nihil prodest.

Opera mortua nō reuiuiscunt per sequentem pœnitentiam.

fuerunt. Quæ verò sine charitate fiunt, mortua & inania generantur & ideo per pœnitentiam reuiuiscere non valent.

CAP. *Tertium. Non semel tantum, sed frequenter peccata per iteratam veram pœnitentiam remittuntur.*

AVgust. scribens contra quosdam hæreticos ait: Adhuc instant perfidi, qui sapiunt plus quàm oportet, dicentes: Et si semel peccantibus post baptismum valeat pœnitentia, non tamen sæpe peccantibus proderit iterata: alioqui remissio ad peccandum esset incitatio. Errant autem. Constat enim multum ~~ei peccata displicere, qui semper præsto est ea destruere~~. Sed si ea amaret, non semper ea destrueret. Idem ad Macedo. Intantum hominum iniquitas aliquando progreditur, vt etiam post peractam pœnitentiam, & post altaris reconciliationem, vel similia, vel grauiora cōmittant: & tamen Deus facit solem suum super tales oriri: nec minus tribuit, quàm antè tribuerat. Exemplis etiam hoc idem astruitur. Dauid enim per pœnitentiam, adulterij simul & homicidij veniam impetrauit: & grauiter tamen postea deliquit in populi enumeratione, quod populi multi-

tudo proſtrata oſtendit. Item Chryſoſt. ſuper locum illum, Voluntariè enim peccantibus nobis (vt ait Apoſt.) pro peccatis non relinquitur hoſtia, &c. ait: Sciendum quòd hic quidam exurgunt, horum verborum occaſione pœnitentiam auferentes, quaſi per pœnitentiam non valeat peccator poſt lapſum reſurgere ſecundò & tertiò & deinceps. Verumetiam in hoc pœnitentiam non excludit, nec propitiationem quæ ſæpe fit per pœnitentiam, ſed ſecundum baptiſma & ſecundam hoſtiam.

CAP. *Quartum. Solennis pœnitentia non iteratur.*

QVod Ambro. dicit, Reprehenduntur qui ſæpius agendam pœnitentiam putant, qui luxuriantur in Chriſto. Nam ſi verè pœnitentiam in Chriſto agerent, iterandam poſtea non putarent: quia ſicut vnum baptiſma, ita eſt vna pœnitentia. De ſolenni pœnitentia intelligendum eſt, quæ apud quoſdam ſemel celebrata non iteratur. Vnde Origenes: In grauioribus enim criminibus ſemel tantùm pœnitere locus conceditur. Communia verò quæ ſemper incurrimus, ſemper pœnitentiam recipiunt.

in leuit. ca. 25. ho. 15.

Peccata commissa quomodo per sequens peccatum redeant.

Peccata dimissa iterum imputari intelligendum est propter ingratitudinem: quia ita reus & immundus constituitur, ac si illa redirent. Sicut enim ille qui ex seruitute in libertatem manumittitur, interim verè liber est, & tamen propter offensam in seruitutem postea reuocatur: sic & per pœnitentiam verè peccata dimittuntur: tamen propter offensam quæ replicatur, iterũ redeunt. *Infra dist. 22 cap. 1.*

DE POENITENTIA QVANTùm ad sui integritatem.

DISTINCT. Decimæquintæ CAP. Primum.

Non potest quis pluribus peccatis irretitus, pœnitentiam tantùm de vno habere.

AVgust. Sunt plures quos pœnitet peccasse: sed tamen omnino reseruantes sibi quædam in quibus delectentur, non animaduertentes Dominum simul & mutum & surdum à dæmonio liberasse. *Luc. 11. mar. 7.* Per quod docet nos nisi de omnibus sanari. Si enim vellet peccata ex parte reseruari, habenti septem dæmonia, ei proficere potuit

sex expulsis. Expulit autem septem, vt omnia
mar. 5. crimina simul eiicienda doceret. Legionem verò dæmonum ab alio eiiciens, nullum reliquit de omnibus, qui liberatum possideret. ostendēs quòd etsi peccata ~~sint mille~~,
Ioh. 7. oportet de omnibus pœnitere. Totum enim
de pœ. di. 5. c. fratres. hominē sanauit in sabbato. Hostis enim Dei est, qui offendit perseueranter. Innoc. item ait: Admonemus fratres nostros, ne falsis pœnitentiis laicorum animas decipi, & in infernum pertrahi patiantur. Falsam autem pœnitentiam esse constat, cùm spretis pluribus, de vno solo pœnitentia agitur: vel cùm sic agitur pœnitentia de vno, vt non discedatur ab alio. Ex quibus illorum error conuincitur, qui pluribus irretitum peccatis asserunt de vno verè pœnitere, eiusdémque veniam à Domino consequi posse, sine alterius pœnitentia. Quod etiam authoritatibus astruere conantur. Ait enim Prophe.
Nah. 1. Non iudicabit Deus bis in ipsum. vel (vt alij trāstulerunt) Non consurget duplex tribulatio. Si ergo, inquiunt illi, aliquis sacerdoti fuerit confessus vnum de duobus vel pluribus peccatis, & de illo iniunctam sibi à sacerdote pœnitentiam satisfactione expleuerit, aliis tacitis, pro illo peccato non amplius iudicandus est, de quo satisfecit ad arbitrium sacerdotis, qui vicem Christi in Ecclesia gerit. Ideoq; si de eo iterū iudice-

tur, bis in ipsum iudicat Deus: & consurget duplex tribulatio. Sed illud tãtùm intelligi oportet de iis qui præsentibus suppliciis tantùm commutantur in bonum, & sic perseuerant. super quos non consurget duplex tribulatio. Qui verò inter flagella duriores & deteriores fiunt, vt Pharao, præsentibus æterna connectunt, sec. illud, Duplici contritione contere eos domine.

CAP. *Secundum. Non potest quis de vno peccato satisfacere, in alio mortali existens.*

PORRÒ quod afferunt de satisfactione, responderi potest satisfactionem non fuisse: quia ille dignos fructus pœnitentiæ non fecit. Est enim satisfactio pœnitentiæ (vt ait August.) peccatorum causas excidere, nec suggestionibus eorum aditum indulgere. Vnde in peccato mortali permanentes, etsi eleemosynas largas faciant, non tamen per eas satisfaciunt: quia inordinatè agunt, dum à se non incipiunt: quia qui diligit iniquitatem, odit animam suam. & qui non diligit animam suam, nõ est misericors ei, sed crudelis. Hac enim eleemosyna, quam sibi homo primitus debet, mundantur interiora. Ad quod hortans Christus ait, Mundate quæ intus sunt. Immundis enim

ad tit.2 nihil est mundum, sed polluta sunt eorum
act.15. mens & conscientia, vt ait Apost. Immundi
mat.23 verò sunt omnes, quos non mundat fides,
qua creditur in Christum, de qua scriptum
est, Mundans fide corda eorum. Quòd si
in 1.ca obiiciatur quod Hiero. ait: Si quando vide-
aggæi. ris inter multa peccata quendam facere iu-
sta opera, non est tam iniustus Deus, vt pro-
pter multa mala obliuiscatur paucorum bo-
norum: sed faciet ea metere & in horrea
congregare, quæ bona in terra seminauit.
Dicimus intelligendum de illo qui in chari-
tate quodam tempore bona facit, & bonus
est: alio verò tempore malus est, & multa
peccata facit. Non ergo intelligendum est
inter multa peccata eum iusta opera feciſ-
se, quasi simul eodémque tempore pecca-
ta fecerit, & iusta opera: sed diuersis tem-
poribus vtraque feciſſe. Nisi enim bonus
esset quando bona fecit, non diceretur in
terra bona seminasse. Destructis ergo ma-
lis post bona opera commissis, priora bo-
na, in charitate scilicet facta, quæ subse-
quentia mala mortificauerant, pœniten-
tia de illis malis habita viuificantur, & re-
heb.6. munerantur. Vnde Apost. Iacientes funda-
mentum pœnitentiæ ab operibus mor-
tuis. opera mortua nominans, priora bona
significat, quæ per sequens peccatum erant

obiectio

Gd. 6.

Solutio.

230 b.

Opera mortificata reuiuiscunt.

202. b.

Opera mortua. lib. 2 dist 41. a. f 160.

mortua: quia hi peccando priora bona irrita fecerunt. Hæc sicut peccando fuerunt irrita, ita per pœnitentiam reuiuiscunt, & ad meritum æternitatis prodesse incipiunt. Potest etiam intelligi de operibus bonis in mortali factis: quæ à Deo dicuntur remunerari & non dari obliuioni: non quòd proficiant ad vitam æternam, sed ad tolerabilius supplicium sentiendum.

DE POENITENTIA QVO ad partes suas integrales.

DISTINCT. Decimæsextæ CAP. Primum.

Pœnitentia integratur contritione, confessione, & satisfactione. de pœ. di. 1. c. perfecta pœ. 241. b. l. 14.

CHrysost. Perfecta pœnitentia cogit peccatorem omnia libenter ferre. In corde eius contritio, in ore confessio, in opere tota humilitas. Hæc est fructifera pœnitentia: vt sicut Deum tribus modis offendimus. s. corde, ore, & opere (Sunt enim tres peccati differentiæ, ait Augustinus) ita tribus modis satisfaciamus. Compunctio nobis cõmendatur, ibi: Scindit & corda vestra. 2. Confessio, ibi: Iustus in principio sermonis accusator est sui. & ibi, Effundite coram illo corda vestra. & iterum, Confitemini alterutrum peccata vestra. Satisfactio à Io-

de pœ. di. 1. c. perfecta pœ. de ser. in mõte. li. 1. Ioel. 2 Pro. 18 Psal. 61 Iac. 5. mat 13 de ver. & fal. pœnit. cap. 14.

mat.3. hanne præcipitur, vbi ait: Facite fructus di-
de pe. gnos pœnitentię: scil. vt sec. qualitatem cul-
& sal. pæ, sit qualitas & quantitas pœnæ, vt dicit
pœnit. August. Pertractet, inquit, secum quàm mul-
ca.14. tiplici actione vitij delectabiliter peccauit.
Omnis ista varietas confitenda est & de-
flenda, vt cùm cognouerit quod peccatum
est, citó inueniat Deum sibi propitium. In
cognoscendo augmentum peccati, inueniet
cuius ætatis fuerit, cuius sapientiæ & ordi-
Amb. 2 nis. Defleat enim, quoniam offendens in
vno factus est omnium reus, tum quia in-
gratus, tum quia omnis virtus patitur detri-
mentum ab vno vitio. Ponat se omnino in
iudicio & potestate sacerdotis, nihil sui re-
seruans sibi: vt omnia eo iubente paratus sit
facere pro accipienda vita animæ, quæ fa-
ceret pro vitanda corporis morte. Et sicut
sunt fructus aliqui digni pœnitentiæ, ac ve-
ra satisfactio: ita sunt & fructus indigni. &
falsa satisfactio: vt eorum qui officia sua si-
de pœ. di. 5. c. falsas, ne peccato exercere non possunt. sicut do-
cet Gregor.

Inquisitio diligens ad confitendum necessaria.

CAP. *Secundum. Triplex est genus pœnitentiæ.*

TRibus modis agitur pœnitentia, ante baptismum scil de prioribus peccatis, post baptismum, de grauioribus quæ post committuntur: & de venialibus, quę est

humilium & perfectorum, vt dicit Auguſt.

1. De prima aiebat Petrus: Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine domini, &c. Eſt etiam pœnitentia bonorum & humilium fidelium penè quotidiana, in qua pectora tundimus, dicentes: Dimitte nobis debita noſtra. Neque ea dimitti à nobis volumus, quæ dimiſſa nobis in baptiſmo non dubitamus: ſed illa, quæ humanæ fragilitati quanuis parua, tamen crebrò ſubrepunt: quæ ſi collecta contra nos fuerint, ita nos grauabunt & oppriment, ſicut vnum aliquod grande peccatum. Quid enim intereſt ad naufragium an vno grandi fluctu nauis operiatur & obruatur, an paulatim ſubrepens aqua in ſentinam per negligẽtium culpam impleat nauem, & ſubmergatur? &c.

Peccata venialia multiplicata mortale gignunt.

CAP. *Tertium. Venialibus ſatisfit per orationem dominicalem.*

AVguſt. in Enchirid. De quotidianis & breuibus leuibuſque peccatis, ſine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana fidelium oratio ſatisfacit. Eorũ enim eſt dicere, Pater noſter qui es in cælis, &c. Delet enim hæc oratio minima & quotidiana peccata, &c. Sicut veraciter dicitur, dimitte nobis debita noſtra: ita & veraciter dicatur, Sicut & nos dimittimus debi-

toribus, id est sic fiat quod dicitur: quia & ipsa eleemosyna est, veniam petentibus omnino ignoscere. Ex iis iam facile est intelligere, quæ pro venialibus sit exhibenda satisfactio. Sufficit enim dominica oratio cum ieiunio & eleemosyna: sic tamen vt præcedat confessio aliquantula, & addatur confessio, si adsit facultas.

DE CONFESSIONE SACRAMENTALI.

DISTINCT. 17. CAP. Primum.

Peccata remittuntur contrito cum sola confessione & satisfactione sacramentali in voto.

DIcunt quidam sine cõfessione oris & satisfactione operis neminem à peccato mundari, si tempus illa faciendi habuerit. Alij verò dicũt ante oris confessionem & satisfactionem in cordis contritione peccatũ dimitti à Deo: si tamen votum cõfitendi habeat. vnde Proph. Dixi, cõfitebor domino aduersum me iniustitiam meã, &c. Quod exponens Cassiod. ait: Magna Dei pietas, qui ad solã promissionẽ peccatũ dimiserit. votũ enim pro operatione iudicatur. & alibi, Quacunq; hora ingemuerit peccator, vita viuet, &c. Quid ergo super his sentiendum? Sanè dici potest, quòd sine oris confessione, & solutione pœnæ exte-

rioris, peccata delentur per contritionem & humilitatem cordis. Ex quo enim proponit mente compuncta se confessurum, Deus dimittit: quia ibi est cordis confessio, etsi non oris, &c. Illa ergo quæ superiùs dicta sunt de confessione & pœnitentia, vel ad confessionem cordis, vel ad interiorem pœnam referenda sunt.

CAP. *Secundum. Ad salutem necessaria est sacramentalis confessio.*

QVibusdam visum est sufficere, si soli Deo fiat confessio sine iudicio sacerdotali, & confessione Ecclesiæ:
1. quia Dauid dixit, Dixi, confitebor domino, & tu remisisti, &c. non ait sacerdoti, & tamen remissum sibi peccatum dicit. Psſ.31.
2. Item Ambro. Ideo fleuit Petrus, quia culpa obrepsit ei. Non inuenio quid dixerit, inuenio quòd fleuerit. Lachrimas eius lego, satisfactionem non lego. in c.22 Luc.
3. Item Chrysosto. Non tibi dico vt te prodas in publicum, neque apud alios te accuses: sed obedire tevolo Prophetæ dicenti, Reuela Deo vitam tuam. Ante Deum ergo tua confitere peccata: apud verum iudicem cum oratione delicta tua pronuncia, non lingua, sed conscientiæ tuæ memoria, &c. in c.11 ad he. Psſ.36.
4. Idem: Si confunderis alicui dicere peccata tua, dicito ea quotidie hom.2. in psſ. 50.su-

per illud, peccatum meũ cõtra me &c. lib. de ve. & fal. pœ. cap. 10. Lu. 17.

in animo tuo. Non dico vt confitearis ea cõseruo tuo, vt tibi exprobret: dicito Deo, qui curat ea, &c. Sed quòd sacerdotibus confiteri oporteat, non solùm illa authoritate Iacobi, Confitemini alterutrum peccata vestra, &c. sed pluribus aliorum testimoniis comprobatur. Ait enim Augustinus. Quem pœnitet, omnino pœniteat, & dolorem lachrimis ostendat. Repræsentet vitam suam Deo per sacerdotem, præueniat iudicium Dei per cõfessionẽ. Præcepit enim dominus mundandis, vt ostenderent ora sacerdotibus: docens corporali præsentia confitenda peccata, non per scripta manifestanda, &c. Item Leo papa, Sufficit enim confessio, quę primum Deo offertur, & tunc etiam sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium peccator accedit. Tunc enim plures ad pœnitentiam poterunt prouocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis. Ex iis aliisque pluribus indubitanter ostenditur, oportere Deo primùm, deinde sacerdoti confessionẽ facere: nec aliter peruenirì posse ad ingressum paradisi, si adsit facultas.

de pœ. dist. 1 c. quãuis.

CAP. *Tertium. Confessio fieri potest laico.*

SI tamen defuerit sacerdos, proximo vel socio facienda est confessio. Sed curet quisque sacerdotem quærere, qui sciat

ligare & soluere. Talem enim esse oportet, qui aliorum crimina diiudicat. Vnde Aug. Qui vult confiteri peccata vt inueniat gratiam, quærat sacerdotem, qui sciat ligare & soluere, &c. Tanta itaq; vis cõfessionis est, vt si deest sacerdos, confiteatur proximo. Et si ille cui cõfitebitur, potestatem non habeat soluendi, fit tamen dignus venia ex sacerdotis desiderio, qui crimẽ cõfitetur socio. Beda verò inter confessionem mortalium & venialium distinguit super illum locũ, Confitemini alterutrũ peccata vestra. ait enim: Coæqualibus quotidiana & leuia, grauiora verò sacerdoti pandamus, & quãto iusserit tẽpore purgare curemus; quia sine cõfessione emendationis, peccata nequeũt dimitti. Sed & grauiora coæqualibus pandẽda sunt, cùm deest sacerdos, & vrget periculũ. Venialia verò etiam sacerdotũ ablata copia, licet confiteri coæquali, & sufficit (vt quibusdam placet) si tamen ex cõtemptu non prætermittatur sacerdos. Tutius est tamen & perfectius vtriusque generis peccata sacerdotibus pandere, & consilium medicinæ ab eis quærere, quibus cõcessa est potestas ligãdi atque soluẽdi. Quærendus est autem sacerdos sapiẽs & discretus, qui cum potestate simul habeat & iudiciũ. Illud autẽ Chrysost. non ita intelligẽdũ, vt liceat alicui (si tẽpus habeat) sacerdoti non confiteri: sed quia sufficit, vbi

mat. 16

lib. de ve. & fal pœ. cap. 10

de pœ. d. 1. c. quos a. liquãdo ad.

crimẽ occultũ eſt,ſoli Deo per ſacerdotem dicere, & ſemel: nec oportet publicari corã multis quod occultum eſt. quod notauit dicens, Nõ tibi dico vt te prodas in publicum. Sicut enim publica noxa publico eget remedio, ita & occulta, ſecreta confeſsione & occulta ſatisfactione purgatur. Nec neceſſe eſt vt quod ſemel ſacerdoti ſumus confeſsi, iterum cõfiteamur, ſed lingua cordis, non carnis, apud verum iudicem id iugiter confiteri debemus. Quòd verò dicit ſe lachrymas Petri legiſſe, non ſatisfactionem vel confeſsionem, per hoc non excludit illa. Multa enim facta ſunt quæ ſcripta nõ ſunt. & fortè nondum facta erat inſtitutio confeſsionis, quæ modo eſt. Si verò quæritur an confeſsio ſit neceſſaria, quum contritione iam deletum ſit peccatum: Dicimus quia quædam punitio peccati eſt, ſicut ſatisfactio operis. Per confeſsionem etiam intelligit ſacerdos qualiter debeat iudicare de crimine. Per eam quoq; peccator fit humilior & cautior. Eſt enim confeſsio teſtimoniũ conſcientiæ Deũ timẽtis: Qui enim timet Dei iudiciũ, peccatum non erubeſcit cõfiteri. Perfectus timor ſoluit omnem pudorem: confeſsio peccati pudorem habet: & ipſa erubeſcentia eſt gra- *Erubeſcẽ-*
uis pœna. Ideoq; iubemur confiteri pecca- *tia pars ſa-*
ta, vt erubeſcentiam patiamur pro pœna. *tisfactionis.*
Nam hocipſum pars eſt diuini iudicij.

DE CLAVIVM EFFECTV.

DISTINCT. Decimæoctauæ

CAP. Primum.

Quibus dantur claues, ad effectus pares dantur.

251.b. AMbrosius, Dominus par ius soluendi & ligandi esse voluit, qui vtrunque pari conditione permisit. Ergo qui soluendi ius non habet, nec ligandi habet. *de pœ. di. 1. c. verbũ.*

Vsus clauium. Vsus verò harum clauium multiplex est, discernere scil. ligandos & soluendos, ac proinde ligare & soluere. Qui enim (vt ait Grego.) indignos ligat, vel soluit, propria

254.b. 255.a.l.23. 258.a. 261.b. 265.b. potestate se priuat, id est dignum priuatione se facit.

CAP. *Secundum. Deus principaliter tollit reatum culpæ & pœnæ, Sacerdos autem ministerialiter.*

A principio. QVidam arbitrati sunt, quòd peccator dupliciter ligatus teneatur (vt prædictum est) scil. mentis contagione ac cæcitate, & debito futuræ pœnæ. Alterum curari per Deum, alterum absolui per sacerdotem. Patitur enim per peccatum quasdam tenebras interiores & maculas, à quibus nisi liberetur, proiicietur in tenebras exteriores. Cùm autẽ liberatur ab iis, suscitatur à morte peccati. Vnde Apost. Surge qui

254.a. *matth.* 22.

dormis,& illuminabit te Christus. Solus e-
Eph.5 nim Christus (non sacerdos) animã resuscitat: debitum verò æternæ pœnæ soluere concessit sacerdotibus. Quod in resuscitatione
Ioh.11. Lazari signatum asserunt: quem Christus prius per se interius viuificauit, deinde eum ligatum Apostolis soluendum præcepit. Alij verò dicunt solum Deum, non sacerdotem, debitum mortis æternæ dimittere: sicut & animã per se interiùs viuificat, qui per Pro-
Es. 43 phe.ait: Ego solus deleo iniquitates & peccata populi. Nec tamen diffitentur sacerdotibus traditam potestatem peccata dimit
Luc.10 tendi & retimendi, quibus dictũ est, Quorũ remiseritis,&c. Vnde Ambr. Verbum Dei dimittit peccata, sacerdos est iudex. Sacerdos quidem officium suum exhibet, nullius potestatis iura exercet. Idem: Ille solus peccata dimittit, qui solus pro peccatis nostris mortuus est. Nec ideo tamen negamus sacerdotibus concessam potestatem dimittẽdi ac re-
mat.16 tinẽdi peccata, quum hoc Veritas in Euãg.
sup. Lu. apertè doceat. Hic Aug. Sacerdotes possunt
tra.121 confitentibus parcere: quibus enim remit-
lib.de tunt, remitit Deus. Lazarũ enim de monu-
ve.& fal.pœ. mento suscitatũ obtulit discipulis soluendũ: per hoc ostendens potestatem soluendi con-
ca.10. cessam sacerdotibus. Ecce quàm varia à doctoribus traduntur super iis. & hac tanta varietate quid tenendum? Hoc sanè dicere ac

sentire possumus, quòd solus Deus dimittit peccata ac retinet, & tamen Ecclesiæ contulit potestatem ligandi ac soluendi: sed aliter ipse soluit & ligat, aliter Ecclesia. Augu. Sacramentum gratiæ dat Deus etiã per malos: ipsam autẽ grariam non nisi per seipsum vel per sanctos suos operatur. Et ideo remissionem peccatorũ vel per seipsum facit, vel per ipsius columbæ membra, quibus ait, Si dimiseritis, dimittetur. *lib. de bap. paruu. cap. 6.*

CAP. 3. *Multipliciter intelligitur potestas ligandi & soluẽdi tradita sacerdotibus.*

NOn autem sacerdotibus per se peccatũ dimittendi concessit: quibus tamẽ tribuit potestatem soluendi & ligandi, id est ostendendi homines ligatos vel solutos. Vnde dominus leprosum sanitati prius per se restituit, deinde ad sacerdotes misit, quorũ iudicio ostenderetur mundatus. Ligãt quoq; sacerdotes, dum satisfactionẽ pœnitentiæ cõfitentibus imponũt: soluũt cũ de ea aliquid dimittũt: vel per eã purgatos ad sacramẽtorũ cõmunionẽ admittunt. Est autẽ & alius modus ligandi & soluẽdi, qui per excõmunicationẽ geritur, dum aliquis sec. canonicã disci plinã tertiò vocatus ad emendationẽ manifesti delicti, & satisfacere vilipẽdẽs, sentẽtia Ecclesiæ à loco orationis, & sacramentorum cõmunione, & fideliũ cõsortio præscinditur *matt. 8 Luc. 5.* *Excõmunicatio.* *aug. li. de ver. & fal. pœ.*

vt erubescat, & pudore sceleris pœniteat, vt sic spiritus eius saluus fiat, &c. Et secundũ
1.co.5. hos ligandi & soluendi modos intelligendũ est quod dicitur, Quodcũque solueris super
mat.16 terrã, &c. de illis, quorũ merita solui vel ligari postulant. Tunc enim sentẽtia sacerdotis, iudicio Dei & totius cælestis curiæ approbatur & confirmatur, cùm ita ex discretione procedit, vt reorum merita nõ contradicãt. Sic patet, si peccatum omnino dimissum est à deo per cordis cõtritionem, ex quo pœnitens votum habuit confitendi, quòd postea dimittatur ei à sacerdote.

Quæ sint interiores tenebræ & interior macula.

Cùm enim quis mortaliter delinquit, & virtutis gratia priuatur, si qua præcessit, & naturaliũ bonorũ elisionem patitur. Vnde & intellectus obtũditur, & totus homo interior obtenebratur, & ita quasi caligine quadam mens obuoluitur. quæ caligo, peccati pœna est Macula verò interior est, dũ polluta quidem anima est, quousq; pœniteat, sicut erat dũ in ea praua erat voluntas. Sicut enim qui
Leu.11 tangit morticinium, ita pollutus est post con
nu.19. tactum quousque lauetur, sicut fuit dum tangeret: Ita post actum peccati polluta remanet anima sicut in ipso peccati actu: quia ita est longè à deo per dissimilitudinem, &c. Et sic macula non est mala voluntas, nec pœnitendi contemptus.

Interiores tenebræ

Macula animæ.

EPITOME

DE CLAVIVM subiecto.

DISTINCT. decimænonæ

CAP. Primum.

Non omnes sacerdotes habent clauem scientiæ.

NAm plerique ante sacram ordinationem scientiã discernendi habent: plures post consecrationẽ ea carent. quia multi indiscreti, atque scientiæ qua eminere debent, expertes, sacerdotij gradum recipere præsumunt: ideo nec ante sacerdotium, nec post, scientiam habent discernendi qui ligandi sint aut soluendi. Ideoque illam clauẽ in consecratione non recipiunt: quia semper scientia carent. Qui verò ante sacerdotium scientia discernendi prædi ti sunt, licet habeant discretionem, non tamen in eis clauis est, quia non valent ea claudere vel aperire. Ideo qui promouetur in sacerdotem, clauem discretionis rectè dicitur accipere: quia & antè habita discretio augetur, & fit in eo clauis, vt ea iam valeat vti ad claudendum vel aperiendum.

CAP. *Secundum.* Omnes sacerdotes habent clauem iurisdictionis.

QVidam dicunt hanc clauem potestatis illis solis concessam, qui doctri-

nam simul ac vitam Apostolorum seruant.
mat.16 Illas enim claues promisit Dominus Pe-
li.5.cō. tro eiúsque imitatoribus tantùm (vt aiunt)
donat. qui etiã authoritatibus vtuntur in munimen
cap.21 tum suæ opinionis. Hoc enim dicunt Aug.
sensisse, vbi superiùs ait, Remissionem pecca
torum vel per seipsum facit Deus, vel per co
lumbæ membra, &c. Aliis autem videtur
(quod & mihi placere fateor) cunctis sacer-
dotibus hanc clauem dari, scil. ligandi & sol
uendi: sed non eam rectè ac dignè habent,
nisi qui vitam & doctrinam Apostolicam ser
uant. Nec præmissæ authoritates malos sa-
cerdotes hanc potestatem negant habere:
sed illos solos dignè ac rectè hac potestate
vti significant, qui præditi sunt vita & doctri
na apostolica. Quòd verò hanc potestatem
habeant omnes sacerdotes, Hieron. testatur
mat.16 super illum locum Euang. vbi dominus di-
xit Petro, Tibi dabo claues. Habẽt enim, in-
quit, eandem potestatem iudiciariam alij a-
postoli: habet & omnis Ecclesia in episcopis
& presbyteris. Sed ideo Petrus eam specia-
liter accepit, vt omnes intelligant, quòd qui-
cunque ab vnitate fidei, & societate Ecclesiæ
se separauerit, nec à peccatis solui, nec cælũ
potest ingredi. Itẽm quòd sacerdos, etiam si
malus sit, gratiã tamen transfundit pro suæ
dignitatis officio, August. ostendit dicens, di
ctum est à domino in Numeris ad Moysen

& Aaron ſacerdotes: Vos ponite nomẽ meũ ſuper Filios Iſrael: & ego dominus benedicã eos: vt gratiã traditio per myſteriũ ordinati transfundat hominibus, nec voluntas ſacerdotum obeſſe vel prodeſſe poſsit, ſed meritũ benedictionẽ poſcentis. Quanta autẽ ſit dignitas ſacerdotalis officij & ordinis hinc aduertamus: Dictũ eſt de nequiſsimo Caipha inter cætera, Hoc autẽ à ſemetipſo non dixit, ſed cùm eſſet pontifex anni illius, prophetauit. per quod oſtẽditur Spiritũ gratiarum non perſonam ſequi digni vel indigni, ſed ordinẽ traditionis: vt quanuis aliquis boni ſit meriti, non tamẽ poſsit benedicere, niſi fuerit ordinatus, vt officij miniſterium exhibeat. Dei autem eſt affectum tribuere benedictionis. Hinc euidenter oſtenditur ordinem non priuari poteſtate tribuendi gratiã, ob miniſtri indignitatem. Huic tamen Auguſt. ſentẽtiæ obuiare videtur, quod ait Eſechius, Sacerdotes, inquit, non propria virtute benedicunt, ſed quia figuram Chriſti gerunt, & propter eũ qui in ipſis eſt, plenitudinem benedictionis tribuunt. Nec ſolùm is qui ſacerdotium ſortitus eſt, ſed quicunque Chriſtũ in ſeipſo habet, & eius figuram gerit, per conuerſationem bonam ſicut Moſes, idoneus eſt vt benedictionem præſtet. Ecce hic habes quòd non ſolùm ſacerdos, ſed omnis in quo Chriſtus habitat, benedi-

lib. q. vet. te. de illo quod habetur nu. c. 6. q. 11. Ioh. 11.

Obiectio.

ctionem præstat. Sed alia est benedictio, quæ solis sacerdotibus congruit: alia, quæ ab omnibus bonis communiter exhibetur. Denique illi sacerdotes, in quibus Christus habitat, benedictionis plenitudinem tribuere dicūtur: non quia soli illi transfundāt gratiam, sed quia illi soli licitè & dignè id agūt. *Dilutio.*

Præmissæ verò sententiæ, qua dicitur etiam per mali ministerium sacerdotis transfundi gratiam benedictionis, videtur obuiare quod dominus per Malac. proph. malis sacerdotibus comminatur, Maledicam benedictionibus vestris. & alibi, Væ his qui viuificant animas quæ non viuunt, & mortificant animas quæ non moriuntur. Si enim maledicit dominus benedictionibꝰ eorū, & si animæ quas viuificant, non viuunt, quomodo gratia benedictionis transfunditur? Sed illud cap. Maledicam, &c. quidam referunt ad hęreticos, qui ab Ecclesia pręcisi sunt: & ad excommunicatos, quorum benedictiones fiunt maledictiones iis qui eorum sectantur errores. Illud verò alterum, scil. viuificant, &c. de sacerdotibus illis exponunt, qui absque claue scientiæ & forma bonæ vitæ ptęsumunt ligare vel soluere. Sed nullus sacerdotis officio vti debet, nisi immunis sit ab illis quæ in aliis iudicat: alioqui seipsum condemnat. *Aliâ obiectio.* *Dilutio.*

CAP. *Tertium. Oportet iudicem Ecclesiasticum instum esse & discretum.*

QValem autem oporteat esse qui aliorum iudex constituitur. Augustdescribit ita dicens, Sacerdos cui omnis offertur peccator, ante quem statuitur omnis languor, in nullo eorum sit iudicandus, quæ in alio iudicare est promptus. Iudicans enim alium qui est iudicandus, condemnat seipsum. Cognoscat ergo se, & purget in se quod alios videt sibi offerre. caueat vt à se proiecerit quicquid in alio damnosum repe rit, &c. Animaduertat quòd qui sine peccato est, primus in illam lapidem mittat, &c. Ioh.8. Caueat spiritualis iudex sicut non commisit crimen nequitiæ, ita non careat munere scientiæ. Oportet quòd sciat cognoscere quicquid debeat iudicare. Iudiciaria enim potestas hoc postulat, vt quod debet iudicare discernat. Diligens ergo inuestigator sapienter interroget à peccatore, quod forsitan ignorat, vel verecundia velit occultare. Cognito verò crimine, varietates eius non dubitet inuestigare, & locum, & tempus, &c.

DE TEMPORE POEnitentiæ.

DISTINCT. Vigesimæ
CAP. Primum.

Pœnitentiæ tempus vsque ad vltimum vitæ suspirium durat.

LEo papa, Nemo est desperandus, dũ in hoc corpore constitutus est: quia quod diffidentia ætatis differtur, nonnunquam consilio maturiore perficitur. Augustin. de pœ. d. 7. tamen de pœnitentiam differentibus ita scribit, Si quis positus in vltima necessitate, voluerit accipere pœnitentiam, & si accipit, & mox reconciliatur, & hinc vadit: fateor vobis, nõ illi negamus quod petit: sed non præsumimus, quia bene hinc exit, si securus hinc exierit, ego nescio. Pœnitentiam dare possumus, securitatem verò nõ, &c. Sed cur hoc dixit Augustin. quum pœnitentia quæ in fine agitur, in psalmo appelletur sacrificium vespertinum, quod in lege acceptabilius erat: & quum in quacunque die inuocetur Deus, adsit: & quacunq; hora ingemuerit & conuersus fuerit peccator, vita viuet, & non morietur? Sed illa dixit Augustin. propter illos qui pœnitentiam vsque in finem vitæ protrahunt: & tunc non ex Dei amore videntur pœnitere, sed timore mortis, quasi ex necessitate. Si tamen tunc vera habeatur pœnitentia, hominem liberat, & vitam mortuo impetrat. non sic tamen vt nullam sentiat pœnam: nisi fortè tanta sit vehemẽtia gemitus & contritionis, quæ sufficiat ad delicti pu-

nitionem. Licet ergo sit difficile, vt tunc sit vera pœnitentia, quæ tam sera venit, quandó cruciatus membra ligat, & dolor sensum opprimit, vt vix homo aliquid cogitare valeat, melior tamẽ est sera, quàm nulla. Pœnitentia enim etsi in extremo vitæ hiatu aduenit, sanat & liberat. Multum sera fuit latronis pœnitentia: sed non fuit sera indulgentia. Sed licet latro veniã meruisset in fine de omni crimine, non tamen dedit baptisatis peccandi & perseuerandi authoritatem.

CAP. *Secundum. Post mortem quandoque pœna exoluenda in purgatorio supereſt.*

IDem dicendum de his qui hinc transeunt incõpleta pœnitentia, atque de illis qui in extremis pœnitent. Si enim fuerit tanta cordis contritio, & delicti exprobratio, vt sufficiat ad puniendum peccatum, liberi ab iis pœnis transeunt ad vitam, etsi inexpleta fuerit pœnitentia: quia perfectè pœnituerunt, & ingemuerunt corde. Qui verò non adeò conteruntur corde, & pro peccato ingemiscunt, si ante completam pœnitentiam discesserint, ignem purgatorium sentient, & grauiùs punientur, quàm si hic impleſſent pœnitentiam: Horrendum *He.10* est enim incidere in manus Dei viuentis.

Deus enim quum sit misericors & iustus, ex misericordia pœnitenti ignoscit, non reseruans peccatum ad pœnam æternam: ex iustitia verò impunitum non dimittit peccatum. Aut enim punit homo, aut Deus. homo autem punit pœnitendo, Deus autem pœnã exigendo. Et est pœnitentia interior & exterior. Si ergo tanta fuerit pœnitudo, vt sit sufficiens vltio peccati, Deus qui hoc nouit, ab eo qui taliter pœnitet, vlterius pœnam non exigit. Si verò interior pœnitudo non sufficit in vindictam peccati, nec exterior pœnitentia impletur: Deus qui modos & mensuras peccatorum & pœnarum nouit, addit pœnam sufficientem. Studeat ergo quisque sic delicta corrigere, vt post mortem non oporteat pœnam tolerare. Idem dicendum de illo, cui sacerdos indiscretus iniungit paruam pœnitentiam, quod suprà de illo qui pœnitentiam non compleuit. Quòd si tantum est lamentum interioris doloris, vt sufficiat in vindictam peccati: omnino liberatus est. Si verò non sufficit dolor interior simul cum pœna iniũcta, addit Deus pœnam.

CAP. *Tertium. Vehementia contritionis interdum tollit omnem pœnam.*

DE hoc certum habemus documentum in illo latrone, qui sola mentis cõtritione & cõfessione statim vt conuersus fuit, paradisum ingredi meruit. Sed quia dispensatores Ecclesiæ, cõtritionis quãtitatẽ perpendunt, quibus non est datũ intelligere occulta cordiũ: omnibus leges pœnitentiæ cõstituunt, tam magis q̃ minus de peccato dolentibus, quorũ studium ad hoc præcipuè tendere debet, vt cordis dolorẽ (quãtum fas est) cognoscant, & sec. ipsius modum pœnitentiã iniungant. Ideo dicit Aug. Enchi. Rectè constituuntur ab iis qui Ecclesiæ præsunt, tempora pœnitentiæ agendæ, vt ipse satisfaciat etiam Ecclesiæ, in qua peccata ipsa remittuntur. ca. 65.

CAP. 4. *Morientibus non est pœnitentia imponenda, sed innotescendo.*

THeodorus Cantuariẽs. episc. in pœnitẽtiali suo sic ait: Ab infirmis in periculo mortis positis, pura inquirẽda est cõfessio peccatorũ: non tamen illis imponẽda pœnitẽtiæ quantitas, sed innotescenda, & cũ animorũ orationibus, & eleemosynarũ largitionibus, pondus pœnitentiæ subleuandũ, si fortè migrauerint. Si verò conualuerint, pœnitentiæ modũ à sacerdote impositũ diligenter obseruent. Aliis verò pro qualitate peccati pœnitentia decernenda est præsidentium arbitrio. 26.q.7 c.ab infirmis.

CAP. 5. *In necessitatis articulo non est neganda pœnitentia vel reconciliatio.*

LEo papa: His qui tempore necessitatis & periculi vrgentis instantia, præsidiũ pœnitentiæ & mox recõciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda: quia misericordiæ Dei nec mensuras ponere possumus, nec tempora definire. Quòd si ita aliqua ægritudine aggrauati sunt, vt quod paulò antè poscebant, sub præsenti significare nõ valeãt, testimonia eis fidelium circunstantium prodesse debebunt: simulq; pœnitentiæ & recõciliationis cõsequantur beneficium. Idem dicit Iulius papa. Non debet tamen presbyter pœnitentem reconciliare, inconsulto episcopo, nisi vltima cogat necessitas. vt in Conc. Carthagin. statuitur.

ibid. c. si presbyter. 26. q. 6 c. cognouimus.

CAP. 6. *Qui morte præuenitur, Ecclesiæ suffragiis non est priuandus.*

APanense Conc. Si aliquis fuerit mortuus qui non sit confessus, & testimonium habet bonum, & non poterat venire ad sacerdotem, sed præoccupauit eum mors in domo vel in via, faciant pro eo parentes eius oblationem ad altare, & dent redemptionem pro captiuis.

26. q. 6 c. si aliquis.

DE REMISSIONE PECcatorum post mortem.

DISTINCT. Vigesimæprimæ

CAP. Primum.

Post hanc vitam aliqua remittuntur peccata.

ISTud Christus ostendit in Euang. vbi ait, Qui peccauerit in Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro. Ex quo datur intelligi (sicut sancti doctores tradunt) quòd quædam peccata in futuro remittẽtur. Quædam enim culpæ in hoc seculo relaxantur, quædam verò pœnæ etiam in futuro: quæ quidem post mortẽ grauant, sed dimittũtur, si digni sunt, si bonis actibus in hac vita meruerunt vt dimittantur eis. De illis etiam qui ædificant lignum, fœnum, stipulam, dicit August. quòd ignem tribulationis transitoriæ inuenient, cremabilia ædificata, quæ secum portauerunt homines cremantes. Ait enim sic: Post illius sanè corporis mortem, donec de illo purgatorio igne veniatur ad diem damnationis & remunerationis, si hoc temporis interuallo spiritus defunctorum, qui ædificauerunt lignũ, fœnum, stipulam, huiusmodi ignem dicantur perpeti, quem alij non sentiunt, qui huiusmodi ædificia non portauerunt, vt inueniant ignem transitoriæ tribulationis venia-

mat. 12. Gre. 2. dial. c. qualis.

1. cor. 3

li. 12. de ciui. dei ca. 26.

lia concremantem: non redarguo: quia forsitan verum est. Sed quia dicitur, Saluus erit quasi per ignem: contemnitur ille ignis. Grauior tamen erit ignis ille, quàm quicquid homo pati possit in hac vita.

CAP. *Secundum. In purgatorio alij citiùs, alij tardiùs purgantur.*

Enchi. cap. 69 ✳ AVgust. Post hanc vitam incredibile non est nonnullos fideles per ignem quendam purgatorium, ~~quantò magis minúsve bona pereuntia dilexerunt, tantò tardiùs citiúsque~~ saluari. Vnde non frustra illa tria distinxit Apost. lignum, fœnum, stipulam, quæ illi ædificant: qui etsi aliena non rapiant, rebus tamen infirmitati concessis, aliqua dilectione inhærent. Qui secundum suos amandi modos, ~~vel diutiùs, vt lignum:~~ vel minus, vt fœnum: vel minimum, vt stipula, ignem sustinebunt. Qui verò superædificant aurum, argentũ, & lapidem preciosum, de vtroq; igne securi sunt: non solùm de illo æterno, qui cruciaturus est impios in æternum: sed etiam de illo emendatorio, quo purgabuntur quidã saluandi. Quòd si obiicias: Quia cùm nullus adeò perfectus sit qui venialiter non peccet: sequitur q̃ qui ædificant aurum, argentum, lapidem preciosum, ædificant etiam lignum, fœnum, stipulam, *Obiectio.*

ergo per ignem transibũt. quoniam per illa, venialia intelliguntur: per ista aũt, bona opera. Ad quod dicimus, ꝙ non idem homo simul hæc & illa ędificat. Ista enim ædificatio perfectorũ tantùm est, qui non cogitant placere mundo, sed tantũ Deo. Qui etsi venialiter aliquando peccent, feruore charitatis ita in eis absumitur peccatũ, sicut gutta aquæ in camino ignis. Et ideo nunq̃ secũ portant cremabilia. Illa verò ędificatio inferior, minorũ est, qui non tantũ Deo, sed etiã mundo placere cogitant, Deũ tamen præponunt. Si verò mundum præponerent, non superędificarẽt, sed destruerent fundamentum.

Dilutio.

CAP. *Tertium. Non solùm venialia remittuntur in purgatorio, quo ad pœnam, sed quo ad culpam.*

SEd fortè dices illud accipiendum de pœna peccati, nõ de ipso peccato: quia si verè pœnitẽs obiit, verè sine peccato trãsiit. Si autem non verè pœntuit in obitu, maculam portat quæ nunquam delebitur. Qui verò ædificat lignũ, fœnũ, stipulã, verè pœnitet, quia bonus est & charitatem habet, & in charitate de hac vita transit: ergo sine peccato transit, quod tamen non sequitur. Verum quidem est quia bonus est, & charitatẽ habet, & verè pœnitet: & tamen cũ veniali peccato transit, quod non deleuit pœnitẽtia.

* pœnitentia enim nõ delet nisi peccatum illud quod homo deserit. Tale autem peccatum sæpe in hac vita non relinquitur ab homine, & tamen verè pœnitens est, etsi non de omnibus venialibus pœniteat. Potest enim quis de omni mortali & de veniali pœnitere, excepto vno veniali vel pluribus. Sicut habet quis charitatem, & vnum vel plura venialia. quod de criminalibus nullatenus esse potest.

f. 249 a l. 14. 247. b.

CAP. *Quartum. Peccata mortalia sigillatim sunt confitenda, venialia verò generaliter sufficit confiteri.* 246. b.

OMnia criminalia saltem semel in confessione oportet exprimi, nisi aliqua à mente exciderint. Sed quia nemo delicta intelligit omnia, generaliter saltem ea confitere quorum memoriam habes. & sic nihil celasti de sceleribus tuis. Venialia verò (vt ait August.) quia innumerabilia sunt, sufficit generaliter confiteri, nisi aliqua sint frequenter iterata. Perfectius tamen est etiam illa exprimere, si vales. Ideoque quotidie fit in Ecclesia confessio generaliter, pro venialibus scil. peccatis quæ quotidie admittimus, & prõ illis mortiferis quorum memoriam seu noticiam non habemus. Cauendum tamen ne quis sicut per super-

In quĩto respons. cõ. Pelag.

confiteamur tamen venialiter 249. a. b.

bíam celare peccatum quandoque contíngit, humilitatis cauſa ſe reum illius fateatur, quod ſe non commiſiſſe noſcit: quia incauta eſt talis humilitas, & peccatorem conſtituit. vt dicit Aug. de verb. Apoſt. *Serm. 29.*

CAP. *Quintum. Peccata audita ſub ſigillo ſacerdos teneat.*

GRego. Sacerdos ante omnia caueat, ne de iis qui ei confitentur, peccata alicui recitet, non propinquis, non extraneis, nec (quod abſit) pro aliquo ſcandalo. Nam ſi hoc fecerit, deponatur, & omnibus diebus vitæ ſuæ ignominioſus peregrinãdo pergat. *de pœ. d. 6. c. ſacerdos. ſupra di. 19. cap. 3. 16. q. 1. c. ad minus para-graph. ecce in hoc 9. q. 2. per tonſum. mat. 15 ibi. c. compla cuit.*

CAP. *Sextum. Proprio ſacerdoti peccata confitenda ſunt.*

QVod verò dictum eſt, vt pœnitẽs eligat ſacerdotem ſcientem ſoluere & ligare, videtur cõtrarium ei quod in canonibus reperitur, vt. ſ. nemo alterius parochianum iudicare præſumat. Sed aliud eſt fauore vel odio proprium ſacerdotem cõtemnere, quod canones prohibent: aliud, cęcum vitare, quod Vrbanus facere monet, ne ſi cæcus cæcum ducat, ambo in foueam cadant. Ait enim Vrban. 2. Placuit vt nulli ſacerdotum deinceps liceat quemlibet commiſſum alteri ſacerdoti ad pœnitentiã ſuſcipere, ſine eius cõſenſu, cui ſe prius cõmiſit:

nisi pro ignorantia illius cui prius confessus est. Qui verò contra hoc facere tentauerit, gradus sui periculo subiacebit.

DE REMISSIONE PECcatorum ante mortem.

DISTINCT. Vigesimæsecundæ CAP. Primum.

Peccata semel remissa, per sequens peccatum redire, problema est.

HVius quæstionis solutio profectò obscura est & perplexa, aliis asserẽtibus, aliis cõtrà negãtibus peccata semel dimissa, vlteriùs replicari ad pœnã. Qui verò dicũt peccata dimissa redire, subditis se muniunt testimoniis. Ambr. ait: Donate inuicẽ, si alter in alterũ peccat, alioqui Deus repetit dimissa. Rabã. Seruũ nequã tradidit Deꝰ tortoribꝰ, quoadusq; redderet vniuersum debitũ: quia nõ solùm peccata quæ post baptismũ homo egit, reputabũtur ei ad pœnã: sed etiã originalia, quę sunt ei in baptismo dimissa. Idẽ Aug. & Beda affirmant. Quibus opponitur: Si quis pro peccato de quo pœnituit, & indulgẽtiam accepit, iterũ punitur, nõ videtur iustũ. Si punitur, p eo quod peccauit, & nõ emẽdauit, iustitia est aperta. Si verò requiritur quod fuerat condonatũ, vel iustitia non est, vel iustitia occulta. Videtur etiam

mat. 18 de pœ. dist. 4. aug. in quadã ho. lu. 6 Bed. sup. lu. lib. 4. c. 47.

Deus bis in ipsum iudicare, & duplex tribulatio consurgere. quod scriptura negat. Sed ad hoc potest dici, quòd neque duplex tribulatio cõsurgit, neque iudicat Deus bis in ipsum. Hoc enim fieret, si post condignam satisfactionem & sufficientem pœnam iterum puniret: sed non satisfecit dignè & sufficiẽter, qui non perseuerauit. Debuit enim iugem peccati habere memoriam, non ad faciendum, sed cauendum. Debuit non obliuisci omnes retributiones Dei, quæ tot sunt quot peccatorum remissiones. Tot ergo debuit dona Dei cogitare, quot mala sunt, ac pro illis vsque in finem gratias agere. Sed quia ingratus ad vomitum, vt canis, rediit, antè acta bona mortificauit, & peccatum dimissum euocauit: vt cui humiliato antè Deus peccatum dimiserat, eidem postea elato & ingrato imputet. Sed quia absurdum videtur, vt peccata dimissa, iterum imputentur, placet quibusdam neminem pro peccatis semel dimissis, iterum à Deo puniri. Vtrique parti quæstionis probati fauent doctores. Ideoque alicui parti non præiudicans, studioso lectori iudicium relinquo.

CAP. *Secundum. Exterior pœnitentia & interior sunt sacramentum, & res sacramenti.*

QVidam dicunt in pœnitentiæ actione id esse sacramentum quod exteriùs tantùm geritur, scil. exterior pœnitentia, quæ est signum interioris pœnitentiæ, scil. contritionis cordis & humilitatis. Quod si ita est, non omne sacramentum Euangelicum id efficit quod figurat: quia exterior pœnitentia non efficit interiorem, sed potiùs econtrario. Sed ad hoc inquiunt illi, hoc esse intelligendum de illis sacramentis, quæ ante tempus gratiæ non fuerunt instituta: vt sunt Baptismus, Confirmatio, Eucharistia. Secus de coniugio & pœnitentia, quæ à primordio generis humani fuerunt instituta. Quidam autem dicunt exteriorem pœnitentiam & interiorem esse sacramentum: nec duo sacramenta, sed vnum: vt species panis & vini in Eucharistia. Et sicut in sacramento corporis, ita etiam in hoc dicunt aliud esse tantùm sacramentum, scil. exteriorem pœnitentiam: aliud sacramentum & rem, scil. interiorem pœnitentiam, aliud rem & non sacramen. scil. remissionem peccatorum. Interior enim pœnitentia & res est sacramenti, id est exterioris pœnitentiæ, & sacramentum remissionis peccati, quam signat & facit. Exterior quoque pœnitentia & interioris signum est, & remissionis peccatorum.

EPITOME

DE SACRAMENTO EXtremæ Vnctionis.

DISTINCT. Vigesimætertiæ

CAP. Primum.

Triplex est Vnctio.

PRæter præmissa est etiã aliud sacramẽtum. s. Vnctio infirmorũ, quæ fit in extremis, in oleo per episcopum cõsecrato. Et sunt tria genera vnctionis. Est enim vnctio quæ fit chrismate, quæ dicitur principalis vnctio: quia in ea principaliter paracletus datur. Vnde & propter abundantiam gratiæ duos liquores mistos habet, oleum scil. & balsamũ. Chrisma verò græcè, vnctio Latinè dicitur. Nec tamen omne oleum ad vnctionem sanctificatum, chrisma vocatur: sed illud solum quod miscetur cum balsamo, quo regum & pontificum capita inunguntur, quo etiam baptizatos sacerdos vngit in vertice, & pontifex per impositionem manus cõfirmandos vngit in fronte. Est & alia vnctio, qua cathecumeni & neophyti vnguntur in pectore & inter scapulas in perceptione baptismi. Tertia verò vnctio est, quæ dicitur oleum infirmorum. de qua nunc agitur.

Materia sacram. extremæ Vnctionis.

CAP. *Secundum. Sacramentum Vnctionis ab Apostolis institutum est.*

Iac.vl. AIt enim Iacobus: Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine domini, & alleuiabit eum dominus: & si in peccatis fuerit, dimittentur ei. In quo ostenditur duplici ex causa sacramẽtum hoc esse institutum, scil. ad peccatorum remissionem, & ad corporalis infirmitatis alleuiationem, si tamen expedit vt in vtroque alleuietur, si expediat. Sacramentum est ipsa vnctio exterior: Rẽs sacramenti, vnctio interior, quæ peccatorum remissione & virtutum ampliatione perficitur. Et si ex contemptu vel negligentia sacramentum hoc prætermittitur, periculosum est & dãnabile.

Duplex effectus huius sacramenti.

CAP. 3. *Hoc sacramen. est iterabile.*

TAmetsi sacramentum baptismi, confirmationis, & ordinis, nullatenus sint repetenda: hoc tamen sacrãmẽtum, vt sacram. corporis, pœnitentiæ, & cõiugij, iteratur. ~~Si enim morbꝰ nõ potest cohiberi, quare medicina debet prohiberi~~? Sicut oratio iterari potest, ita & vnctionẽ iterari posse videtur. vtraque enim illic commemorat Iacobus, & vtrũque alteri cooperatur ad conferendam ~~alleuiationẽ corporis~~ & animę, ~~&c.~~

DE SACRAMENTO Ordinis.

DISTINCT. 24. CAP. Primum.

Hactenꝰ de sacramẽtis quæ ordinãtur ad remediũ vniꝰ ꝑsonæ, nunc determinãdum de sacramẽtis ordinatis ad remediũ totius Ecclesiæ, & primò de sacramen. ordinis, quod ordinatur ad multiplicationẽ ꝑritualem. Cur septem sunt sacri ordines.

Septem sunt ꝑritualium officiorum gradus siue ordines Christi exemplo demonstrati & instituti.

NVnc ad considerationem sacræ ordinationis accedamus. Septem sunt ꝑritualium officiorum gradus siue ordines: sicut ex sanctorum patrum dictis aperté traditur, & capitis nostri Iesu Christi exemplo demonstratur, qui omnium officia in seipso exhibuit, & cõrpori suo quod est Ecclesia, eosdem ordines obseruandos reliquit. Septem autem sunt, propter septiformem gratiam Spiritussancti, cuius qui non sunt participes, ad gradus ecclesiasticos indignè accedunt. Illi verò, in quorum mentibus est septiformis gratia Spiritussancti, cùm ad ecclesiasticos ordines accedunt, in ipsa ꝑritualis gradus promotione ampliorem gratiam percipere creduntur. Et hi ordines sacramenta dicuntur: quia in eorum perceptione res sacra, id est gratia, confertur, quam figurant ea quæ ibi geruntur. In sacramẽto ergo septiformis ꝑritus, septem sunt gradus Ecclesiastici. s. Ostiarij, Lectores, Exorcistæ, Acolyti, Diaconi, Subdiaconi, Sacerdotes. Tales enim decet ministros Christi esse, qui septiformi gratia Spiritus sancti sint decori, &c. Ostiarij, iidem & la-

hug. li. 2. par. 3. c. 4.

1. para. 26.

Primus ordo.

nitores sunt, qui in veteri testamento electi sunt ad custodiam templi, vt non ingrederetur in illud immundus. Dicti autem Ostiarij, quòd præsint ostiis templi. Ipsi enim tenentes clauem, omnia intus & extrà custodiunt, & iudicium habentes, bonos recipiũt, indignos autem respuunt. Vnde & eis cùm ordinantur, dantur claues ab episcopo, & dicitur eis: Sic agite, tãquam rationem Deo reddituri pro rebus quæ clauibus istis recluduntur. Hoc officium Dominus in sua persona suscepit, quando flagello de funiculis facto, vendentes & ementes deiecit de templo. Ipse enim se ostiarium significans, dicit: Ergo sum ostiũ: p me si quis introierit, saluabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet. Secundus est gradus Lectorum. Lectores à legendo, sicut Psalmistæ à psalmis canendis, vocati sunt. Illi enim prædicant populis quid sequantur: isti cantant quo ad compunctionem animos moueant. Ad Lectorem autem pertinet lectiones pronũciare, & ea quæ Prophetæ vaticinati sunt, populis prædicare: vt iam ex officio in Ecclesia legat prophetas & lectiones. Vnde & ei, vidente populo, traditur ab episcopo codex diuinarũ lectionum, & dicitur: Accipe, & esto verbi Dei zelator, habiturus (si fideliter expleueris officiũ) partem cum iis qui verbum Dei ministrauerunt. Qui ad hunc

de cõs. d.23.c. ostiarij

Ioh.10

Isido. 21.d. c.cleros

d.23.c. Lector hug.li. 11.par. 3.ca.6.

Ostiarij actus.

Figura.

Modus ordinandi.

Institutio ordinis.

Secundus ordo.

gradum prouehitur, litterarum sciẽtia debet esse instructus, vt sensum verborum intelligat, vim accentuum sciat, distinctè legat, ne confusione prolationis intellectum auditoribus auferat, &c. Hoc officiũ Christus impleuit, cùm in medio seniorum librum Esaię aperiens, distinctè ad intelligendum legit, Spiritus domini super me, &c. Hic ordo formam & initium à Prophetis accepisse videtur, quibus dicitur, Clama ne cesses, quasi tuba exalta vocẽ tuã. Tertius est ordo Exorcistarũ, qui Latinè adiurantes vel increpãtes vocãtur. Inuocãt enim super cathecumenos & super eos qui habẽt spiritum immundum, nomen domini, adiurantes per eum vt egrediatur ab eis. Ad exorcistam pertinet exorcismos memoriter retinere, manũsque super energumenos & cathecumenos in exorcisando imponere. Debet autem habere spiritum mundum, qui spiritibus immundis imperat, & malignum expellere de corde suo, quẽ expellit de corpore alieno: ne medicina quam alij facit, sibi non prosit, & dicatur ei, Medice cura teipsum. Hi cùm ordinantur, accipiunt de manu episcopi librum exorcismorum, & dicitur eis, Accipite & habetote potestatem imponendi manus super energumenos vel cathecumenos. Hoc officio vsus est Dominus, quando saliua sua tetigit aures & linguam surdi & muti, di-

Institutio.

Figura.

Tertius ordo.

Actus.

Modus ordinandi.

esa. 58.
Isid. d. 21. c. cleros.
de cõse. d. 25. c. plectus
luc. 4.
d. 13. c. exorcista.
mar. 7

cens : Effeta, quod est adaperire. per hoc docẽs nos spiritualiter debere aperire aures prẹcordiorum hominum ad intelligendum, & ora ad confitendum : vt pulso dæmone, Spiritussanctus vas suũ recipiat. Hõc etiam officio Christus vsus est, cùm dæmoniacos multos sanauit. Hic ordo videtur à Salomone descendisse, qui quendam modum exorcisandi inuenit, quo dæmones adiurati ex obsessis corporibus pellebantur. Huic officio mancipati, Exorcistæ vocati sunt. de quibus Christus in Euang. Si ego in Beelzebub eiicio dæmonia, filij vestri, scil. exorcistæ, in quo eiiciunt ? Quarto loco succedunt Acolyti. Acolyti verò Græcè, Latinè Ceroferarij dicuntur, à deportandis cereis quando legendum est Euangelium, vel sacrificium offerendum, ad signum lętitię demonstrandum : vt sub typo luminis corporalis illa lux ostendatur, de qua legitur Ioh. 1. Erat lux vera quæ, &c. Ad Acolytum pertinet præparatio luminarium in sacrario. Ipse cereum portat : ipse vrceolum cum vino, & aqua suggesta, pro Eucharistia subdiaconis præparat. Hi cùm ordinantur, ab Archidiacono accipiunt candelabrum cum cereo, & vrceolum vacuum. Hoc officium se habere testatur Dominus, dicens : Ego sum lux mundi. qui sequitur me, &c. Huius officij formam illi gerebant

mat.8. luc.8. *d.21.c. deros.* *luc.11.* *Isid. ibid.* *d.21.c. deri.* *Ioh.1. d.25.c. plectis* *Ioh.8. exo.27 leuit.6*

Institutio. *Figura.* *Quartus ordo.* *Institutio.*

in vet.teſtam.qui lucernas candelabri componebant, & accendebant igne cæleſti, ad illuminandas tenebras aquilonares.

Quintus ordo. Quintus eſt ordo Subdiaconorum: græcè Hypodiacones vocantur, quos nos Subdiacones dicimus. Qui ideo ſic appellantur, quia ſubiacent præcept s & officiis Leuitarum. Oblationes enim in templo à fidelibus ſuſcipiunt, & leuitis ſuperponendas altaribus deferunt. Hi apud Hebræos Nathinæi vocabantur, id eſt in humilitate ſeruientes. Ad ſubdiaconum pertinet calicem & patenam ad altare Chriſti deferre, aquam epiſcopo, presbyteris, & leuitis, lauandis manibus præbere. His lex continentiæ imponitur: quia vaſa corporis & ſanguinis Domini portant, &c. Hi cùm ordinantur, accipiunt de manu epiſcopi patenam & calicem vacuum, ab archidiacono verò vrceolum cum aqua manili, & manutergium. Hoc officio vſus eſt dominus, quando linteo ſe præcinxit, & mittens aquam in peſuim, diſcipulorum pedes lauit, & linteo terſit. Diaconorum ordo ſextum tenet locum, propter ſenarij perfectionem. Hic ordo in vet. teſta. à tribu Leui nomen accepit. Dicuntur enim & Leuitæ. Quam tribum Deus ordinari voluit per Moſen, & conſecrari ad diuini cultus myſteria. A 25. annis & ſupra iuſſi ſunt ſeruire in tabernaculo: quam re-

Figura.

Inſtitutio.

Sext⁹ ordo.

d.21.c. cleros.

hug li. 2.par. 3.c.16. Nu.3. d.21.c. leuit

gulam ſancti patres in nouo teſtam. conſtituerunt, quia hæc ætas ad ferenda onera eſt robuſta. Hi græcè Diacones, Latinè miniſtri dicuntur: quia ſicut in ſacerdote conſecratio, ita & in diacono myſterij diſpenſatio habetur. ideo ad diaconum pertinet aſſiſtere ſacerdotibus, & miniſtrare in omnibus quæ aguntur in ſacramentis Chriſti, ſcil. in baptiſmo, chriſmate, ī patena, calice, oblationes quoque inferre & diſponere in altari, componere etiam menſam Domini, & veſtire, crucem ferre, & prædicare Euangelium & epiſtolam ad populum, &c. Hic ordo ab Apoſtolis celebratis eſt, quando ſeptem viros Spiritu ſan. ad hoc officium elegerunt. Hi cùm ordinantur, ſolus epiſcopus eis manum imponit, quia ad miniſterium applicantur: ponit eis orarium, id eſt ſtolam, ſuper læuum humerum, vt per hoc intelligant ſe accepiſſe iugum Domini ſuaue, quo ad ſiniſtram pertinentia diuino timori ſubiiciant. Accipiunt & textum Euangelij, vt intelligant ſe eſſe præcones Euangelij Chriſti. Hi autem antequàm ordinentur, probentur, vt docet Apoſt. & ſic miniſtrent, nullum crimen habentes. Hoc officio vſus eſt Chriſtus, quando poſt cœnam ſacramentum carnis & ſanguinis diſpenſauit diſcipulis, & quando Apoſtolos dormientes ad orationem excitauit, dicens: Vigilate

act. 6. de cõſe. d. 1. c. epiſcopus.

1. tim. 3 d. 23. c. diaconus.

mat. 11 matth. 26.

& orate, vt non intretis in tentationem. luc.22.

Septimus ordo. Septimus est ordo presbyterorum. Presbyter grecè, senior interpretatur latinè, non ætate, sed honore & dignitate. Ad presbyterum autem pertinet sacramentum corporis & sanguinis domini in altari conficere, orationes dicere, dona Dei benedicere. Qui cùm ordinantur, iunguntur eis manus, vt intelligant se accepisse gratiam consecrandi, & charitatis opera debere extendere ad omnes. Accipiunt & stolam, quę vtrũque tenet latus, quia debent esse muniti armis iustitiæ contra aduersa & prospera. Accipiunt etiam calicem cum vino, & patenam cum hostiis, vt per hoc sciant se accepisse potestatem placabiles deo hostias offe

Figura. rendi. Hic ordo à filiis Aaron sumpsit initium. Summos enim pontifices & minores sacerdotes instituit Deus per Mosen, qui pręcepto Dei Aaron summũ põt. filios verò exo.29
eius vnxit in minores sacerdotes: Christus quoq; 12. elegit discipulos, quos & Apostolos vocauit, quorũ vicem gerunt in ecclesia maiores pontifices. Deinde alios septuaginta duos discipulos designauit, quorum vicem in Ecclesia tenent presbyteri. vnus autem inter apostolos extitit princeps, Petrus, cuius vicarius & successor est pontifex summus. Qualis autem eligi debeat presbyter, Apostolus Timotheo ostendit. vbi nomine

episcopi presbyterum significat. Hoc autem *Institutio.*
Heb.9. officio vsus est Christus, cùm seipsum in ara crucis obtulit, idem sacerdos & hostia: & quando post cœnã panem & vinum in corpus suum & sanguinem commutauit. Ecce de septem gradibus Ecclesiæ breuiter eloquuti, quid ad quenquam pertineat insinuauimus. Cumq; enim spirituales sint & sacri, excellenter tamen canones duos tantùm sacros appellari censent, Diaconatus scil. & presbyteratus: quia hos solos primitiua Ecclesia legitur habuisse. & de eis solis præceptum Apostoli habemus. Apostoli enim in singulis ciuitatibus episcopos & presbyteros ordinauerũt. Leuitas etiam ab Apostolis ordinatos legimus, quorũ maximus fuit B. Stephanus. Subdiaconos verò & Acolytos procedente tempore Ecclesia sibi cõstituit.

CAP. 2. *Clericalis tonsura debet ad hos ordines præmitti.*

hug.li. 2.par. 3.c.1. OMnes enim iis ordinib⁹ insigniti, Clerici vocãtur .i. sortiti. Corona enĩ signaculũ est quo signãtur in partẽ sortis ministerij domini. Corona regale decus significat: quia seruire Deo regnare est. Vnde ministri Ecclesię Reges esse dicũtur, vt se & alios regant: quibus Petrus ait: Vos estis genus electũ, regale sacerdotiũ, &c. Tõsurę autẽ ecclesiasticæ vsus à Nazareis exortus videtur, qui *Vsus.* prius crine seruato, deinde ob vitæ cõtinen-

tiam caput radebant, & capillos in igne sacrificij ponebant. Hinc vsus inoleuit, vt qui diuinis cultibus mancipantur, quasi Nazarei, id est sancti crine posito inueniantur. sicut ad Ezech. dicitur: Fili hominis sume gladium acutum, & duc super caput tuum & barbam. In Act. etiam Apostolor. Priscillam & Aquillam feciſſe legimus. Paulus quoque & alij quidam discipuli hoc fecerunt. *nu.6. hug. ſu pra c.2 ezech.5 act.18. 1.co.11.*

CAP. *Tertium. Sunt & alia quædam, non ordinum, sed dignitatum & officiorum nomina.*

Quid ordo

ORdo quid sit: sanè dici potest signaculum esse, id est sacrum quoddā, in quo spiritualis potestas traditur, ordinatio, & officium. Character ergo spiritualis vbi fit promotio potestatis, ordo vel gradus vocatur. Sunt autem & alia quædam, nō ordinum, sed dignitatū vel officiorū nomina. Dignitatis simul & officij nomen est Episcopus. Ordo autem episcoporū quadripartitus est, scilicet in Patriarchis, qui summi patres interpretantur: quia primum, id est apostolicum, tenent locum: vt Romanus, Antiochenus, Alexandrinus. Sed omnium 2 summus est Romanus pontifex: Archiepiscopis, qui Latinè episcoporum principes dicūtur: Metropolitanis, qui principiis & ciuitatibus præeminēt, quorū authoritati & do- 3 *d.25.c. cleros.*

ctrinæ cæteri sacerdotes subiecti sunt. Cantor verò vocatur, qui vocem modulatur in cantu. Huius duo sunt genera, Præcentor & Succentor. Missa autem dicitur vel quia missa est hostia, vel quia missus cælestis venit ad consecrandum dominicum corpus, per quem ad altare cæleste defertur hostia. vnde & dicitur, Missa est.

DE CONFERENTIBVS sacramentum Ordinis.

DISTINCT. Vigesimæquintæ
CAP. Primum.

Ab hæreticis ordinati, non sunt reordinati.

SOlet etiam quæri: Si hæretici ab Ecclesia prœcisi & damnati, possint tradere sacros ordines: & si ab eis ordinati, redeũtes ad Ecclesiæ vnitatem, debeant reordinari. Hanc quæstionem perplexã ac pene insolubilem faciunt doctorum verba, qui plu-
1.q.1. arrianos. rimum dissentire videntur. Videntur enim quidã tradere, hæreticos ordines sacros dare non posse: nec illos qui ab eis ordinati videntur, gratiam recipere. Dicit enim Innocent. eos non posse dare Spiritum sanctum, quẽ amiserunt: & ordinatos ab hæreticis, caput habere vulneratum. & Greg. dicit sacri-
lib. 3. dial. c. legam esse Arrianorum cõsecrationem, cùm

ex eorũ manu cõmunio percipitur. Cypria- *Super-*
nus etiam dicit, Omnia quæcunque faciunt *uenien*
hæretici, sacrilega esse. Hiero. quoque asse- *tes. in*
rit omnia quæ offeruntur ab hæreticis, con- *epi. cõt.*
taminata esse in conspectu domini, &c. Con- *hær. et*
trà alij sentire videntur, quòd ab hæreticis *ponitur*
etiam præcisis sacri ordines tradi valeant: *1. q. 1.*
nec ab hæreticis redeuntes, qui illic ordina- *c. siquis*
ti sunt & baptisati, iterum ordinandi sint, si- *inquit.*
cut nec baptisandi. Vnde Aug. De hæreticis *Hiero.*
etiam damnatis quod quidam dicunt, baptis- *in c. 2.*
ma quod accepit, amittit, qui recedit ab Ec- *aggæi.*
clesia, ius dandi quod accepit amittit, multis *1. q. 1.*
modis apparet inaniter dici. Primò quia *si popu*
nulla ostenditur causa cur ille qui baptisma *lus. li.*
illud amittere non potest, ius dandi possit *cõt. epi.*
amittere. Vtrunque enim sacramentum est, *Parme*
& quadam consecratione vtrunque homini *ni. c. 13*
datur, illud cùm baptisatur, & istud cùm or-
dinatur. ideo non licet vtrunque in Ecclesia
iterari, &c. Sicut autem in baptismo est ius
quod per eos dari possit: sic in ordinatione
ius dandi est. vtrunque quidem ad perni-
ciem suam. Sed aliud est non habere, a-
liud pernicioſè habere, aliud salubriter ha-
bere. Hæc autem quidam ita determi-
nant: dicunt enim hæreticos accepta sacer-
dotali vel episcopali vnctione, ab Ecclesia
recedentes, baptismi quidem ius retinere,
sed non habere facultatem tribuendi sa-

Prima opinio & falsa.

cros ordines, vel consecrandi corpus dominicum, postquàm præcisi sunt ab Ecclesia. Sicut degradatus episcopus non habet potestatem largiendi sacros ordines, facultem tamen baptisandi non amisit. Quod verò Augustinus ait, intelligunt dictum de hæreticis, qui nondum iudicio Ecclesiæ præcisi sunt, & damnati. Alij verò dicunt sacramenta ab hæreticis & præcisis secundum formam Ecclesiæ celebrata, vera esse & rata: quia recedentes ab Ecclesia, ius dandi & consecrandi non perdiderunt. Quæ verò ab hæreticis aliter quàm in Ecclesia fiunt, falsa sunt, & inania: & qui à talibus ordinari videntur, ~~non munus, sed vulnus accipiunt~~. Et secundum hanc differentiam variè de iis loquuntur doctores. Quidam verò dicunt eadem sacramenta ab hæreticis præcisis posse celebrari quæ à catholicis, si ab illis Ecclesiæ forma seruetur: & ab eis celebrata, vera esse & rata, quantum ad se: quantum verò ad effectum, falsa esse & inania, & in iis qui malè tractant, & in iis qui malè suscipiunt. & ideo irrita & falsa: quia quod promittunt & conferre creduntur, non tribuunt. Nonnulli verò tradunt illos hæreticos qui in Ecclesia ordinati sunt, ius ordinandi & consecrandi etiam cùm separati fuerint habere.

Secũda opinio probabilis.

Tertia opinio.

quarta opinio falsa.

Qui verò in schismate vel hæresi positi, ab eis ordinati & inuncti fuerint, illo iure carent. Ideoque cùm ordinare volunt, vulnus potius infligunt, quàm gratiam conferant.

CAP. *Secundum. Qui ordinantur à Simoniacis, ordinum exequutione priuantur.*

SImoniaci licet propriè dicantur qui instar Simonis Magi impreciabilem gratiam precio conducere volunt, & qui pro ministerio sacro precium recipiunt in modum Giezi, Giezitæ vocandi sunt. Omnes tamen, & dantes & accipiētes, Simoniaci dicuntur, & vtrique eadem sententia percelluntur. Differt tamen inter eos qui ordinantur à Simoniacis scienter, & eos qui ignoranter. Qui enim scienter à Simoniacis se permiserint consecrari, imò execrari (nisi violenter attracti fuerint) eorum consecratio omnino irrita est. Qui verò ordinantur à Simoniacis, quos cùm ordinantur nesciūt esse Simoniacos, qui & tunc pro catholicis habentur: eorum ordinatio misericorditer sustinetur. Si verò aliqui obiecerint, se non consecrationes emere, sed res ipsas quæ ex consecratione proueniunt: penitus desipere probantur. Nam quisquis horum alterū vendit, sine quo alterum non habetur, neutrum vendere derelinquit.

act. 8.

4. re.5

Vrba. 1. q. 1. et ibid. c. simoniacos, & c. cō stat.

CAP. *Tertium. Definita ætas in ordinandis est requirenda.*

d. 77. & 78 quasi per totum. SAcri (inquit Nicolaus papa) canones sanxerunt, vt subdiaconus nō ordinetur ante 14. annos, nec diaconus ante 25. nec presbyter ante 30. Deinde si dignus fuerit, ad episcopatum eligi potest: quod nos etiam pari modo seruari iubemus. Item Fabianus: Si quis 30. ætatis nō impleuerit annos, nullo modo presbyter ordinetur, etsi val de sit dignus: quia & ipse dominus 30. annorum baptizatus est, & sic cœpit docere.

DE SACRAMENTO CONIUGIJ, quantum ad institutionem.

DISTINCT. Vigesimæsextæ
CAP. Primum.

Coniugij sacramentum ante peccatum in officium fuit institutum: post peccatum verò in remedium.

Nūc de altero sacra. quod ordinatur ad multiplicationē carnalē fidelium. s. de matrimonio. & primò de eo sec. cause, forma lem.

2 80. b REfert enim scriptura Gen. in Adā misso sopore, atq; vna de costis eius sumpta, & exinde muliere formata, virum in Spiritu intelligentem, ad quem vsum mulier facta esset, post ~~extasin propheticè dixit~~ Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. Propter hoc relinquet homo

patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna. Coniugij autem inſtitutio duplex eſt: Vna ante peccatũ, ad officium facta in paradiſo, vbi eſſet thorus immaculatus, & nuptiæ honorabiles: ex quibus ſine ardore conciperent, ſine dolore parerent. Altera verò poſt peccatũ ad remedium facta extra paradiſum, propter illicitũ motum deuitandum. Prima vt natura multiplicaretur, ſecunda vt natura exciperetur, & vitium cohiberetur. Nam ante peccatum dixit Deus, Creſcite & multiplicamini. & poſt peccatum, omnibus pene hoĩbus per diluuiũ conſumptis. Iſta Aug. teſtatur dicens. Quod ſanis eſt ad officium, ægrotis eſt ad remedium. Infirmitas enim incontinentiæ, quę eſt in carne per peccatum mortua, ne cadat in ruinam flagitiorum, excipitur honeſtate nuptiarum. Si verò non peccaſſent primi homines, ſine carnis incentiuo ac feruore libidinis ipſi ac ſucceſſores eorum cõuenirent. Et ſicut remunerabile eſt aliquod bonum opus, ſic coitus eorum bonus eſſet, & remunerabilis. Quia verò propter peccatum letalis eon cupiſcentiæ lex membris noſtris inhæſit, ſine qua carnalis non fit commixtio, reprehẽſibilis eſt & malus coitus, niſi excuſetur per bona coniugij. Prima autem inſtitutio habuit præceptum, ſecunda indulgentiã. Didicimus enim ab Apo. humano generi propter

Cõiugij inſtitutio duplex. 1. *Heb. 13.* 2. *Moyſes illicitus.* *gen. 1.* *infra d. 31. ca. 3.* *1. cor. 7* *Prima inſtitutio matrimonij.*

vitandam fornicationem indultum esse con iugium: quum tamen etiam post peccatum tenerentur. quia præceptum fuit filiis Noe, Crescite & multiplicamini: multiplicato verò homine, sec. indulgentiam contractū est, non sec. imperium. Indulgentia autem diuersis modis accipitur, scil. pro concessione, pro remissione, pro permissione. Et est permissio in nouo testamēto de minoribus bonis, & de minoribus malis. De minoribus bonis est coniugium, quod non meretur palmā, sed est in remedium. De minoribus malis, id est de venialibus, est coitus, qui fit causa incontinentiæ. Illud, scil. coniugium, indulgetur, id est conceditur: istud verò, id est coitus talis permittitur, id est toleratur, ita q̄ non prohibetur.

habuit præceptum.

Indulgētia dicitur multipliciter.

infra d. 31. ca. 3.

CAP. *Sēcundum. Coniugium pium est & sanctum.*

QVòd autem Coniugium res bona sit (quod tamen negant Tatiani hæretici nuptias detestantes) non modo ex eo probatur quòd dominus legitur coniugium instituisse inter primos parentes: sed etiam quòd in Chana Galilææ nuptiis interfuit Christus, easque miraculo commendauit, aqua in vinum conuersa. qui etiam postea virum dimittere vxorem prohibuit, nisi causa fornicationis. Apostolus etiam ait,

1. 2. 3. 4

Virgo non peccat, si nubat. Cõstat ergo rem bonam esse matrimonium: alioqui non esset sacramentum. Sacramentum enim sacrum signum est.

CAP. *Tertium. Coniugium sacramentum est.*

ESt enim Cõiugium sacrum signum, & sacræ rei. i. cõiũctionis Christi & Ecclesiæ. sicut Apost. ait: Scriptum est, inquit, Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna, Sacramentum hoc magnũ dico in Christo & in Ecclesia. Vt enim inter coniuges cõiunctio est secũdũ consensum animorum & sec. pmixtionẽ corporum: sic Ecclesia Christo copulatur voluntate & natũra, qua idem vult cum eo, & ipse formam sumpsit de natura hominis. Commixtio verò sexuum illam significat, quæ fit per naturæ conformitatẽ.

CAP. *Quartum. Coniugium sine carnali copula verum est.*

INde est quòd quidam doctorum dixerũt illam mulierem non pertinere ad matrimoniũ, quæ non experitur carnalem copulam. ait enim Aug. Non est perfectum coniugium sine cõmixtione sexuũ. Quòd si quis piam verba sec. superficiem accipiat, inducitur in errorem tantum, vt dicat sine carnali *loquio.* 27. q. 2 c. nõ est in soli.

copula non posse contrahi matrimonium: & inter Mariam & Ioseph non fuisse coniugium, vel nō fuisse perfectum. quod nefas est sentire. Tantò enim sanctius fuit atque perfectius, quantò à carnali opere immunius. Sed superiùs August. dictum ea ratione intelligendum est, non esse perfectum coniugiū, quantum ad expressam & plenam figurā cōiunctionis Christi & Ecclesię, quæ est in charitate: sed non illam, quæ est in naturæ conformitate, qua per susceptionem carnis capiti membra vniuntur. Nec ideo tamen minus sanctum est cōiugium: quia (vt ait August.) In nuptiis plus valet sanctitas sacramenti, quàm fœcunditas ventris. Est etiam coniugium signum spiritualis coniunctionis & dilectionis animorum, qua inter se coniuges vniri debent.

lib. de bo. cōiug. ca. 18.

DE SACRAMENTO MATRIMONIJ, quantum ad eius essentiam.

De matrimonio per cōparationē ad causam efficiētem.

DISTINCT. Vigesimæseptimæ

CAP. Primum.

Solus consensus efficit matrimonium.

NVptiæ vel matrimonium est viri mulierisque coniunctio maritalis, inter legitimas personas indiuiduam vitę cōsuetudinem retinens. Hac autem descriptio-

27. q. 9 in prin cap.

ne legitimorum & tantũ fidelium matrimonium includitur. Efficiẽs autem causa matrimonij est consensus, hõ quilibet, sed per verba expressus: nec de futuro, sed de præsenti. Si autem verbis explicant, quod tamen corde nolunt, si non sit ibi coactio vel dolus, obligatio illa verborum quibus consentiunt dicentes, Accipio te in virũ, & ego te in vxorem, matrimonium facit. Quòd autem solus cõsensus matrimonium faciat, subditis probatur testimoniis. Ait enim Nicolaus papa, Sufficiat solus secundum leges eorum consensus, de quorum communicationibus agitur: qui solus si fortè in nuptiis defuerit, cætera etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur. Item Ioh. Chrysost. Matrimonium quidem non facit coitus, sed voluntas. 27.q. 2. ho. 32. in 16 c Matt.

CAP. *Secundum. Sola sponsalia de præsenti faciunt matrimonium.*

AIt enim Ambro. Cùm initiatur coniugium, cõiugij nomẽ ascisitur, cùm conIungitur viro, coniugium est, non cùm viri admixtione cognoscitur. Item Isidorus: Cõiuges veriùs appellantur à prima desponsationis fide, quanuis inter eos adhuc ignoretur coniugalis concubitus. Item Augustinus: Coniunx vocatur ex prima despon- lib. de Virgi. 7.q.3. li. Eth. 6.c. 6.

sationis fide quam concubitu non cognoue-
de nup. et cõcu. ca. 11. rat, nec fuerat agnituru, nec peierat: nec mendax manserat coniugis appellatio, vbi non fuerat nec futura erat carnis vlla commixtio. Propter quod fidele coniugiũ, ambo parentes Christi vocari meruerunt, non solùm illa mater, sed etiam ille pater eius, sicut coniunx matris eius: vtrunque tamen ~~mente, non carne~~.

CAP. *Tertium. Ante consummatum matrimonium potest sponsus inuita sponsa monasterium ingredi.*

27.q.7 c. despõ satam. 27.q.2 ca. parata. ALit enim Euseb. papa: Desponsatam puellam non licet parentibus alij viro tradere, tamen licet sibi monasterium eligere. Item Gregorius: Decreta legalia desponsatam, si conuerti voluerit, nullo penitus consueuerunt damno mulctari. Refert etiam Hieronymus, quòd Macharius inter Christi heremitas præcipuus, celebrato nuptiali conuiuio, cùm vespere thalamum esset ingressurus, ex vrbe egrediens, transmarina petiit, & heremi solitudinem sibi elegit. Beatus etiam Alexius similiter ex nuptiis, diuina gratia vocatus, spõsam deseruit, &c.

CAP. *Quartum. Consummatum matrimonium, per ingressum religionis nunquam dissoluitur.*

HOc autem coniugatis nullatenus licet. Non enim potest vir melioris vitæ propositum sumere sine vxoris cõsensu, & econuerso. Vnde Gregorius scribẽs Theotistæ patritiæ: Sunt qui dicũt religionis gratia coniugia debere solui: verùm sciendum est, quia etsi ~~lex humana hoc concessit, tamen lex diuinà prohibuit~~. Si verò vtrisque conueniat continentem vitam ducere, hoc quis audeat accusare? Sic enim multos sanctorum nouimus cum suis coniugibus & prius vitam continentem duxisse, & pòst ad Ecclesiæ sanctæ regimina migrasse. Si verò continentiam, quam vir appetit, mulier non sequitur: aut quam vxor appetit, vir recusat, coniugium diuidi non potest: quia scriptum est, Mulier suæ carnis potestatem non habet, sed vir. Item Nicol. papa: Scripsit nobis Taberga regina, regia se velle dignitate vel copula exui, & sola vita priuata esse contentã desiderare. Cui scripsimus non hoc aliter fieri posse, nisi eandem vitam vir eius Lotharius elegerit.

27.q.2 *sunt qui.*

Mat.3 & 19.

1.cor.7

de adult.cũ iug.27 q.8.

CAP. *Quintum. Desponsatio duplex, & vtriusque differentia.*

FIt aliquando desponsatio vbi est compromissio viri & mulieris de contrahendo matrimonio. Non est autem ibi consensus de præsenti. Est & desponsatio habens consensum de præsenti, id est pactionem coniugalem, quę sola facit coniugium. In illa ergo desponsatione, vbi est pollicitatio contrahendi matrimonium, sponsi tantùm & spōsæ fiunt, non coniuges: & talibus sponsis licet sine communi consensu continentiam profiteri & monasterium eligere. In eā verò despōsatione, vbi est consensus de præsenti, coniugium contrahitur: & ab illius desponsationis prima fide veri coniuges appellātur. Et est sciendum quòd illa sponsa quæ tantùm in futuro est pacta, mortuo sponso non remanet vidua: quia non fuerat vir eius. Vnde siquis eam duxerit, ad sacros ordines cōscendere non prohibetur: quia non duxit viduam. Viduæ enim maritus æquè sicut digamus, sacerdos fieri prohibetur. Secundum hanc distinctionem desponsationis, de sponsis variè loquuntur catholici doctores.

CAP. 6. *Dimissam sponsam de præsenti, cognatus defuncti non potest accipere.*

NAm siquis vxorem desponsauerit de præsenti, quanquam postmodum, præueniente die mortis, nequiuerit eam

ducere in vxorem, nulli de consanguinitate eius licet eam coniugio accipere. & si inuentũ fuerit, separetur omnino, vt dicit Grego. qui ibidem iterum dicit, Qui desponsatam proximi sui puellam cœperit in coniugium, anathema sit ipse, & omnes consentientes ei: quia secundum legem Dei mori decernitur. Nam diuinæ legis mos est sponsas appellare coniuges, vt in Euangelio: Accipe Mariam coniugem tuam. & in Deutero. Si quis alterius sponsam in agro vel quolibet loco oppressérit, vel adduxerit in domum suam, moriatur: quia vxorem proximi sui violauit: Non quæ iam vxor erat, sed quæ à parentibus vxor fieri debebat.

27.q.2 *si quis vxorẽ. ca. qui de spõsatam.* *mat.10* *Deut. 22.*

CAP. *Septimum. Desponsatio de futuro coniugium non facit.*

SEcundum quem desponsationis modum intelligitur decretum illud, Siquis sponsam filij oppressérit, & pòst filius eius eam duxerit, pater postea eam non habeat vxorem, nec mulier virum. Filius qui patris facinus ignorauit, aliam ducat. Sic patet quòd vtraque pactio, desponsatio vel sponsalia interdum dicuntur. Propriè tamen spõsalia dicuntur quædam solennia pacta nuptialia: de quibus, vbi est tantùm sponsio futuri (ait Augustinus) institutum est, vt iam

ex cõc. Tibur. 27.q.2 *c. siquis sponsam.* *ibid. c. institutum.*

pactæ sponsæ non statim tradantur, ne vilem habeat maritus datam, quam suspirauit sponsus dilatam.

DE QVALITATE CONsensus ad matrimonium requisiti.

DISTINCT. Vigesimæoctauæ

CAP. Primum.

Consensus per verba de futuro & cum iuramento, non facit matrimonium.

CONsidera quia longè aliud est promittere, & aliud facere. Qui promittit, nondũ facit. Qui ergo promisit se ducturũ aliquam in vxorem, nõdum eam duxit in vxorem: & quæ spopondit se nupturã, nondũ nupsit. Quomodo ergo coniuges appellari possunt, qui nondũ contrahunt, sed in futuro se contracturos iurando promittunt? Item, si ex vi iuramenti ad futurum pertinentis mox efficiũtur cõiuges, cur iurant in futuro se futuros quod in præsenti efficiũt? Ideo dico quia tunc coniugium non fuit, sed futurum promittitur. Non autem sic est, quando iuramentum coniugij, præsentis consensus attestatione firmatur: quia per talem consensum si quis alij se copulauerit, etiam si prolem procreauerit, & irritum debet

fieri,& ipſe ad priorem copulam reuocari.

Obiectio. Huic ſententiæ obuiare videtur illud quod leges tradunt: Si quis tactis diuinis ſcripturis iurauerit mulieri ſe eam legitimam vxorem habiturum: vel etiam ſi in oratorio tale ſacramentum dederit, ſit illi legitima vxor, quanuis nulla dos, nulla alia ſcriptura interpoſita ſit.

Dilutio. Sed hic oſtenditur quid fieri vel eſſe debeat,nõ quid tunc fiat.Non enim per illud iuramentum tunc fit vxor , ſed fieri debet,quia iuratum eſt. Poteſt & de illo iuramento dictum intelligi, vbi de præſenti conſentiunt,ac ſe inuicem ſuſcipiunt.

CAP. *Secundum. Matrimonium clandeſtinum eſt verum matrimonium.*

1. IN huius enim ſacramẽti celebratione,ſicut in aliis, quædam ſunt pertinentia ad ſubſtantiam ſacramenti, vt conſenſus de præſenti,qui ſolus ſufficit ad contrahendum matrimonium: quædam verò pertinentia ad decorem & ſolennitatẽ ſacramenti, vt parentum traditio,ſacerdotũ benedictio,& huiuſmodi,ſine quibus legitimè fit cõiugiũ,quãtum ad virtutẽ, nõ quantũ ad ſacramenti honeſtatẽ.Et ſic eſt intelligendũ quod Euariſtus papa ait: Aliter legitimũ nõ fit cõiugiũ, niſi ab iis qui ſuper fœminã dominationem habent,& à quibus cuſtoditur. Et ſic conſenſus occultus de præſenti per verba expreſſus, 30.q.5 c.aliter

coniugium facit, licet non sit ibi honestus contractus, sed matrimonium non sanxit consensus qui in occulto fuit. Si enim alter alterum dimiserit, non cogitur iudicio Ecclesiæ redire & commanere, quasi cum coniuge: quia non potest probari testibus contractus qui in occulto est factus.

CAP. *Tertium. Consensus est in coniugalem societatem.*

DIcimus quòd consensus cohabitationis vel carnalis copulæ non facit coniugium, sed consensus coniugalis societatis, verbis sec. præsens tẽpus expressus, vt cùm vir dicit: ~~Ergo accipio te in meam, non dominam, non ancillam, sed cõiugem.~~ Quia enim non domina vel ancilla datur, ideo nec de summo, nec de imo, à principio formata est, sed de latere viri, ob coniugalem societatem. Cùm ergo sic conueniunt vt dicat vir, Accipio te in meam coniugem: & dicat mulier, Accipio te in meum virum: his verbis & aliis idem significantibus exprimitur consensus: non copulæ carnalis (aliàs inter Mariam & Ioseph non fuisset coniugium) vel cohabitationis corporalis (quoniam frater cum sorore, & pater cum filia posset matrimonium contrahere) sed coniugalis societatis, ex qua oportet eos co-

273.

273.

Coniugium verum inter Mariã & Ioseph.

habitare, nisi fortè causa religionis pari voto corporaliter separentur, vel ad tempus, vel vsque in finem.

DE IMPEDIMENTIS matrimonij, primò ex parte voluntatis.

DISTINCT. Vigesimænonæ CAP. Primum.

1. Coactio excludit consensum coniugalem.

HOc testatur Vrban. papa, scribẽs Sanctio regi Arragonũ in hæc verba: De neptis tuę cõiugio, quã te cuidã militi daturũ necessitatis instãte articulo, sub fidei pollicitatione confirmasti, hoc æquitate dictãte decreuimus, vt si illa virũ illũ omnino (vt dicitur) renuit, & in eadẽ volũtate persistit, vt viro illi se prorsus deneget nupturã, nequaquam eam inuitã ac renitentem eiusdem viri cogas cõiugio copulari. Ex quo apparet cõiugiũ fieri inter cõsentientes & spõtaneos, non inter renitẽtes & inuitos. Verũtamen qui inuiti & coactè coniuncti sunt, si postea ab aliquo tẽpore sine cõtradictione & querimonia cohabitauerint, facultate discedendi vel reclamãdi habita, cõsentire videntur: & cõsensus ille cõsequens supplet, quod præcedens coactio tulerat. 31. q. 2. c. de neptis. & c. si verum.

CAP. *Secundum. Consensus tacitus matrimonium facit.*

CONsentire autem probatur, qui euidenter non contradicit, sec. illud, In sponsalibus eorum consensus exigendus est, quorum in nuptiis desideratur. Intelligitur tamen filia patri consentire, nisi euidenter dissentiat. Item, sponsalia (sicut nuptiæ) consensu fiunt contrahentium, &c.

DE IMPEDIMENTO altero ex parte rationis.

DISTINCT. Trigesimæ

CAP. Primum.

Non omnis error consensum matrimonij impedit.

EST enim error alius personæ, quãdo quis putatur esse nobilis, & est ignobilis: Alius error fortunæ, quando putatur esse diues qui pauper, vel econtrario: Alius cõditionis, quãdo putatur esse liber qui seruus est: Alius qualitatis, quando putatur esse bonus qui malus est. Error qualitatis & fortunę cõiugij cõsensum nõ excludit. Error verò cõditionis cõiugalẽ cõsensum euacuat. Error quoque personæ consensum coniugalem non admittit. Sicut enim error materię excludit consensum, ita & in coniugio

Error multiplex.

Inter Iacob & Liam verum coniugium.

error personæ. Iacob autem (cui pro Rachel suppositа est Lia) licet non primò consenserit in Liam, eius tamen consensus sequutus, dum in mysterio illud esse gestum intellexit: nec ex illo concubitu qui consensum præcesserit, fornicarij iudicantur, cùm ille maritali affectu eam cognouerit, & illa vxorio affectu debitum persoluerit: putans lege primogenitarum & paternis imperiis se illi iure copulatam. Excusatur etiam, quia Dei consilio in mysterio ita actū est. Hodie etiā excusaretur ille, cui inscio vxoris soror lectulum eius ingressa se subiiceret, eo quòd per ignorantiam, per quam non consensit in illam. Error verò fortunæ consensum non excludit: sicut nec error qualitatis. vt si quis ducat vxorem meretricem vel corruptam, quam putat esse castam vel virginem, non potest eam dimittere. *gen. 29*

CAP. *Secundum. Verum fuit coniugium inter Mariam & Ioseph.*

SAnè credi potest, non solùm Mariam, sed etiam Ioseph, apud se dispositisse virginitatem seruare velle, nisi Deus aliter iuberet, eosque sic consensisse in societatem coniugalem, sed non in carnalem copulam, nisi de eodem specialiter Deus præciperet. Committens ergo B. Maria (ait August.) *aug. li. 24. cōt. faustū. cap. 8. & 9.*

lib.de nup.et concup. et hab. 29.q. 2.c.suf- ficit.27 q.2.c. inter quos lib.de nup.et cõc.c.11

virginitatem suam diuinæ dispositioni, consensit in carnalem copulam, non illam appetendo, sed diuinæ inspirationi in vtroque obediendo: postea verò simul cum viro labiis expressit, & vterque in virginitate permansit. Inter quos (ait August.) perfectum fuit coniugium: perfectum quidem, non in significatione, sed in sanctitate. Sanctiora enim sunt coniugia pari voto continentium. Perfectum etiam fuit sec. triplex bonum coniugij, fidem scil. prolem, & sacramentum. vt dicit August. Prolem cognoscimus ipsum Dominum: fidem, quia nullum adulterium: sacramentum, quia nullum diuortium. Habuit etiam & alias causas speciales, scil. vt Virgo solatio viri sustentaretur, & vt Diabolo partus celaretur, & vt Ioseph testis esset castitatis.

279.b.

CAP. *Tertium. Finis multiplex esse potest matrimonij.*

EST igitur finalis causa & principalis, prolis procreatio. Propter hoc enim instituit Deus coniugium inter

gen.1. primos parentes, quibus dixit, Crescite & multiplicamini. Secunda est post peccatum Adæ, vitatio fornicationis, vt dicit A-

1.cor.7 post. Propter fornicationem vnusquisque habeat vxorem, & vnaquæque virum. Sunt

& aliæ cauſæ honeſtæ, etiam & minus honeſtæ. Et licet ſine non bono contrahatur matrimonium, quando ſpecies contrahentis mouet animum: coniugium tamen bonum eſt, quia ~~vita mala & intentio peruerſa alicuius, ſacramentum non contaminat.~~ In Deut. enim legitur, Si videris in medio captiuorum mulierem pulchram, & adamaueris eam, voluerisque vxorem habere, introduces eam in domum tuam, &c. Ideo coniuges etiam dicuntur, qui ſolius concubitus cauſa conueniunt, vt dicit Aug.

Finis malus non cõtaminat ſacra. matrimony.

deut. 21

lib. de bo. coniug. c. 5

DE BONIS MATRIMONIJ.

DISTINCT. Trigeſimætertiæ
CAP. Primum.

779. A

De matrimonio ſec. cauſam finalem quãtũ ad bona coniugij.

Tria ſunt bona matrimonij.

AVguſt. Nuptiale bonum tripartitum eſt, ſcil. Fides, proles, & ſacramentum. In fide attenditur ne poſt coniugale vinculum cum alio vel alia coeatur: in prole, vt amanter ſuſcipiatur, religioſè educetur: in ſacramento, vt coniuginm non ſeparetur, & dimiſſus vel dimiſſa ne culpa prolis alteri coniungatur. Hæc autem bona non omnibus coniugiis adſunt, non inde tamen annihilantur. Quæ enim adultera eſt, contra fi-

ſup. ge. li. 9. c. 7

dei bonum, non ideo coniunx non est: imò si coniunx non esset, adultera non foret. Bonum quoque prolis non omnibus adest. Quidam enim pari voto continentiam seruant, alij pro ætatis defectu vel alterius rei causa generare non valent. Multi tamen prolem habent, qui bono prolis carent. Bonum autem prolis dicitur non ipsa proles, sed spes ac desiderium quo proles ad hoc quæritur vt religione informetur: nec ideo tamen coniugium esse desinit. Sacramentum verò ita inseparabiliter coniugio hæret legitimarum personarum, vt sine illo coniugium non esse videatur, quia semper manet inter viuentes vinculum coniugale: vt etiam interueniente diuortio fornicationis causa, coniugalis vinculi firmitas non soluatur, vt dicit Augustinus. Ideo corporaliter possunt separari causa fornicationis, vel ex communi consensu causa religionis, siue ad tempus, siue vsque in finem. Sacramentaliter verò separari non possunt dum viuunt, si legitimæ sint personæ.

Bonũ prolis quid est.

hug. de sac. par. 11. c. 8.

lib. 1. de nup. & concup. cap. 10.

Duplex separatio.

CAP. *Secundum. Non est inter eos coniugium, qui se ad sterilitatem prouocant.*

QVi verò venena sterilitatis procurant, non cõiuges, sed fornicarij sunt. vnde Augustinus. Aliquando eoúsque peruenit hæc libidinosa crudelitatis, vt

lib. 1. de nup. & concup. cap. 11

etiam venena sterilitatis procuret: & si nihil valuerint, concœptos fœtus inter viscera, aliquo modo extinguat vel fundat, volendo prolem suam prius interire, quàm viuere, aut si in vtero viuebat, occidi antequàm nasci. Prorsus si ambo tales sint, coniuges non sunt: & si ab initio tales fuerunt, non sibi per connubium, sed per stuprum potius conuenerunt. Si verò ambo tales non sunt, audeo dicere, aut illa quodammodo est mariti meretrix, aut ille adulter vxoris.

CAP. *Tertium. Bona matrimonij coniugalem concubitum excusant.*

AVgust. Coniugalis concubitus generandi gratia non habet culpam: Concupiscentiæ verò satiandæ, sed tamen cum coniuge, propter thori fidem, venialem habet culpam. Vbi autem hæc bona desunt, fides scil. & proles, non videtur coitus à crimine defendi. Vnde in sententiolis Sexti Pythagorici legitur, Omnis ardentior amator propriæ vxoris, adulter est. Quod autem Apost. sec. indulgentiam dicit, intelligendum est de indulgentia sec. permissionem: sicut suprà dictum est in hoc libr. 4. quia in concubitum qui est præter necessitatem generandi ob incontinentiam indul-

lib. de bo. coniug. c. 10. *lib. de bo. coniug. c. 6.* *12. q. 4 c. origo quidem* *1. cor. 7* *di. 26. cap. 1.*

getur sec. permissionem: quia ibi est aliqua culpa, sed leuis. Ideoque nec iubetur, nec conceditur, sed permittitur: quia non est laudabilis, sed venialis. Concubitus enim necessarius causa generandi, inculpabilis, & solus ille nuptialis est, vt dicit August. Ille verò qui vltra necessitatem progreditur, non rationi, sed libidini obsequitur. & hoc non exigere, sed reddere coniugi ne fornicetur, ad coniugem pertinet.

lib. de bo. cõiug. c. 10.

CAP. *Quartum. Non omnis carnalis delectatio est peccatum.*

DIcimus concupiscentiam carnis semper malam esse, quia fœda est, & peccati pœna, sed non semper peccatum est. Sæpe enim delectatur vir sanctus, sec. carnem in re aliqua: vt requiescendo post laborem, edendo post esuriem: nec tamen talis delectatio est peccatum, nisi sit immoderata. Sic & delectatio quæ fit in coitu coniugali, cui adsunt illa tria bona, à peccato defenditur. Illud autem Gregorij,

33. q. 4 *Vir cũ.* Vir cum propria coniuge dormiens, nisi lotus aqua Ecclesiam intrare non debet: intelligendum est de eo qui non gratia prolis conuenit cum vxore, cuius voluptas non est sine peccato.

DE ACTV MATRIMONIJ siue solutione carnalis debiti.

DISTINCT. Trigesimæsecundæ CAP. Primum.

Coniuges in soluendo carnis debito, pares sunt.

NAm Apost. vtrique pariter præcipit in hac causa sibi inuicem subiici, inquiens: Vir debitum reddat vxori, similiter & vxor viro. quia mulier non habet potestatem sui corporis, &c. quia nec mulier ad alium virum, nec vir ad aliam mulierem potestatē sui corporis habet, nec vir ad continendum, nec mulier potestatem habet, sine mutuo consensu, in hoc enim pares sunt. *aug. li. de bo. cõiug. cap. 6. & 7.*

CAP. *Secundum. Vir continere non potest sine consensu mulieris.*

AIt enim August. Si dicat vir, Continere iam volo, nolo autem vxor, non potest. Quod enim tu vis, illa non vult: nunquid per continentiam tuam illa debet fieri fornicaria? Si nupserit alij, te viuo, adultera erit. Non vult tali lucro Deus tale damnum compensari. Redde debitum. & si non exigis, redde. Pro sanctificatione perfecta Deus tibi computabit, si non quod tibi *sup. pſ. 46. & 33. q. 5 si dicat*

debetur exigis, sed reddis quod debes vxori. Idem Apost. nec ad tempus vt vacent orationi, nisi ex consensu voluit coniuges carnali inuicem fraudari debito.

CAP. Tertium. *Etsi liceat poscenti semper reddere debitum, non tamen semper exigere.*

li. de q. no. & vet. testamẽ. c. 127. VNde Aug. Quoties enim vel dies natiuitatis, vel reliquę festiuitates aduenerint, non solùm à concubinarum consortio, sed etiam à propriis vxoribus abstinere: Nec solùm in opere carnali obseruanda sunt tempora, sed etiam in celebrandis nuptiis, sec. illud, Non oportet à septuagesima vsque ad octauam paschæ, & tribus hebdomadis ante festum D. Iohánis, & ab aduentu Domini vsque post Bpiphaniam celebrare nuptias.

38. q. 4 c. nõ oportet.

DE DIVERSIS CONiugiorum legibus.

DISTINCT. 33. CAP. Primum.

Vxorum pluralitas fuit aliquando licita.

PRo varietate temporum varia inuenitur dispensatio conditoris. Ab exordio enim temporis inter duos tantum, scil. Adam & Euam, dicẽte Domino, Homo adhęrebit vxori suæ, & erũt duo in carne vna.

Primus autem omnium Lameth duas legitur simul habuisse vxores. Et hoc in eo arguitur, quia pro expletione carnalis voluptatis id fecisse perhibetur. Postea verò cùm iam pene omnes homines falsis diis seruirent, paucis in cultu Dei permanentibus, consultum est à Deo plures in matrimonio copulare sibi, ne illis paucis deficientibus, cultus & noticia Dei deficeret. Vnde Abraham viuente vxore ad ancillam intrauit: Iacob etiam liberis & ancillis se copulauit. & filiæ Loth, patre ebrio vsæ sunt de quibus Augusti. Antiquis iustis non fuit peccatum quòd pluribus fœminis vtebantur: nec contra naturam hoc faciebant, cùm non lasciuiendi causa, sed gignendi hoc facerent: nec contra morem, quia eo tempore ea fiebant: nec contra præceptum, quia nulla lege erat prohibitum. Idem alibi, Antiquis temporibus cùm adhuc salutis nostræ mysterium velaretur, iusti officio propagandi nuptias contrahebant: non victi libidine, sed seducti pietate.

gen.4.

gen.16
gen.29 & 30.

lib.de bo.coniug.c. 15.

suprà c.14.

CAP. *Secundum. Non est præferenda virginitas Iohannis castitati abrahæ.*

ISTud ostendit Augusti. inquiens, Sicut non est impar meritum patientiæ in Petro qui passus est, & in Iohanne qui passus

suprà c.27.

non est: sic non est impar meritum continentiæ in Iohanne, qui nullas expertus est nuptias, & in Abraham, qui filios genuit. Nam illius cœlibatus, & istius connubium pro temporum distributione Christo militarunt: sed continentiam Iohannes in opere, Abraham in solo habebat habitu, &c.

Item Hierony. Quis ignoret sub alta dispensatione Dei omnes retrò sanctos eiusdem fuisse meriti, cuius nunc Christiani sunt? Quomodo Abraham antè placuit in coniugio, si nunc virgines placent in castitate? Seruiuit ille legi & tēpori suo, seruiamus & nos legi & tempori nostro, in quos fines seculorum deuenerunt.

22.q. 1.quis ignoret.

1.cor. 10.

CAP. *Tertium. In lege Moysi certus gradus & numerus prohibebatur.*

LEgis verò tempore interdixit Moses carnalem copulam fieri cū matre, cum nouerca, cum sorore, cum nepte, cum amita, cum matertera, cum nuru, & aliis quibusdam. Permisit autem diuortium fieri, dato libello repudij, in quo vir scribebat causas, pro quibus vxorem repudiabat. Permisit autem aliam ducere, dato priori libello; quod propter duritiam cordis eorum permissum Christus dicit. Generaliter etiam multiplicatio vxorum prohibita est. Per-

Leuit. 18. Deut. 24. mat. 19 1.reg. 1.

missum est autem regi plures habere, sed nō multiplicare. Sed lege Christi reducta est lex nuptiarum ad priorem honestiorémque institutionem, vt vnus vni, in figura Christi & Ecclesiæ, coniungatur.

DE PERSONIS LEgitimis.

DISTINCT. Trigesimæquartæ

CAP. Primum.

De matrimonio sec. causam materialem.

Inter legitimas personas matrimonium fieri debet.

Personæ legitimæ.

LEgitimæ iudicantur personæ sec. statuta patrum, quæ diuersa sunt. Aliæ nanque fuerunt legitimæ ante legem, aliæ sub lege, aliæ in tempore gratiæ. Item in primitiua Ecclesia quædam erant legitimæ, quæ modo non sunt. Earum verò quę modo legitimę sunt vel illegitimæ, quędam sunt plenè legitimæ, quædam omnino illegitimæ, quædam mediæ. Plenè legitimæ sunt, quibus non obuiat votum continentię, vel ordo sacer, vel cognatio, vel dispar cultus, vel conditio, vel naturæ frigiditas, & si quid est aliud. Penitus verò illegitimæ sunt per votum, per ordinem, per cognationem, per disparem cultum. Mediæ verò sunt, nec plenè legitimæ, nec omnino illegitimæ, per

frigiditatem, per conditionem. Si enim tales iunguntur ignoranter, commanere possunt, quibusdam accedentibus causis, & eisdem deficientibus diuidi.

CAP. *Secundum. Frigidi & maleficiati separari possunt, etiam & commanere si volunt.*

33.q.1. c.quod autem.

DE iis qui causa frigiditatis debitum reddere non possunt, consulit Grego. vt permaneant. Sed si mulier causatur dicens, volo esse mater, & filios procreare, decreuit vt vterque eorum septima manu propinquorum iuret quòd nunquam carnaliter conuenerint. & tunc mulier secundas nuptias contrahat. De maleficij impedimento hoc tenendum decernitur, quòd si per sortiarias & maleficas concubitus non sequitur, hortandi sunt quibus illa euenium, vt orationibus, ieiuniis, & Ecclesiæ exorcismis sanari procurent. Quod si non potuerint, separari valebunt.

33.q.3 c.si per sortiarias.

CAP. *Tertium. Furia aut amentia matrimonium contrahendum impedit, sed non dirimit contractum.*

FAbianus: Neque furiosus, neque furiosa matrimonium contrahere possunt: sed si contractum fuerit, non separentur. Idem ait Nicolaus papa. 32.q.7 neque fur. ibi. c. qui matrimonio.

CAP. *Quartum. Concubitus cum sorore vxoris impedit matrimonium contrahendum.*

DIcunt canones, Qui dormierit cum duabus sororibus, & vna ex illis antè fuerit vxor, neutram ex ipsis habeat, nec ipsi adulteri vnquàm coniugio copulentur. Item nec propriæ vxori licet sibi reddere debitum: quam sibi reddidit illicitam, sororem eius cognoscendo. nec post mortem vxoris licet ei vel adulteræ copulari in coniugium. ex aure. cõc. vbi supra c. qui dormierit.

CAP. *Quintum. Nulla deformitate vel macula corporali dissoluitur matrimonium.*

AVgust. Si vxorem quis habeat sterilem, siue deformem corpore, vel debilem membris, vel cæcam, vel claudam, vel surdam, vel si quid aliud, siue morbis, siue laboribus confectam, & quicquid, excepta fornicatione, excogitari potest vehementer horribile, pro societate fidéque sustineat. lib. de serm. dom. in mõte.

DE DIVORTIO, EX adulterio sequuto.

DISTINCT. Trigesimæquintæ

CAP. Primum.

Vterque coniugum pro adulterio diuortium postulare potest.

32.q.5 *christiana.* INnoc. papa, Christiana religio in vtroque adulterium pari ratione condemnat, sed viros suos mulieres non facilè de adulterio accusant, viri autem liberiùs vxores suas adulteras apud sacerdotes deferre consueuerunt. Et ideo mulieribus, prodito earum crimine, negatur communio: virorum autem latente commisso, non facilè quisquam ex suspicionibus arcetur: qui tamen submouebitur, si eius flagitium detegatur.

CAP. *Secundum. Adulter adulteram repudiare non valet, & econuerso.*

32.q.6 *parag. esse. Ro. 2.* AVg. Nihil iniquius est, quàm causa fornicationis dimittere vxorem, si & ipse conuincitur fornicari. occurrit enim illud, ~~In quo alterum iudicas, teipsum condemnas.~~ Quapropter quisquis fornicationis causa vult abiicere vxorem, prior debet esse fornicatione priuatus. quod similiter & de fœmina dixerim.

CAP. *Tertium. Fornicatio non soluit vinculum coniugale.*

SI quis autem fornicationis expers, fornicariam dimiserit, alij copulari non potest, sed continere oportet, vel ad dimissam redire, sic & de fœmina. Vnde & Apost. *1.cor.7* His qui matrimonio iuncti sunt præcipio, *mat.19* non ego, sed dominus, vxorem à viro non discedere. quòd si discesserit, maneat inupta, aut viro suo reconcilietur. & de viro addit, Et vir vxorem non dimittat.

CAP. *Quartum. Prohibetur inter eos matrimonium, qui se prius polluerunt per adulterium.*

DE hoc Leo papa: Relatum est auribus sanctorum sacerdotum, quendam alterius vxorem stupro violasse, & insuper mœchæ iuramentum dedisse, quòd post legitimi mariti mortem si superuiueret, duceret eam in vxorem. quod & factum est. Tale ergo cõnubium prohibemus & anathematizamus. Ad id verò quod dicit Aug. fieri posse coniugium cum qua præcesserit adulteriũ, dicitur esse intelligendum, si de peccato pœnituerint, & nihil in mortem viri machinatæ sunt, nec viuente viro fidem adulteræ dedit mœchus, quòd eam in cõiugio duceret si superuiueret. Similiter illud Aug. Posse fieri li-

31.q.1. c.nullũ & c.relatum.

dilutio obiectorũ ex aug.

lib.de nupt. & cõcup.

citas nuptias ex personis illicitè coniunctis, honesto placito subsequēte, manifestum est: dicitur esse intelligendum de concubinis, quas concedit posse transire ad honestum placitum nuptiarum, si castitatem & fidem seruare velint.

Hactenus de impedimentis præcedentibus matrimoniū cōtrahēdū & contractū subsequentibus, nūc de cōcomitantibus.

DE IMPEDIMNTO conditionis.

DISTINCT. Trigesimæsextæ

CAP. Primum.

Error conditionis potest dirimere matrimonium contractum.

29.q.2 *si fœmina.*

DIcitur: Si quis ingenuus homo ancillā alterius, vxorē acceperit, & æstimat q̄ ingenua sit, si ipsa fœmina fuerat postea in seruitutem deiecta, si eam à seruitute redimere potest, redimat: si non potest, si voluerit, aliam accipiat, &c. Si enim conditionis dolum patitur, non cogitur adhærere ei cuius fraude deceptio facta est. Si autem vir scierit conditionem mulieris, vel econuerso, non valet eam dimittere.

ibid. c. si quis liber.

CAP. *Secundum. Inter seruos coniugium contractum, ratum habetur.*

ITa de hoc statutum est: dictum est nobis, quòd quidam legitima seruorum matrimonia, potestatiua quadam præsumptione dirimunt, non attendentes illud, Quod Dens coniunxit, homo non separet. Vnde

c. 28. 5. 6

nobis visum est, vt coniugia seruorum non dirimantur, etiam si diuersos dominos habeant: sed in vno coniugio permanentes, dominis seruiant suis. Et hoc in illis obseruandum est, vbi legalis coniunctio fuit, & per voluntatem dominorum. An autem seruus & ancilla præter voluntatem dominorum suorum possint coniugium cõtrahere, doctorũ diuersa est sententia. *mat.19*

CAP. *Tertium. Seruitus sequens, matrimonium non dirimit.*

VNde illud: Perlatum est ad sanctam synodum, quòd quidam ingenuus inge- *ibid. c. perlatũ*
nuam acceperit vxorem, & post filiorum procreationem, occasione diuortij, cuiusdam seruum se fecerit, vtrum & mulierem necessariò tenere debeat: & si renuerit, an illa etiam seruituti subiici debeat, quæsitum est. Iudicatum vxorẽ minimè debere dimitti: non tamẽ ob Christi legem mulierem in seruitutem redigi, dum ille non ex consensu coniugis se seruum fecerit, quem liberum ipsa maritum acceperat.

CAP. 4. *Aetas illegitima impedit matrimonium contrahendum, & dirimit contractum.*

HOc etiam sciẽdum est, quòd pueri ante 14. annos, & puellæ ante 12. sec. leges matrimonium iure cõtrahere ne-

queunt. Quòd si ante prædicta tempora co-
30.q.7 pulam inierint, separari possunt, quanuis vo
parag. luntate & assensu parentum iuncti fuerint.
sponsalia Item: Sponsalia ante septennium contrahi-
non possunt. solo enim consensu contrahun-
tur, qui interuire non potest, nisi ab alterutra
parte intelligatur quod inter eos agitur.

DE IMPEDIMENTIS QVIbus personę fiunt illegitimæ ad contrahendum. & primò de impedimento ordinis.

DISTINCT. Trigesimæseptimæ
CAP. Primum.

Aliqui sunt ordines qui impediunt matrimonium contrahẽdum, alij autem non.

LEo papa: Clericos, lectores, ostiarios,
d.32.c. exorcistas, acolytos, si extra votum &
seriatim. habitum inueniuntur, & continentiam
profiteri nolunt, vxorem ducere virginem
Ecclesia Romana permittit, non viduam vel
repudiatam: quia deinceps nec ad subdiaconatum prouehi poterunt, nec laicus vxorem sortitus, nisi virginem, vel bigamus ad clericatum. Item ex Cartaginẽsi conc. Placuit epi-
ca. placuit. scopos, presbyteros, diaconos, subdiaconos, etiam ab vxoribus abstinere. Quod si non fecerint, etiam ab ecclesiastico remoueantur

officio. Item Calixtus papa: Presbyteris, diaconibus, subdiaconibus, monachis, concubinas habere, vel matrimonia contrahere penitus interdicimus. contrà quoque matrimonia ab huiusmodi personis disiungi, & personas ad pœnitentiam debere redigi, iuxta sanctorum canonum distinctionem iudicamus. d. 28. c. presbyteris

CAP. 2. *Coniugum suarum interfectores matrimonium contrahere nequeunt.*

NIcolaus papa scribit Radulpho Bituricensi archip. Interfectores suai ũ cõiugum sine iudicio (cùm non addis adulterarum, vel aliquid huiusmodi) quid aliud habendi sunt quàm homicidæ? ac per hoc ad pœnitentiam redigendi, quibus penitus denegatur cõiugium. Hic videtur Nicolaus permittere maritis, p adulterio aut alio huiusmodi vxores suas interficere, &c. 33. q. 2. ca. interfectores.

DE IMPEDIMENTO VOTI.

DISTINCT. Trigesimæoctauæ
CAP. Primum.

Votum impedit matrimonium.

Votũ quid. VOtum est testificatio quædam promissionis spõtaneæ, quæ Deo & de iis quę Dei sunt propriè fieri debet. Votorum autem aliud commune, vt illud quod omnes in baptismo faciunt, abrenunciando diabolo & pompis eius. Aliud singulare, vt cùm

quis sponte promittit seruare virginitatem, vel aliquid huiusmodi. Item singulare, aliud priuatum, quod in abscondito fit : aliud solenne, quod in conspectu Ecclesiæ fit. Qui priuatum faciunt votum continentiæ, matrimonium contrahere non possunt, quia cõ trahendo mortaliter peccant. Si tamen contraxerint, non separentur: quia probari non potest, quod occultè factum est. Qui verò solenniter vouent, nullatenus coniugium inire queunt, quibus non solùm nubere, sed & vel le damnabile est. Vnde Augustus. Vouentibus enim virginitatem vel viduitatem, non solùm nubere, sed etiam velle damnabile est. Quod Apostolus ostendit Timotheo scribens, Adolescentiores viduas deuita. cùm enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt, id est cùm post votum continentiæ in delitiis egerint vitam, non dico nubunt, sed nubere volunt in Christo. quasi tunc nõ sit peccatũ. sed quòd sit ostendit subdens, Habentes dãnationem. & quare subdit, quia primã fidem irritã fecerunt. & si non nubẽdo, tamẽ volendo, vt volũtatẽ quæ à proposito cecidit, appareret esse damnatã, siue sequatur nuptiæ, siue non. Ex iis apparet virgines vel viduas voto continentiæ adstrictas, siue velatæ fuerint, siue non, nullatenus coniugium sortiri posse. ~~Quod enim antè erat licitum, post votum fit illicitum.~~

27. c. vouẽtibus.

1. Ti. 5

Votum solenne dirimit contractũ & impedit contrahendũ matrimonium.

CAP. *Secundum. Vxor ad priorem maritum, quẽ quomodolibet periisse putauit. redire, etiam secundo nupta cogitur.*

DE hoc Leo papa sic ait: Necesse est vt legitimarũ fœdera nuptiarum reintegrãda credamus, & remotis iis quæ hostilitas intulit, cuique id legitimè reformetur quod intulit: procurandúmq; est vt quisque recipiat quod proprium est. Nec tamen culpabilis iudicetur, & quasi alieni iuris peruasor habeatur, qui personã eius mariti, qui iam non esse existimabatur, assumpsit. Sic enim multa quæ ad eos qui in captiuitatem ducti sunt, pertinebãt, in ius alienum transire potuerunt: & tamẽ plenæ iusticiæ est, vt eisdem reuersis reformẽtur. Ideoque si viri post longam captiuitatem reuersi, ita in dilectione suorum coniugum perseuerant, vt eas nuptiant in suum redire consortium, dimittendum est, & inculpabile iudicãdum quod necessitas intulit: & restituendum, quod fides poscit. Sinautem aliquæ mulieres itavirorũ posteriorũ amore sunt captæ, vt malint eis cohærere, quàm ad legitimum transire consortium: merito sunt notãdæ, ita vt ecclesiastica communione priuentur, quę de re excusabili contaminationẽ criminis elegerũt, &c.

CAP. Tertiũ. *Qui postquam clandestinè vel quomodolibet aliter cum vna contraxit, cum alia se matrimonio iungit, cum secunda remanere cogitur.*

Hug. 4. sentē. ca. 4. SEd si quis in patria sua vxore relicta, in longinquam abiens regionem, aliam ducat vxorem: deinde pœnitentia ductus eam dimittere velit, asserens se aliam habuisse quæ vivit: nec Ecclesia ꝑmittat, quæ quod ille asserit ignorat: quæritur an in hac secunda copula sit cõiugium. Sanè dici potest nõ esse coniugium, & mulierem de crimine excusari per ignorantiam, virum autem adulterium admisisse. Sed ex quo ad primam redire volens, nec valens, cogitur Ecclesiæ disciplinam hanc tenere, incipit excusari per obedientiam & timorem, de hoc ꝙ poscenti mulieri debitũ reddit, à qua ipse nũquam poscere debet. & sic de aliis huiusmodi sentiendũ.

Ignorãtia

Istud non omnes probant.

DE IMPEDIMENTO disparitatis cultus.

DISTINCT. Trigesimænonæ

CAP. Primum.

Non licet Christiano cum gentili vel Iudæa inire coniugium.

273. b.

Exo. 24 Deut. 7 PRohibitum est etiam in vet. testam. viros fideles, ducere vxores infideles, domino dicente, Non accipias vxores de

In superioribus definitũ est de

impedimẽtis quæ illegitimant personã respectu cuiuslibet. nũc de impedimentis agitur quæ illegitimãt respectu aliquorũ personarum.

filiabus alienigenarũ filiis tuis, ne traducant eos post deos suos. Iuxta hoc domini præceptum, Iudæorũ coniugia cum alienis inita Esdras separauit. Hoc idẽ in no. testam. etiã seruatur. Vnde Aug. Ne nubat fœmina nisi suæ religionis viro: vel ne vir talem ducat vxorem. Id enim (vt dicis) iubet dominus, docet Apostolus, vtrũque præcepit testamentũ. Huic autẽ non obuiat quod Apost. dicit de imparibus cõiugiis, Ego dico, non dominus: Si quis frater habet vxorẽ infidelem, & hæc consentit habitare cũ illo, nõ dimittat illã: & si qua mulier, &c. quia Apost. agit de illis qui vnius eiusdemque infidelitatis fuerunt quando cõiuncti sunt, & pòst alter ad fidẽ cõuersus est, cui consulit Apost. alterũ nõ dimittere volẽtem cohabitare, nec à deo reuocare. Ideo euidenter apparet & inter infideles cõiugiũ esse. Potest tamen dici licitè dimittere, quia in infideli est fornicatio, si nõ corporis, tamen mentis: causam autem fornicationis dominus excepit.

Esd. 10

lib. de adul. cõiug. ca. 21. & 28. q. 1 c. sic ei 1. co. 7.

28. q. 1 can. sic enim.

CAP. *Secundum. Peccati conditio adiecta impedit matrimonium.*

AVg, Rectissimè dimittitur, si viro suo dicat, Non ero vxor tua, nisi mihi de latrocinio diuitias congreges, vel nisi solita lænocinia exerceas, aut si quid aliud faci norosum aut flagitiosum à viro suo expetat. Tunc ille si veraciter pœnitens est, habetque

li. de fi. et operi. 23. q. 1. ca. vxor le gitima

fidem per dilectionem operantem, membrū quod eum scandalisat amputabit.

CAP. *Tertium. Fidelis conuersus ad fidem, relicta vxore fideli, ea viuente aliam ducere nequit.*

28.q.2 & 5. AMbros. verba Apostoli exponēs ait: Alioqui si discedatis ab inuicem, & volētes cohabitare dimittitis, & aliis vos copulatis, adulteri estis. Item: Si quis habuerit vxorem virginem ante baptismum, viuente illa post baptismum alteram habere non potest. crimina enim in baptismo soluuntur, adhila. non coniugia. Quod verò dicit Ambrosius: 28.q.5 Non debetur reuerentia coniugij ei qui horret authorem coniugij: non est enim ratum matrimonium, quod sine deuotione Dei est: & ideo non est peccatum ei qui dimittitur propter Deum, si alij se copulauerit: distinguendum est, quoniam aliud est dimittere volentem cohabitare, & aliud dimitti propter Deum ab eo qui horret nomen Christi. Ibi lex beneuolentiæ non conseruatur, hic veritas custoditur. Et ideo cùm liceat dimittere volentem cohabitare, non tamen ea viuente aliam ducere licet. Discedētem verò sequi nō oportet, & ea viuente aliam ducere licet. Sed hoc non est intelligendum, nisi de iis qui in infidelitate sibi copulati sunt. Sed si ad fidem vterque conuersus est, vel si

vterque fideles matrimonio cõiunctus est,& pòst alter eorum à fide discessserit,& odio fidei coniugem reliquerit, dimissus discedentem non comitatur: nec tamen illa viuente aliam ducere poterit, quia inter eos fuerat ratum coniugium.

CAP. *Quartum. Inter infideles matrimonium est legitimum.*

COpula maritalis quæ est inter infideles,coniugium est legitimum, sed non ratum.Legitimũ, quia est inter legitimas personas:sed non ratum, quia sine fide. Quòd legitima sit infideliũ cõiunctio Aug. testatur dicens: Vxor legitima societate coniuncta,sine vlla culpa relinquitur, si cum viro Christiano permanere noluerit. Ex hoc etiam probatur quòd infideli ad fidem conuerso Apost consuluit infidelem non dimittere.quod nõ faceret,si nõ esset inter eos legitimum coniugium. Legitimum est,quod legali institutione,vel prouinciæ moribus,non contra iussionem domini cõtrahitur. Quòd si obiicias quod ait Apost. Omne quod non est ex fide, peccatum est: dicitur non ita esse intelligẽdum, vt quicquid fit ab infidelibus, peccatum sit : sed omne quod fit cõtra fidem i. conscientiam,malè fit,& ad gehennam ædificat. Vel in omni quod infidelis facit, peccat,nõ quidẽ quia illud facit,sed quia nõ

eo modo quo debet, non referens ad debi-
28.q.1 parag. iis itaque. tum finem. Ad illud autem quod dicit Aug. quia nō est vera pudicitia infidelis cū fideli, dicitur quòd negatur quidem vera esse pudicitia: non q̄ infideliū coniugiū nō sit verum, sed quia non habet illud triplex bonū, quod excusat coitum, & meretur præmium.

DE IMPEDIMENTO COgnationis, primò carnalis.

DISTINCT. Quadragesimæ

CAP. Primum.

Cognatio vsque ad septimum gradum impedit matrimonium.

GReg. Progeniem suam vnūquenq; vsq; ad septimā obseruare decernimus generationem: & quandiu se agnoscunt affinitate propinquos vel cognatos, ad coniugalem copulā accedere denegamus. quod si fecerint, separentur. *Episcopis galliæ 35. q.3. progeniem.*

CAP. *Secundum. Graduum consanguinitatis varia est computatio.*

ATtende quòd Isido. sex gradus consanguinitatis tantum ponit, ita dicens: Sordes consanguinitatis sex gradibus dirimitur hoc modo: Filius & filia, quod est frater & soror, sit ipse truncus. Illis verò seorsum seiunctis, ex radice illius trunci egrediuntur isti ramuli, nepos & neptis, pri-

mus: pronepos & proneptis, secundus: abnepos & abneptis, tertius: adnepos & adneptis, quartus: trinepos & trineptis, quintus: trinepotis nepos & trineptis, sextus. Alij verò qui septem gradus ponunt, truncum inter gradus computant. Alij patrem in primo gradu, filios in secundo ponunt. Alij primum gradum filios appellant, negãtes gradum cognationis inter patrem & filium esse. Authoritates ergo quæ consanguinitatis cautelam vsque in septimum gradũ prohibent, primum gradum filios appellant. Atque ita fit, vt eædem personæ secundum hanc diuersam computationem inueniantur in sexto & septimo gradu. Quare autem sex computet Isidorus, aperit dicens: Ideo autẽ vsque ad sextũ generis gradũ consanguinitas est constituta, vt sicut sex ætatibus mũdi generatio & hominis status finitur, ita propinquitas generis tot gradibus terminetur.

DE GRADIBVS affinitatis.

DISTINCT. 41. CAP. Primum.

Affinitas ex consummato matrimonio inter virũ & consanguineos vxoris, & inter vxorem & consanguineos viri contrahitur, & matrimonium impedit.

35. q. 5 c. porrò de. GRego. Porrò de affinitate, quam dicitis parentelam esse, quę ad virũ ex parte vxoris, seu quæ ex parte viri ad vxorem pertinet, manifesta ratio est: quia si secundum diuinam sententiam, ego & vxor mea sumus vnã caro, profectò mihi & illi mea suaque parentela propinquitas vna efficitur. Quocirca ego & soror vxoris meæ in vno & primo gradu erimus: Filius verò eius secundo gradu erit à me, neptis verò in tertio. Idque vtrinque in cæteris agendum est successoribus. Vxorem verò propinqui cuiuscunque gradus sit, ita me oportet attendere, quemadmodum ipsius quoque gradus aliqua fœmina propriæ propinquitatis sit. Quod nimirum vxori meæ de propinquitate viri sui in cunctis cognationis gradibus conuenit obseruare. Qui verò aliorsum sentiunt, Antichristi sunt. Idẽ dicit Iulius papa: Aequaliter vir cõiungatur consanguineis propriis, & consanguineis vxoris. Item Isidorus: Sanè consanguinitas quæ in proprio viro conseruanda est, etiã in vxoris parẽtela de lege nuptiarũ custodiẽda est, qua constat eos duos fuisse in carne vna.

35. q. 3 c. æqualiter.

CAP. *Secundum. Ecclesia potest dispensare in copula affinium vsque ad tertium gradum.*

SEd alij videntur concedere in quinta generatione inter affines contrahi coniugium, & in quarta etiam si contractum fuerit, non separari. Cõcedit enim Fabianus papa, in quinta vel quarta affinium propinquitate fieri coniugium. Alij autem vsque ad septimum gradum eam obseruari sanciunt. Alij verò in quinto vel quarto matrimonia contracta non diuidunt. Sed illi veritatis rigorem, isti misericordiæ dispensationẽ videtur proponere. Potest enim Ecclesia dispensare in copula affinium vsque ad 3. gradum. Sicut Grego. dispensauit in 4. gradu consanguinitatis. *supra c. depropinquis*

CAP. *Tertium. Per mortem alterius coniugum affinitas non extinguitur.*

ILlud autem non est prætereundum quod Greg. Valerio scripsit: Sedem apostolicam consulere decreuisti, si mulier copula, &c. vbi prohibet, si mortuo primo marito vxor eius alij nupserit, filios de secundo viro genitos ducere vxores de cognatione prioris viri: quia filij mediante matre ad cognationẽ prioris viri pertinẽt, cum quo mater eorum vna caro extiterat. Hoc idem etiam Innocen. ait: Si qua mulier ad secundas nuptias transierit, & ex eis sobolem genuerit, nullatenus potest ad consortium cognatio- *35. q. 10. ca. fraternitatis.* *35. q. 10. c. si quamuis.*

nis prioris viri pertingere. Hoc autem obseruandum est vsque ad 7. generis gradum, sed maximè vsque ad 3. & 4.

CAP. *Quartum. Matrimonia contracta in gradibus consanguinitatis prohibitis dissoluuntur, licet à peccato quandoque per ignorantiam excusentur.*

ET est sciendum q̃ Ecclesia infra prædictos gradus cõsanguinitatis cõiunctos separat. Si autem ignorãter coniuncti fuerint in conspectu Ecclesię, & postmodum probata consanguinitate eiusdem iudicio separati: quæritur vtrum copula illa coniugium fuerit. Quibusdam videtur non fuisse coniugium, quia non erant legitimæ personæ: sed tamen de crimine excusantur, per ignorantiam, & quasi coniugium reputatur: quia bona fide & per manum Ecclesiæ conuenerunt. vnde & filij eorum legitimi habentur. Alij verò dicunt fuisse coniugium, licet non essent legitimæ personæ: quia talium coniunctiones vocant canones coniugia, vbi de personis agitur, quarum testimonio. consanguineorum sit diri-
30. q. 5 *can. si duo viri.* menda coniunctio. vnde Vrban. pa. Si duo viri vel tres consanguinitatem iureiurando firmauerint, vel ipsi fortè confessi fuerint, coniugia dissoluantur. Si verò neutrum

contigerit. episcopi eos per fidem Christi obtestentur, quatenus palàm fateantur, si se cognoscunt consanguineos. Si se iudicio episcoporũ segregauerint, alia matrimonia non prohibeantur contrahere.

CAP. *Quintum. Variæ sunt cum muliere libidinandi species.*

1. Fornicatio, licet sit genus omnis illiciti
2. coitus qui fit extra vxorem, tamen specialiter intelligitur in vsu viduarum, vel
3. meretricum, vel concubinarum. Stuprum
4. propriè est virginum illicita defloratio. Adulteriũ alieni thori violatio. vnde adulterium dicitur quasi alterius thori accessio.
5. Incestus est consanguinearum vel affinium
6. abusus. Raptus admittitur, cùm puella violẽter à domo patris educitur, vt corrupta in vxorem habeatur. Si puellæ, sine parentibus, vis illata constiterit, hic morte mulctatur. Sed si ad Ecclesiam cum rapta confugerit, Ecclesiæ priuilegio mortis impunitatem meretur.

Raptorib⁹ puellarum quæ pœna aut gratia debeatur.

DE IMPEDIMENTO spiritualis cognationis.

DISTINCT. 42. CAP. Primum.

Cognatio spiritualis impedit matrimonium cõtrahendum, non dirmit autẽ contractum, si prius fuerint legitimi cõiuges.

IAm de ſpirituali cognatione addamus, quæ etiam perſonas impedit, vt non ſint legitimæ ad ineundas nuptias. Tria quidem ſunt: Conſanguinitas, quæ eſt inter eos qui iunguntur ſec. lineam generis: Affinitas, quæ eſt inter eos qui mediante genere ſunt ſociati: & ſpiritualis proximitas, quæ eſt inter compatrem & commatrem, & inter eos, quorum vnus alterum de ſacro fonte leuauit, vel in cathecizatione vel confirmatione tenuit. Dicitur etiam ſpiritualis filia ſacerdotis, quæ ei peccata ſua confitetur. Quòd autem compater & commater ſibi iungi nequeant, nec pater ſpiritualis, nec mater filiæ vel filio ſpirituali, ex concilio Maguntin. docetur: Quòd ſi filiolam aut commatrem ſuam aliquis in coniugium dixerit, ſeparandos eſſe iudicamus, & graui pœna plectendos. Item Iohan. papa ait: Ad limina S. Petri homo quidam nomine Stephanus, veniẽs, noſtro præſulatui innotuit, quòd filiũ ſuũ in extremo vitę poſitum, necdũ baptiſmi vnda lotũ, abſentia ſacerdotum cogente baptizauit, eũque propriis manibus ſuſcepit. Atque pro huiuſmodi negocio reuerentia tua præfatum hominem à ſua coniuge iudicauit eſſe ſeparandum. Quod fieri nullatenus debet, dicẽte Scriptura, Quod Deus cõiũxit, homo nõ ſeparet. & Dominꝰ nõ dimittere vxorẽ niſi cauſa fornicationis iubet, &c.

30 q. 1 c. de eo

ibid. c. ad limina.

gen. 1. matt. 5 & 19.

CAP. *Secundum. Spirituales vel adoptini filij naturalibus copulari nequeunt.*

292. A. ID Nicol. pap. teſtatur, ita inquiens: Ita diligere debet homo eum qui ſe ſuſcepit de ſacro fonte, ſicut patrem. Inter fratres & filios ſpirituales gratuita & ſancta communio eſt, quæ dicenda non eſt conſanguinitas, ſed habenda ſpiritualis proximitas. Vnde inter eos arbitror non poſſe fieri legale coniugium: quia nec inter eos qui natura, & eos qui adoptione filij ſunt, venerandæ leges matrimonia contrahi permittunt. Hoc autem quidam volunt intelligere tantùm de illis filiis qui compatres facti ſunt. De aliis verò qui ante cõpaternitatem vel poſt, geniti ſunt, concedunt quòd legitimè & licitè iungi poſſunt. Quibus videtur conſentire Vrbanus papa, vbi ſuprà. Paſcalis verò ſecundus poſt compaternitatem genitos copulari prohibet, ſcribens Regio epiſcopo. *35. q. 5 c. ita diligere.* *c. ſuper quibus ibid. c. poſt ſuſceptũ.*

CAP. *Tertium. Poſt obitum vxoris vir poteſt commatri defunctæ vxoris coniungi.*

EX epiſt. Paſcalis papæ legitur: Poſt vxoris obitum, cum commatre vxoris coniugio copulari nulla ratio vel au- *Ibid. c. poſt vxoris.*

thoritas videtur prohibere. Non enim per carnis vnionem ad vnionem carnis trâsitur.

CAP. *Quartum. Coniuges non licitè possunt simul leuare de sacro fonte.*

ibid.c. quòd vxor.

DE hoc Vrba.ait: Quòd vxor cum marito in baptismo simul non debeat suscipere puerum nulla authoritate videtur vel reperitur prohibitum : sed vt ipsa puritas spiritualis paternitatis ab omni labe & infamia conseruetur immunis, decreuimus vt vtrique simul ad hoc aspirare non præsumant.

CAP. *Quintum. Secundæ, tertiæ, & quartæ nuptiæ non sunt damnandæ.*

1.co.7. 31.q.1. Deus masc.

VNde Augustin. Secundas nuptias omnino licitas concedit Apost. de tertiis & quartis & de vltra pluribus nuptiis solent homines mouere quæstionem . Sed quis audeat definire , quod nec Apostolum video definisse ? ait enim : Si dormierit vir eius, cui vult nubat. non dicit, primus, vel secundus, vel tertius, vel quotuslibet. nec à nobis definiendum est quod non definit Apost. Vnde, vt breuiter respondeam, nec illas nuptias debeo damnare, nec eis verecundiam numerositatis auferre, nec contra humanæ

verecundiæ sensum audeo dicere, vt quoties voluerint nubant : nec ex meo corde præter Scripturæ authoritatem , quotaslibet nuptias damnare.

DE RESVRRECTIONE vniuersali, & primò de resurrectionis veritate.

Hactenus de sacramẽtis no. legis, nunc de finali gloria per ea consequenda.

DISTINCT. Quadragesimætertiæ

CAP. Primum.

Omnium erit generalis resurrectio.

AIt enim Esaias : Resurgent mortui , & resurgent qui erunt in sepulchris . & Apost. Nolumus vos ignorare de dormientibus , &c. Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini , quia nos qui viuimus, qui res. su. non præu. eos qui dorm. quon. ipse dom. in ius. & in vo. arc. & in tu. d. desce. de cælo, &c. His verbis & veritas resurrectionis, & causa, atq; ordo resurgentiũ præclarissimè insinuatur. Causa enim resurrectionis mortuorũ erit vox tubę. vnde Proph. Dabit voci suæ vocem virtutis . & Iohan. ait: Venit hora in qua omnes qui in monu. sunt, aud. vo. &c. ~~Hæc tuba est clamor~~ (ait Augustin.) de quo dicitur in Euangel. Media nocte clamor factus est . Media autem nocte dicitur venturus (vt ait Augustin.) ~~non~~

esa. 26 *1. thes. 4.* *ps. 67.* *Ioh. 5.* *mat. 25*

pro hora temporis, sed quia tunc veniet cùm non speratur.

CAP. *Secundum.* *Credendum est piè, quos tunc Christus viuos inueniet, morituros.*

1.co.25 SI ergo sanctos qui reperientur Christo veniente viui, eique obuiam rapientur, crediderimus in eodem raptu de mortalibus corporibus exituros, & ad eadem immortalia mox redituros; nullas in verbis Apost. patiemur angustias, generaliter accipientes illud quod dictum est, Omnes quidem resurgemus, scil. tam boni quàm mali: sed non omnes immutabimur, scil. in solennitatem resurrectionis. De hoc etiã Ambro. ait: In ipso raptu illi qui viui reperientur, mors erit & resurrectio: vt anima quasi egressa per soporẽ de corpore, eidẽ in momẽto reddatur. Contrà verò scribens ad Marcellam Hiero. testari videtur, quosdam in fine seculi aduenientes Christo non esse morituros, sed viuos repertos, in immortalitatem repente mutandos. Horum autem quid verius sit, non est humani iudicij definire. Cumque ex prædictis credi sanè valeat, omnes resurrecturos, credendum est etiam quòd omnes resurgent incorrupti. non vtique impassibiles, quia reprobi patientur pœnam æternam, &c.

Sup. illud. 1. thess. 4 quoniã ipse dominus

DE QVALITATE RESURGENTIUM.

DISTINCT. Quadrageſimæquartæ

CAP. Primum.

Omnes reſurgent in ætate Chriſti, ſed non in ſtatura corporis eius.

AVguſt. exponens illud, Donec occurramus omnes in virum perfectum, in menſuram ætatis & plenit. Chriſti, ait: Non ait in menſuram corporis vel ſtaturæ, quia vnuſquiſque ſuam recipiet menſuram corporis, quam vel habuit in iuuentute, etiam ſi ſenex obiit, vel fuerat habiturus, ſi antè eſt defunctus. Aetas verò erit illa ad quam peruenit Chriſtus, ſcil. iuuenilis, circa 30. annos. Triginta enim duorum annorum & trium menſium erat ætas Chriſti, in qua mortuus eſt & reſurrexit. Non eſt autem fas dicere, quòd in reſurrectione accedat corpori magnitudo, quam nec habuit hic, nec erat habiturum diu viuendo: nec maiora corpora redigenda ſunt ad modum dominici corporis. Periret enim multum de illis corporibus, quum nec periturus ſit capillus, vt ait Dominus, Capillus de capite veſtro non peribit. *eph. 4. lib. 22. de ciuita. c. 14. Luc. 21*

CAP. *Secundum. Materia tota eadem corporum reparabitur.*

aug. in Ench. c. 88. DEus mirabiliter ac ineffabiliter artifex, de toto quo caro nostra extiterat, etiam mirabili celeritate restituet, nec aliquid attinebit ad eius redintegrationem, vtrum capilli ad capillos redeant, & vngues ad vngues, an quicquid eorum perierat, mutetur in carnem, & in partes alias corporis reuocetur, curante artificis prouidentia nequid indecens fiat. Indecorum quippe aliquid ibi non erit: sed quicquid ibi futurum est, hoc decebit: quia nec futurum est, si non decebit.

CAP. *Tertium. Dubium est an reprobi cum corporis deformitatibus sint resurrecturi.*

aug. in Ench. ca. 92. DE reprobis autem quæri solet, an cum deformitatibus hic habitis resurgant. Hoc autem Augustinus non asserit, sed dubium relinquit, ita inquiens: Quicunque ab illa perditionis massa, quæ per Adam facta est, non liberantur per Christum, resurgent quidem etiam ipsi, vnusquisque cum carne sua, sed vt cũ Diabolo eiúsq; angelis puniantur. Vtrum verò ipsi cum vitiis & deformitatibus suorum corporum resurgant quæcunque in eis gestarunt, inquirendo laborare quid opus est? Non enim fatigare nos debet incerta eorum habitudo vel pulchritudo, quorum erit certa & sempiterna

matt. 25.

damnatio. Ecce non definit an tunc habeant deformitates, quas hic habuerunt reproborum corpora.

CAP. *Quartum. Corpora reproborum tunc igne inconsumptibili cremabuntur, quorum animæ sine corpore torquebantur.*

SI verò quæritur de corporibus malorum quomodo in igne ardeant & non consumantur: Aug. variis exemplis astruit, & sempiternis ignibus ea ardere, & non consumi illa combustione, sicut animus, cuius præsentia corpus viuit, & dolorem pati potest, mori autem non potest. Hoc enim erit tunc in corporibus damnãdorum, quod nũc esse scimus in animis omnium. Animas verò igne illo sine corpore cruciari testatur Iulianus Toletanus episcop. Gregorij verba sequutus. Teneri autem per ignem spiritum dicimus, vt in tormento ignis videndo atq; sentiendo. quod etiam ex Euang. colligitur, qui inter tormenta clamat, quia crucior in hac flamma. Dum ergo peccatorem diuitem damnatum in ignibus veritas perhibet, quis sapiens, reproborum animas teneri ignibus neget? *de ciuit. lib. 21. c. 1. & 3.* *Dial. 4 cap. 18.* *Lu. 16.*

CAP. *Quintum. Fœtus humani, in vteris maternis extincti, & hominum monstra resurgent.*

aug.in Ench. ca.85. &c. 87.

EX quo autem incipit homo viuere, ex illo vtique iam mori potest. Mortuus verò vbicunque illi mors potuit euenire, quomodo ad resurrectionem non pertineat reperire nequeo. Nec enim & monstra quæ nascuntur & viuunt quantumlibet, citó moriantur, aut resurrectura negabuntur, aut ita resurrectura credenda sunt: sed potiùs correcta eorum emendataque natura. Absit enim vt illum bimembrem, quem nuper natum in oriente, fratres fidelissimi qui eum viderunt retulerunt, & S. Hierony. scriptum reliquit, vt viuum hominem duplicem, ac non potiùs duos, quod futurum erat, si gemini nascerẽtur, resurrecturos existimemus. Ita & cætera quæ nimia deformitate monstra dicuntur, ad humanæ naturæ figuram in resurrectione reuocabuntur.

DE STATV AC CONditione bonarum animarum post mortem.

DISTINCT. Quadragesimæquintæ CAP. Primum.

Animæ hinc migrantes varia sortiuntur receptacula.

De ve. apo.

DE quibus ait August. Tempus quod inter hominis mortem & vltimam resurrectionem interpositum est, animas abditis receptaculis continet, sicut

vnaquæque digna est, vel requie, vel erumna, pro eo quod sortita est in carne dum viueret.

259. b

CAP. *Secundum. Viuorum suffragia defunctis prosunt.*

NEque negandum est (vt ait August.) defunctorum animas pietate suorum viuentium releuari, cùm pro illis sacrificium mediatori offertur, vel eleemosynæ fiunt in Ecclesia. Sed hæc eis tantum prosunt, qui cùm viuerẽt, hęc sibi vt postea prodesse possent meruerunt. Est enim quidam viuendi modus, nec tam bonus, vt non requirat ista post mortem: nec tam malus, vt ei non prosint ista quicquam. Est verò talis in bono, vt ista non requirat: & est rursus talis in malo, vt nec eis valeat, cùm hæc vita transierit, adiuuari. Quocirca hic omne meritum comparatur, quo possit post hanc vitam quisquam grauari vel releuari. Nemo autem speret quod hic neglexit, cùm obierit apud Deum promereri. Non ergo ista quæ pro defunctis commendandis frequentat Ecclesia, illi apostolicæ sunt aduersa sententiæ, qua dictum est, Omnes stabimus ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque sec. ea quæ corpus gessit. s. bona vel mala: quia etiam hoc meritum sibi quisque cùm in corpore viueret, comparauit, vt possint

in Enchir. c. 19. 12. q. 2. c. tẽpus.

Ro. 14

ista ei prodesse. non enim omnibus prosunt, &c.

CAP. *Tertium. Cura de sepeliendis mortuis salubris est.*

li.1. de ciuit. c. 12. & 1. de trini. c. 13

DE pompis verò exequiarũ idem Aug. ita dicit: Pompa funeris, agmina exequiarum, sumptuosa diligentia sepulturæ, viuorum sunt qualiacunque solatia, non adiutoria mortuorum. Quia si aliquid prodest impio sepultura preciosa, oberit pio vilis vel nulla. Pręclaras exequias in conspectu hominum purpurato illi diuiti exhibuit turba famulorum: sed multò clariores in conspectu domini vlceroso illi pauperi ministerium exhibuit angelorum, qui eum extulerunt: non in marmoreum tumulum, sed in Abrahæ gremium. Sit tamen cura mortuos sepeliendi, & sepulchra construendi: quia hæc in scripturis sanctis inter bona opera deputata sunt, nec solùm in corporibus Patriarcharum aliorumque sanctorum, sed etiam in ipsius Domini corpore qui ista fecerunt laudati sunt. Impleant ergo homines erga suos officia postremi muneris, & sui humani lenimenta meroris.

ge. 21. 25. 35. & 50.

CAP. *Quartum. Tantum prosunt sola generalia suffragia pauperi defuncto, quantum generalia & specialia diuiti, esto æquali polleant bonitate.*

QVæritur ergo an tantum iuuetur pauper paucioribus subsidiis, quantum diues amplioribus. Si non pariter iuuatur, non ei redditur secundum merita: meruit enim pariter iuuari, quia pariter boni extiterunt. Si ergo tantum suffragij consequitur pauper, quantum diues: quid contulerunt diuiti illa specialiter pro eo facta? Sanè dici potest non ei valuisse magis generalia & specialia, quàm pauperi sola generalia suffragia. Et tamen profuerunt diuiti specialia, non quidem ad aliud vel maius aliquid, sed ad idem ad quod generalia, vt ex pluribus & diuersis causis vnum perciperetur emolumentum. Potest tamen dici aliter, illa plura subsidia contulisse diuiti celeriorem absolutionem, non pleniorem.

CAP. *Quintum. Qui suffragiis indigens in consummatione seculi reperietur, saluabitur sanctorum precibus.*

EXistimo enim quasi per ignem transeuntem saluari meritis & intercessionibus cælestis Ecclesiæ, quæ pro fidelibus semper intercedit voto & merito, donec impleatur Christus. 1.co.13

CAP. *Sextum. Beati nostras preces audiunt.*

in li. de orando Deum.

AVgust. Angelis qui sunt apud Deum, innotescunt petitiones nostræ, vt quomodo offerant Deo, & de iis consulant: & quod Deo iubente implendum cognouerint, hoc nobis euidenter vel latenter reportent. vnde & Angelus hominibus ait: *Tob.12* Cùm oraretis, orationem vestram obtuli Deo. Ad omnia quidem sciẽda sufficit Deo sua perfectio: habet tamen suos nuncios, id est angelos: non qui ei quæ nescit annuncient: sed bonum eorum est de operibus suis consulere veritatem. & hoc est ꝙ dicuntur nonnulla nunciare, non vt ipse ab eis discat, sed vt ab eo missi ad quos voluerit, quid sibi faciẽdum, quibus & quãdo nunciandum sit, &c. Si autem Angeli à Deo per verbum eius discunt petitiones nostras, & quid de iis implendum sit, & quid non: cur non credamus & animas sanctorum Dei faciem contemplantium, in eius veritate intelligere preces hominum, & quæ implẽdæ sint, vel nõ? &c.

Aug. lib. de gratia no. testamẽ.

DE STATV ET CONditione damnatorum.

DISTINCT. Quadragesimæsextæ

CAP. Vnicum.

Superiùs de statu animarum ante iudicium dictũ est, nunc de statu earũ post iudicium.

Iudicium Dei non est sine misericordia.

QVidam autumant malos nullam pœnæ releuationem habituros: quod confirmant Iacobi authoritate dicentis: Iudicium sine misericordia fiet illi, qui non fecit misericordiam. Augustin. etiam ait: Misericordia hic, iudicium in futuro. Sed illud intelligendum, quòd iudicium damnationis sine misericordia fiet illi qui non fecit misericordiam, pro eo quòd fuit sine misericordia. Vel fiet iudicium sine misericordia liberante & soluente: qui tamen in aliqua pœnæ alleuiatione misericordiam Dei sentiet. Ita cùm dicitur, misericordia hic, iudicium in futuro, non negatur quin in futuro sit misericordiæ effectus, & in electis, qui per misericordiam ab omni miseria liberabuntur, & in reprobis, qui minus quàm meruerint cruciabuntur. Sed hic non sine causa dicitur fieri Dei misericordia, & iudicium in futuro: quia & hic multis modis miseretur Deus, vocando peccatores & iustificando, quibus tunc non miserebitur.

Iac. 2. super octonam viii 18.

DE IVDICII EXtremo modo.

DISTINCT. Quadragesimæseptimæ CAP. Primum.

Sententia iudicis an voce sit proferenda, non satis constat ex scripturis.

NOn enim scriptura apertè definit an voce illa iudicij verba sint proferenda, Venite benedicti: &, Ite maledicti.
mat.25 an virtute iudicis ita fiet, conscientiis singulorum attestantibus: vt modo dicitur futurum, vt iudicis potētiæ effectus ipsius dictione significetur. Illa etiam, Esuriui, & non dedistis mihi manducare, & huiusmodi. ~~magis cōscientiis exprimēda plurimi putant, quàm~~
1.co.13 ~~verbis: quia Apost. in momento, in ictu oculis mysterium consummandum tradit.~~ Sed illud ad resurrectionis statum tantū referunt, non ad iudicium: qui aliis iudicij sententiā, & malorum increpationes, & bonorum prę-mia verbis exprimenda asserunt.

CAP. *Secundum. Sancti cum Christo iudicabunt.*

Sap.3. mat.19 NOn autē solus Christus iudicabit, sed & sancti cum eo iudicabunt nationes. Ipse enī Apostolis ait: Sedebitis & vos super 12. sedes, iudicantes 12. tribus Israel. Per 12. autem sedes vniuersitas iudicantium intelligitur, scil. omnes perfecti. Per 12. trib⁹,
ps.149 vniuersitas iudicandorum. Iudicabunt verò eos sancti, non modo cooperatione, sed etiā authoritate & potestate, quam puto nō antè sciri quàm videatur, nisi diuina reuelatione quis didicerit.

CAP. 3. *Quatuor ordines erunt in Iudicio.*

DVæ quippe sunt partes, electorum scilicet & reproborum, vt Greg. in Moral. ait. Sed bini ordines eisdem singulis partibus continentur. Alij enim iudicantur, & pereunt: quibus dicetur, Esuriui, & non, &c. Alij non iudicantur, & pereunt: quibus Dominus ait, Qui non credit iam iudicatus est. Alij iudicantur, & regnant, qui vitæ maculas lachrimis tergunt, & eleemosynarum superinductione operiunt, quibus iudex dicet, Esuriui, & dedistis mihi, &c. Alij autem non iudicantur, & regnant, qui etiam præcepta legis perfectionis virtute transcendunt. *lib. 26. ca. 24.* *mat. 25* *Ioan. 3*

CAP. *Quartum. Angelorum ministerio complebitur iudicium.*

QVum autem in Euang. legatur quòd dominus mittet angelos suos, qui colligent de regno eius omnia scandala, & mittent iniquos in caminum ignis. Item, Exibunt angeli, & separabunt malos de medio iustorum, &c. & Item: Mittet angelos suos cum tuba, & congregabunt electos à quatuor ventis. & Proph. dicit: Congregate illi sanctos eius. *mat. 13* *Matt. 24.* *psa. 49*

CAP. *Quintum. Igne complebitur iudicium.*

DOmino enim veniẽte ad iudiciũ præcedet ante eum ignis, quo comburetur facies mũdi huius, & peribit cælum & terra, non secundum substantiam, sed secundum speciem, quæ immutabitur: cælum quidem aereum, non æthereum. Tantum enim ascendet ignis in iudicio, quantum ascenderunt aquæ in diluuio. Ille autem ignis malis qui reperti fuerint viui, erit consumptio, bonis verò non, vt ait August.

de ciui. lib. 20. ca. 18.

DE CONDITIONE ET statu bonorum post iudicium.

DISTINCT. Quadragesimæoctauæ CAP. Vnicum.

Erunt & præmiorum & supplicio-rum differentiæ.

Iob. 14 Chrys. mat. 20

SIcut enim in domo patris, id est in regno cælorum, mansiones multæ sunt, id est præmiorum differentiæ: ita & in gehenna diuersæ sunt mansiones, id est supplicíorum differentiæ: omnes tamen æternam pœnam patientur: sicut omnes electi eundẽ habebũt denarium, quem pater familiàs dedit omnibus qui operati sunt in vinea. Noïe denarij aliquid oĩbus cõmune intelligitur. s. vita æterna, Deus ipse, quo oẽs fruentur, sed impariter. Nã sicut erit differens clatificatio corporũ, ita differens erit gloria animarum.

Stella enim à ſtella, id eſt electus ab electo, differt in claritate mentis & corporis. Alij enim aliis viciniùs clariúſq; Dei ſpeciẽ contemplabuntur, & ipſa contemplandi differentia, diuerſitas manſionum vocatur: domus ergo vna, id eſt denarius eſt vnus, ſed diuerſitas eſt ibi manſionum, id eſt differentia claritatis, &c. 1. co. 15

DE STATV REPROborum.

DISTINCT. Quinquageſimæ
CAP. Primum.

Damnatis mala voluntas erit pœna, non culpa.

QVidam autumant illam voluntatem non eſſe peccatum, ſed ſupplicium tantùm. Alij verò peccatũ eſſe fatentur, ſed per illud eos non mereri aliquã pœnam: quia non eſt ibi locus merendi. Illud ergo peccatum dicunt non eſſe meritum ſupplicij, ſed ſuppliciũ mali meriti, quod in hac vita præceſsit: de quo Auguſt. ita dicit: Tempus acquirendi vitam æternam in hac tantũ vita Deus hominibus dedit, vbi voluit etiam pœnitentiam eſſe fructuoſam, &c. de fid. ad Pet. cap. 2.

CAP. *Secundum.* Reprobi patiuntur tenebras exteriores.

sup. psal. 6. AVguſt. Ira Dei & in iudicio erit, & hic in cæcitate mentis, cùm dantur mali in reprobum ſenſum. Ibi exteriores tenebræ erunt, quia tunc peccatores penitus extra Deum erunt. Quid enim extra Deum penitus eſſe, niſi eſſe in ſumma cæcitate? ſiquidem habitat lucem inacceſsibilem, &c.

CAP. 3. *Damnati non cognoſcunt ea quæ hic aguntur, tametſi curam de viuis habeant.*

in pſa. 108. AVguſt. Breuiter dici poteſt quòd eſt cura mortuis de ſuis charis, vt de diuite legitur, qui dum tormenta apud inferos pateretur, leuauit oculos ad Abraham, & inter alia dixit: Habeo enim quinque fratres, mitte aliquem, &c. Habent enim mortui curam de viuis, quos ſciunt viuere, quia nec in locis pœnarum vident eos, vbi dives ſine fratribus erat: nec in requie beatorum, vbi Lazarum & Abraham, quãuis longè, agnoſcebat. Non tamen ideo conſequens eſt eos ſcire quæ circa charos ſuos hic aguntur, vel lęta, vel triſtia.

CAP. 3. *Beati damnatos vident, ſed damnati non vident beatos, poſt iudicium.*

sup. Luc. 16 IN fideles (ait Greg.) in imo poſiti ante diẽ iudicij fideles ſuper ſe in requie attendũt, quorum gaudia pòſt contẽplari non poſ-

sunt, nec tamen apud animos iustorum obfuscat beatitudinem aspecta pœna reproborum: quia vbi compassio miseriæ non erit, minuere lætitiam beatorum non valebit. Et licet iustis gaudia sufficiant, ad maiorem tamen gloriam vident pœnas malorum, quas per gratiam euaserũt. quia qui Dei claritatẽ vident, nihil in creatura agitur quod videre non possint, &c.

EXPLICIT EPITOME IN quatuor libros Senten. Magi. Petri Lombardi, episcopi quondam Parisiensis.

LVTETIAE

Excudebat Petrus Rathoire typographus, impensis Iohannis Foucherij bibliopolæ iurati, mense Februario.

1551.

Societatis Jesu Paderborna.

EMENDATA.

Fo.15. co.2.linea.5.ſed nõ voluntate præcedente aut accedente.
Fo.28. co.2.li.9.quod eſt aut genitũ eſt,aut
Fo.28.co.2.li. 10. eſt ergo quod nec natum eſt,nec factum.
Fo.28.co.2.li. 12. & eſt quod factum eſt, & quod natum non eſt.
Fo.28.co.2.li. 14. & eſt quod factum eſt, & quod natum eſt.
Fo.35. co.2.li.4. ſeipſo minor dicitur.
Fo.43.co.2.li.25.non ita dicuntur.
Fo.60.co.1.li.4.eſſe patrem,& patrem eſſe.
Fo.74.co.2.li.8.vt connotetur ibi cauſa.
Fo.75.co.1.li.14.& impoſsibile eſt non eſſe.
Fo.91.co.2.linea vltima, tenuitatem.
Fo.125.co.1. li.18. In quo mulier.
Fo.139.co.1.li.9. ſuperet adiuuetur.
Fo.140.co.2.li.28.de ligno ſumeretur.
Fo.156.co.2.li.9.quæ ſubſtantiæ ſunt.
Fo.154.co.1.li.13.nõ enim poteſt eſſe bonũ.
Fo.178.co.1.li.vltima. In ſermone domini.
Fo.246.co.2.li.1.peccata dimiſſa.

Si qua fortè occurrent alia, qua Chriſtianum decet lectorem benignitate præditum, emendabis.

Lombardi
ii libros sente
tiarum

Th
441

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN